NAZIONALE
BIBLIOTECA
B. Prov.
II
675
VITT. EM III
NAPOLI

6965
BIBLIOTECA PROVINCIALE
Armadio XXX
Palchetto G
Num.° d' ordine 185 C 30

Google

Digitized by Google

B. Prov
III
675

Digitized by Google



NAPOLI
Digitized by Google

61223

FRANCISCI MARIÆ
CÆSARIS
EUGENIUS,
SEU
MARIÆ VIRGINIS
PER EUGENIUM TROPHÆA;

[illegible]

Cum Argumentis AGNELLI DE AMATO.

BIBLIOTECA PROVINCIALE DI NAPOLI

NEAPOLI, CIƆ IƆ CC XXIV.
Ex Officina Dominici Roſelli.

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google



NAPOLI

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO
CÆSARI
POETA.

NON modo antiqua, ut quæ tuis meritis enata, ſed pertinax ęque, Auguſtiſſime Carole, invaſit me jamdiu cupido aliquo donario meę erga Te Camœnę obſequium profitendi: cui ego ex animo indulgens omnia tua excurri facinora, ſelecturus

Digitized by Google

quod meis par viribus aggrederer canendum : ſed omnia exterruere audentem, omnia perculerunt. Siluit inde, non deferbuit meus ſcribendi ardor, quin rebellavit identidem in vetitum eluctatus: provocante nedum tuo merito, ſed ipſa difficultate, & negatâ dicendi copiâ deſiderium acuente: nuſquam tamen quicquam evicit, & irrito ſemper conatu, utut inſolens & indocile obmutuit meum ſcribendi ſtudium. Fateor non ingenue modo, at ex genio (ſi enim id aſſequi potuiſſet, non adeo excelſus, & qui omnem captum ſuperas, Tu eſſes) jacuit meæ virtus Camœnæ; licet alias promta & effectu, quoties Britanniam ſuas claſſes, Oceanum undas imperio cedentem tuo canere inſtitui; nam ſtupidæ occurrit menti, quod tanto Vectore adeo obſtupuit quandoque Oceanus, ut vices ſuas dediciſſe viſus fuerit: & quandoque adeo intumuit tanto Hoſpite, faſtuſque vento inflatus, ut in flu-

ctus

ctus elatum ſe extulerit, tempeſtateſque excitarit: nec idcirco vel Te exterruit, aut iter moratus eſt: ſed procellarum vi adactas naves concitavit velocius, redemturus moras claſſi factas: idque eâ fortaſſis causâ evenit, ut certo pateret, quam felices Te ſucceſſus manerent, & proinde conſtaret, non tam comitari, quam præceſſiſſe Te, & præſtolari victoriam. mirum id ferme: ſed minus miraculum viſum a ſerviente pelago fidem tuis navibus factam, quam inermem jam Britanniam ſuas naves fidei tuæ credidiſſe, quibus ipſa poſſet eſſe obnoxia. Quam porro per illius, per tuum ſummum decus egeris claſſes, quo carmine delibaſſem citra perditæ ſtultitiæ notam? Exorſus es non labores, ſed triumphos illic, unde Hercules plus ultra vadere deſperans, regreſſus eſt: quo facto tuorum facinorum initia noviſſimis illius auſis ut fidem adſtruxerunt, ſic miraculum detraxere; dum tu citra fabellarum pig-

men-

menta fabuloſam virtutem & excedis æque, & credibilem facis. Sic ab Oceano in Mediterraneum mare delatus primo appulſu ſubigis Barcinonem: inde egreſſus, non majori celeritate Hiſpanias exercitu trajectas recepiſti, quam claſſibus fueras prætervectus: inſtar Lunæ incrementum gloriæ tuæ ex itinere aſſequutus. Cumque quid amplius ageres, non ſuppeteret, pati voluiſti: & quæ alii Reges vel procul ob metum, vel juxta ad ludibrium intuentur, tuo periculo obſidionis diſcrimina experiri Te placuit. Secedis Barcinonem, dimiſſi exercitus & claſſis nihil indigus: cum tua virtus referret utrumque. Diverberatur Urbis murus tormentis bellicis, dehiſcit ingenti ſtrage, jacent animis populares non tam metuentes ſibi, quam de Te ſolliciti: triumphum hoſtes jam canunt: & Tu invictus plusquam adamas, ut hic attritu ferri, ſic a periculorum incurſu lucem mutuaris: & cum nihil uſquam,

quod

quod patereris, reliquum eſſe vidiſſes, ſecurus victoriæ rurſum agere decreviſti. Erumpis e murorum hiatu, quem tuo pectore tectum claudebas, affligis hoſtes, & ab integro trophæis Hiſpanias metiris. Hæc ego primum audita tantum abfuit, ut metris niterer abſolvere: ut potius admiratione defixus, mei impos evaſiſſem; niſi miraculo retuſam, copiâ rerum obrutam avertiſſem alio cogitationem. Sed finge me potuiſſe: non licebat profecto victorias a Chriſtiano nomine relatas citra mei dedecus gradus, citra piorum ſtomachum celebrare. Nec Tu optime Cæſar facili aure excepiſſes victorias, ob quas tua pietas indoluit, vel dum retuliſti: qua ſola in re (ignoſcas oro, ſi teſtatiſſimum id fecero) tuum conſilium eventu fruſtratum eſt; nam dum oblivionem victoriæ mavis, quam gloriam: major hoc ipſo nomine tibi glorię acceſſit: & dum ſolitis feſtis fraudatos diſſimulas triumphos, duplices mereris:

reris: alterum ab hoſte victo, alterum a victoria modeſte accepta, & inſigniori titulo conſcientia triumphat tua, dum triumphos ipſos vincendo neglexit. An ſperaſſem Te ab Hiſpania reducem in Germaniam cantu apposite proſequi? ubi Auguſto Germano tuo in Cœlum evocato, quâ inteſtini, quâ peregrini timoris undis Germania trunca, & velut clavo excuſſo fluctuaret: imminente ejus cervicibus armatâ Galliâ, & indigenarum Principum ambitionem ſollicitante, non tam armis, quam auguſti ſpe paludamenti. Has inter procellas ad Te, ut ſuam Cynoſuram direxit illa preces, direxit oculos: diutius ſi quidem pertæſa ab Alpium ſpeculis Te opperiri, ſuorum Procerum lumina præmiſit, ut hi Te intuerentur proprius, citius evocarent. Ne queſo hic erubeſcas modeſtiſſime Carole, ubi ego ad tui recordationem meriti expalleo: vadis, an raperis ad imperium accitus, exoratus, coactus: co-

rum

rum porro conſenſu Principum, qui imperium aſſequi potuiſſent, niſi tibi deferendum eſſet. Quid enim mirum, ſi olim milites ſeu donis, ſeu ſpe corrupti alios ad imperium evexerint, quod ipſi deſperarent adepturos? mirum profectò Te ad imperium precibus adſcitum ab iis, qui imperio apti erant. Doluit olim terrarum orbis, experta deinde Germania eſt, quanto ſuorum ſanguine Imperatoris purpura ſteterit: unis illa Auſtriacis tuis præſentibus, uni tibi abſenti innoxia delata eſt. Credidiſſent poſteri, an fabellis adſtruxiſſent, ſi tanta ingenii mei fuiſſet vena, ut literis demandaſſet, quæ Tu invictiſſime Cæſar tunc temporis aſſequutus es? iter tuum Pannoniæ, adventus Germaniæ, mora Europæ aſſeruit pacem. Mira ſane omnia, & quæ longe meas excedant Muſas: quod vero & fidem excedit eſt Pannoniis a te abſente precaria pax conceſſa, iis, a quibus nec Auguſti Patris tui auctoritas, nec Fratris tui præſentium virtus,

b nec

nec iteratæ ab utroque illatæ ſtrages extorſere. Hæc una res, quam adventus tui fama confecit vel omnium poëtarum retudiſſet ingenium, vel ætatem omnium occupaſſet. Sed potuerint: quis porro ſperaſſet verſibus tangere, quanto gloriæ tuæ cumulo perfidia Turcarum turbavit a te compoſitam Europæ pacem? Quicquid ingenii ineſt, quicquid vocis, non impendere modo, ſed abſumere deberent poëtæ omnes, ſi hæc proſequi vellent: & ſibi optare innumeros quos Tu mereris annos & quos Tibi, proindeque noſtris emolumentis optamus. Invadit Tyrannus, unoque impetu Græciam devorat ſubactam, & interea innatæ immemor ſuperbiæ, nec victoriis tumidus prolatari a Te inducias exorat. Satis erat magnanimitati tuæ vidiſſe ſupplicem: niſi fides Venetis obligata a Patre tuo obtrectaſſet. Metuit & id Tyrannus, ingentique comparato exercitu finibus Pannoniæ aſſedit: tum exolutus pene Veneto bello vires omnes in Te, quem

ti-

timuit vindicem ſuturum, collegit. Poterat ea Turcarum diluvies omnem alium præter Te exterrere: Cum Tu conſulto diſtuliſſes bellum, an ultionem dicam? dedignatus Turcas Veneto diſtentos bello invadere: omnes in te coactas vires maluiſti, ut majori tuâ gloriâ, minori labore profligares uno prælio accifas. Nec quicquam Te movit pacis emolumentum, incerta belli alea, immenſa Turcarum & inſolens victoriis potentia: nec movit infirmus Italiæ ſtatus, & novis rebus intenti hoſtes. Placet omne diſcrimen ſubire: dum maneas promiſſis, religionem tuearis, illatum Venetis damnum reſarcias. Hoc animo bellum decernis indiciſque. o pium animum, o inconcuſſum! liceat vaticinari nec abs re, ſi vatem cantu agere Tecum non licet. Cum Tu piiſſime Carole bellum in Turcas decreviſti, tunc internecina afflixiſti clade, tunc Temeſia recepta, tunc ſubactum Taurunum. Fidelis eſt Deus, & qui benemerendo ſuperari non patitur,

 acce-

accepit ille libenter animi tui propoſitum,
quo omnia tua periculis belli certum tibi
erat obijcere,ut illius vindicares honorem,
& eodem puncto de Turcis tibi decrevit
triumphos.o felicem,& auſpicatam pugnã.
di rationem : religioſo animo debellare im-
maniſſimum hoſtem,victorias mereri ſedẽ-
do! Igitur Turcarum ſtrages,Urbium dedi-
tio tui propoſiti appendix fuit:et Eugenius
tibi adſcriptas,a te meritas palmas collegit
in campo.Quis ingenii vigor tam ſublimis,
quæ vis tam robuſta hæc audeat commenta-
ri,aut carminibus delibare?Id ego licet jam
compererim , inceſſit me tamen contumax
cupido : invaſit, & etiamnum vellicat ſtu-
dium hæc,&alia his majora recenſendi : ha.
betatum vero & fractum aſpectu ſingula-
rum rerum , nedum attrectatu tantæ molis
ſilere coactum eſt.Sed quid tum? ſilvit pro-
fecto ſemper exterritum meum ſtudium,at
nuſquam ſubſedit, aut excuſſum eſt , &(ut
plerumq;)deſperato exitus ſolatio flagran-
tior evaſit amor,inſtar flammæ in anguſtiis

clu-

eluctantis. Sit tuæ virtuti maxime Cæſar laus hæc peculiaris:ut qua exacuis luce ardorem canendi,hac ipſa retundas:& veluti Sol intento oculo non ſinas videri,feſtinanti oculo ut videaris, provoces: nec mirum quod virtus id obtineat, ſi tuorum majeſtas oculorum id præſtat,&audacioris cujuſque obtutum percellit.Sed obſecro Te obteſtorque;remitte pervicaci meo furori,pluſquam poëtico,ſi qua te contempletur tandem,excudit viam,ſi qua te canat, commentus eſt rationem:repercuſſos Solis radios in ſpeculo intuemur oculo non conniventi: repercuſſum tuæ virtutis lumen in Eugenio intueri licet, licet canere. Id ego qua potui contentione aggreſſus ſum, & pro virili, ſi minus pro merito adnixus: exultans interim præ lætitia, dum vidi & meo mordicus prurienti genio factum ſatis, & gloriæ tuæ minoribus laudibus non dectractum; quo etiam argumento mihi gaudeo, tibi gratulor,quod factorum tuorum ſublimitas laudes non admittat, & meæ anguſtia

Ca-

Camœnæ reponendi facultatem non habeat. Gratulor, quod tua victoris major laus ſit omnem laudem excedere. Mihi gaudeo quod nedum vires, ſed & ſpem & ãbitionem ſuperes meam: gaudeo demum illud mihi pollicitus, quod dum Te in Eugenio canam, æternitatem meis carminibus, quam hæc ſolent præſtare, fœnerabis: ea me ſpes adeo erexit, accenditque, ut me ipſo major ad tanta audacter affectaverim, & eadem fortaſſe abſolvi auſpiciis ſuffultus tuis: quin imo hæc ipſe recitans, miror me potuiſſe, & diffiderem ab integro poſſe: abnuo mihi deberi copiam illam, qua uſus ſum: obſtupeſco me expertem laboris ea concinnaſſe, quæ concinnare non ſenſi: & inficior me œſtro raptum meo; ſed tuis auſpiciis geſtantibus otioſæ dexteræ miniſterium commodaſſe (veniâ tuâ id dictum velim Beata Virgo, cui inprimis poſt Deum omnia confiteor referre accepta). Accipe ergo maxime Cæſar munus, quod ſi tuum meritum non æquat, meum ſaltem teſtabitur obſe-

quium

quium : accipe munus cui Tu incentivum, ad quod Tu vires ſuffeciſti: compenſet animi tui indulgentia, quam majeſtati injuriam meæ audacia Camœnæ irrogavit, dum tibi impar præconii munus auſa eſt devovere; nec id mihi culpæ vertas, ſed meritis imputes tuis, quæ eo me adegerunt, ut non potuerim temperare, quin id auderem, & obſequii neceſſitas temeritatis cauſam dicat: expleatur quæſo tui animi magnitudo non his, quæ mereris, ſed his quæ potui dare: nec donum, ſed meum donantis & dicantis animum æſtimet: dum ego Eugenio gratias habeo, ſi minus poſſum referre: quod dum palmarum faſces tuarum collegit, mihi ſegetem dedit, qua officii mei munus offerrem Tibi, & qua mei genii ardori conſultum foret gaudenti jam, ſi minus voti compoti, quod ſi te carminibus proſequi non licuit, licuit plane carmina dicare. Quod muneris tibi ſpero acceptum fore, non modo quia id tua pollicetur humanitas, cui licet a nullo digna

poſ-

poſſint rependi præconia, omnium tamen Muſas factis excitas, foves patrocinio, obligas muneribus: cui quid aliud precer, niſi ut obliges foveaſque: ſed etiam quia, ſi Te tuis non potui nimia luce habetatus, Eugenii tui ſaltem pingere potui coloribus: Quicquid enim de Eugenio dixi, de te dictum velim, & credam in tuas rediturum laudes: quando ille fortiter operâ ſuâ navatâ, cæterum tuo exercitu, tuo ſumtu, auſpiciis tuis Turcas debellavit: quo nomine acceptum Tibi futurum ſpero hoc munuſculum, quod & demiſſe rogo, reverenterque. Quin & hoc nomine Eugenio tuo, quod me poëtam fecerit, gratias ago (quamquam in eo munere exercendo veniam potius poſſim ſperare, quam gloriam): ago porro non linguâ eloquutus, ſed interno animi ſenſu: dum tam preſignis beneficii intellectus mihi eſt: cujus cumulo obruor, ne loquar: nec idcirco ingratus beneficiis, ſed oppreſſus habear neceſſum eſt.

SE-

SERENISSIMO
PRINCIPI
EUGENIO
AUCTOR.

COnſenuiſſe jam hoc opus, Princeps Sereniſſime, Germano meo viſum eſt: maturuiſſe vero pleriſque ſcientiſſimis viris, quorum ingenium in numerato eſt, & apprime Muſarum Palladiſque initiatum ſacris. Horum ego trutinæ non refragarer modo, ſed quam libentiſſime ſubſcriberem, niſi exterreres eminentiſſimis tuis geſtis. Enimvero non fuit meo carmine efferenda aut Achillis aut Æneæ virtus, quibus triumphalis gloria ab illata morte deſerto He-

Digitized by Google

ctori, vel inermi Turno emendicata eſt. Sed tua virtus delibanda quæ decies propemodum centena Turcarum millia vel disjecta perculit, vel trucidavit: Id tam meæ æxiſtimantis inſedit menti, ut ineptum, & ſonantiori excipiendum riſu quicquid octenos ſupra annos elucubravi, & tranſverſo ungue diſſecandum duxerim: non quia rude adeo, impolitumque habuerim; ſed quia omnino impar, ut Te nominaret pro dignitate, credidi. Quid tum vero? ceſſandumne erat mihi, quia non poteram: aut in ſpongiam incumbendum huic operi, unâque obliterandum liturâ, quod tua merita carmine non æquarit? At ſi ita tecum agendum eſt: nullus profecto erit, qui tua facinora in literas promere attrectaverit, cum nullus omnino id aſſequuturum ſe ſperet: reformidarint porro alii: aggreſſa eſt id facinus audacia mea, & nihil ferme eſt, ut iſto nomine cuiquam contraham frontem; majus quippe momentum

mentum viſum ineo, ut teſtatum facerem, etſi pro male feriati ingenii mei viribus, quantum tibi debeat univerſa Europa, & inprimis mea Neapolis, quando tu illam a Turcarum formidine veluti præſens vindicaſti, ubi hos in Pannonia afflictos expuliſti itidem Corcyrâ, unde aptiſſimus ad noſtras oras trajectus. Quamobrem tantum abfuit, ut rerum magnitudine dimoverer a propoſito canendi tua de Turcis relata trophæa: ut potius id ipſum incentivo fuerit, quo hæc proſequerer; compertum ſiquidem mihi erat, me licet ſciolum rudemque, tamen in primorum vatum decuriam adſcribendum, ſi tuos triumphos tam multijugos tam illuſtres ſimplici enarraſſem ſtylo: ſit ſterile mihi ingenium, inculta ars, & in canendis tuis geſtis abruatur multitudine, hebeſcat luce: præſignis ferme, & culta evadet lumine a tuis actis fœnerato, & dum tua referet, tum ſibi quæſita ſentiet præconia.

Ac-

Accipias demiſse precor obſervanterque, Princeps clementiſſime, munuſculum hoc, qua ſoles frontis erugatione, animique benignitate: quo facto luculentior meis libellis accedet ſplendor, plauſuſque cumulatior: quippe ideo in pretio habentur multa, non quia ea ſint, ſed quia a templis, quibus dicata ſunt, mutuentur decus. Id ſi pro tua humanitate præſtiteris, non modo inſularum loco mihi erit, verum & efficax præſidium in omnes Ariſtarchi virgas, & Theonini dentis virulentiam.

JACO-

IACOBVS SALERNVS

PATRITIVS SALERNITANVS, BARO LVCINIANI

Regius Sanctæ Claræ Conſiliarius

Lectori.

INter laborioſiſſimas muneris noſtri curas cogitantibus nobis mentem aliquo otio, & aures forenſium cauſarum ſtrepitu veluti obtuſas recreare, nihil melius ſuccurrit, quam Mathematicæ exercitationes vel Carmina Poetarum. Quapropter inciderant in manus noſtras pauca quædam hujus Poematis dum in lucem proferebatur; atque mens noſtra novi operis curioſitate allecta, mirata eſt quod verborum elegantia & præſtanti quadam ſtili ſublimitate redundaret. Præterea maxima animi voluptate conſideranda occurrit Carminis nobiliſſima æque ac jucundiſſima materies, quanto magis nova, tanto Auctore noſtro dignior; cumque illa magnitudine laboraret ſua, verebamur ne illius ingenium ex intervallo ſuccumberet, mirati ſumus ipſum quo animi ardore egregium opus occœperat, & quo contentiſſimo ſtudio proſecutus eſt, eodem & ſine ulla importuna varietate confeciſſe. Quæ autem nos ipſi de hujus operis pretio ſenſerimus legentibus oportet aperiamus, ut juſtitiæ partes nos præſertim exerceamus, quorum proprium munus nomenque eſt eam tueri atque æquiſſima lance male vel bene merentibus diſpenſare. fas etenim æquumque eſt, ut literatorum hominum nomen inclareſcat, virtus augeſcat ſemper exemplo honoris alieni, & ignaviſſimi quique ad Reipublicæ bonum a veterno ſuo ad virtutis lucem & ſolem excitentur. Itaque ut Poeta noſter Auguſtiſſimo Imperatori obſequendi ardorem

atque antiquam inclytæ familiæ ſuæ fidem univerſo orbi nova ſignificatione teſtatiſſimam faceret,præſtantiorem materiam deligere vix potuiſſet,quam ejuſdem Imperatoris glorioſiſſimi laudes, & bellicoſiſſimi Principis Eugenii præclara contra deterrimam illam Turcarum colluvionem geſta non inelegantibus carminibus decantare: noverat enim vero Auctor in magnorum Principum animis a natura impreſſum nobile illud deſiderium, ut propria quæque facinora ad exemplum poſterorum atque admirationem poſteris demandentur, neque tantum prorſæ ſolutæque orationis majeſtate, quantum ut Poeticis luminibus illuſtrentur, & quadam venuſtate obliniantur; ſic etenim jucundius & interius in legentium animos inſinuantur & hærent. Ambiverat olim id unum inviɛtiſſimus Macedo, & ad Achillis buſtum lacrymabundus conſtiterat non tantum ob gratam veteris illius Herois memoriam, quam quod inviderat laudatorem Homerum. Et Magnus ille Pompejus Theophanem Poetam aluerat & a latere ſuo nunqnam dimoverat, ut bella quæ immenſo labore ſteterant, traderentur immortalitati. Igitur cum optaret ingenioſus Auctor Auguſtiſſimo Carolo obſequii ſui quoddam ſpecimen dare, id profecto delegit, quod non poterat non eſſe tam magnanimo Imperatori gratiſſimum In hac etiam obſequendi voluntate licet non ſuperaſſe viſus ſit, tamen Vir literatiſſimus æmulatus eſt Atavorum ſuorum virtutes, qui ſe munificentiſſimæ Domus Auſtriacæ ſervitio plus quam unius ſeculi decurſu manciparunt.Quos inter Octavianus Cæſar literis & prudentia ſingulari enituit; cumque egregie de Philippo II. Hiſpaniarum Rege meruiſset, hujus florentiſſimi Regni Cōſiliarius omnium bonorum plauſu creatus eſt et cum idem ſapientiſſimus Rex Octaviani Patris virtutem ac merita in Franciſcum Filium feliciter transfuſa ſuſpexiſſet, hunc etiam Advocati Fiſcalis R. C. munere decoravit; quem Ioannes Baptiſta de Toro ſingulari præconio *Virum meritiſſimum* appellat. Allaboravit etiam Auctor noſter, ut ſi minus in periculis & exercitatione bellandi, ſaltem exquiſita militarium re-

rerum peritia Proavos ſuos imitaretur, qui hanc familiam toga ac literis clariſſimam armorum quoque ſplendore magis ac magis illuſtrarunt, uti Camillus & Scipio Cæſares, alter enim Tribuni partes pro virili implevit, alter vero in vario bellorum diſcrimine ſub Imperatore Carolo V. Ducis exercens munus egregia confecit ſtipendia. De quibus aliiſque hujus familiæ claris Viris apud Joſephum Campanilem, Toppium, Coſtum, ceteroſque Regni noſtri Scriptores ſæpius me legiſſe commemini. Ut autem Auguſtum Carolum, & Eugenium totius Imperii columen carmine tantorum Principum digniſſimo celebraret ſumma ope laboravit, ita ut tropæa, victoriarum ſeriem, bellorum cauſas, ſtrepitus armorum, Chriſtianorum Ducum virtutem, Turcarum quaſi perpetuas fœdaſque clades non tam legere credas, quam neſcio qua animi jucunditate propriis oculis contuearis: prȩſertim Eugenium nunc cunctabunda prudentia maxima quæque ſecum machinantem, nunc affectata fuga, & nobili quodam dolo hoſtium credulitati illudentem, ceteraſque machinationes optime parantem, & melius exequentem. Quæ quidem præclara Principum facinora deſcribi admirati ſumus nullis fabularum offuciis, quibus Poetarum artes abundant ſatis: Principum enim virtutem, quæ genuina nitet luce, ſcimus omnes obſcurari fabularum nidore ac fumo. Propterea ſi intuemur Eugenium tanquam perfectam Herois imaginem bellica quæque munia feliciſſime obeuntis, & Virginis auxilio de innumerabili Turcarum multitudine ſæpe triumphantis, teſtis terrarum orbis, tanti Viri laudes non a ſolitis Poetarum artificiis emendicatas, ſed ab ipſis hoſtibus quibus ad Eugenii nomen, nedum ad arma neſcio quid horroris incutitur, & ab illa camporum planitie, quæ recenti Turcarum ſanguine calet & fumat adhuc. Præterea alias etiam Pœmatis hujus dotes inſpeximus, nitorem illum latinæ linguæ ac majeſtatem undequaque diffuſam, numeros voluptatem ſimul ac cultum referentes, quem novimus Auguſti temporibus floruiſſe, ſublimitatem opportunam pro rerum dicen-

darum dignitate; denique rerum militarium ſcientiam ſingularem. Et quamvis Poeta noſter ſe nunquam armis immiſcuerit, cum longe vitæ ſuæ ratio abhorreat, & Sacerdotale miniſterium illum ſanctioribus curis addixerit, tamen veluti miles veteranus callet abſtruſa quæque bellantium ſtratagemata, tot armorum nomina, varias caſtrametandi rationes, innumerabiles exercitus partes, atque tot luſtrandi dirigendique modos: Quæ fere omnia quamquam veteribus Latinis ignota (ut pote nupera bellorum, & militarium inſtrumentorum ratio longe ab ea ætate diſſentiat)tamen ipſe fotaſſe omnium primus tam bene ornateque latinum ſermonem ad præſentem bellorum conditionem digeſſit ac detorſit, ut æmulatus ſit in re nova veterum Scriptorum gloriam. Sed quod maxima laus eſt inter pugnantium ſtrepitum,furentium Turcarum cædem,& certaminis horrorem Chriſtianorum militum,& præſertim inviĉtiſſimi Ducis pietas ſępe in caſtris & in conflictu luculentius elucet, quã virtus ipſa bellandi, quæ quidem virtus tanquam ancilla pietati inſervit, & pietas veluti domina in totius Poematis decurſu potentiori imperio omnia moderatur. Hæc autem pauca operis floretiſſimi ornamenta,quæ nos Lectorum oculis conſideranda ſubjecimus,maxima voluptate collegimus; plurima prætermittere coacti ſumus,cum noſtrarum curarum pondus divellat a Poetarum amœnitate,& nos ad dura judiciorum munia cõvertat.Ceterum ſperamus Literatos omnes Auctori felicitatẽ ingenii gratulaturos,Principes illos quorũ laudes ex intervallo percenſentur hilari animo acceptaturos,glorioſiſſimum Eugenium, cujus nomine inſcriptus Liber novo faſtu ſuperbit,& invictiſſimum Imperatorem,cujus etiam Auguſtæ Majeſtatis luce renidet,ſi nulla alia re procul dubio ſua ipſorum gratia de Auctore benemerituros.

OCTA-

OCTAVIANUS CÆSAR

FRANCISCI FRATER

Ad bonarum artium Studioſos.

VBi me diutius fruſtratum, & demum excidiſſe propemodum ſpe intellexi, nec evicturum unquam, ut expugnata amatiſſimi Fratris obſequeretur ſcrupuloſitas: tum ingeſſit ſe mihi altius propoſitum Ulyſſis uti, artibus, & hoc novum veluti Palladium, Fratris inquam hos libellos avertere: nec id ex voto cecidiſſet, niſi & *D*iomedem exhibuiſſem (ne a parœmiæ pomœriis latum culmum diſcedam) reverenda ſcilicet vi adhibita, quæ mihi ingenita eſt utpote majori natu: id porro aggreſſus ſum, ſimul exploratum per transſennas habui, opus jam exactum; etſi non expolitum eruditumque, ut ipſe cauſatur; nam identidem illum deprecatus ut formis cuſos publicam materiam libellos hoſce facere liceret: mirum quam belle obſtinavit animum, mirum quoties commentus recoquendos, reddendos incudi, colophonem addendum: ita ut *P*enelopes telam retexere profecto videretur. *S*ed non potuit diutius lupum auribus tenere: eluſi, aut abſcidi Gordium hunc nodum, & ſubreptos libellos in literas depromſi. Inſederat *F*ratris menti luculentiori obſequio demereri bonarum literarum candidatos: Ego contra eo ſpectabam, & ſaniore forte conſilio, ut ille meo indulgeret genio, mihique arrideret: cui perſpectum erat, quod & ſeptimo notum bovi; nequicquam ſapere, qui ſibi non ſapit, & longe majoris emolumenti futurum ſervire tempori, quam Lectori: præcipue cum ipſi non eſſet, aut polliceri, aut veluti per diopteram proſpicere, *quid ferat hora ſequens:* ſiquidem veritus ſum potiſſimum, ne dum ad coronidem uſque perducere poema vellet, & rudem emereri, victus morbo, a quo laborat, rudis & minus laureatus vates & ſimilis Apollinis trunco remaneret: & quarta demum luna naſceretur inſtar Herculis labore ſibi neutiquam frugifero inſudantis ſemper. Idque ego maturius exequi decrevi, quia non adeo lolio me infartum, & cucurbitis ſaburratum ſenſeram, ut perinde ac lemis Saturniis implicitus cæcutirem, & minus intellectus eſſet di-

gnos

Digitized by Google

gnos hos libellos; qui & Ariſtarchi obelum; & Theonis genuinum
eluderent, & Momo ipſi facerent ſatis. Cum præſertim mihi ſit pro-
be compertum, quod poeta oleum habeat in auricula, nec ſibi in-
dulgeat adeo, ut ſtilum vertere piaculi habeat loco: ſed quod potius,
ſuas aures mordaci ſubinde deterſerit aceto, & ſi qua impolitiæ la-
becula irrepſerat, intervallata perpenſione excuſſam transverſo un-
que obliterarit: quinimo tantum abeſt, ut ſui ſit amator perditus,
ut potius rivalis acerrimus, non quicquid bucca excidit, continuo
velut ex fronte perſpicuum, & ex guſtu cognitum lac Veneris, &
nectaris florem exiſtimat, & proinde ſanctum pronuntiat. Sanctos
hos ego ratiocinatus ſum libellos futuros, non eo ſolum nomine, quod
Fratrem ingenii acris adminiculo, & luculenta ſupellectile noverim
inſtructum; ſed quia huic operi a Virgine & incentiva & manum ad-
ditam antiquæ pietatis reor eſſe, ſi crediderim; & per eandem Beatam
Virginem ſtetiſſe, ut operi vires ſuppeterent. Idque ego pia conſe-
cutione ſic eveniſſe conjectem potiſſimum, qui ſcio Fratrem demiſſe,
enixeque a Virgine opem rogaſſe, & antequam ſe diurno labori man-
ciparet, & inter laborandum ſubinde. An inficiabitur quiſquam ro-
gatam ſæpe Virginem ei benigne opem tuliſſe, qui deſudaret in canen-
dis victoriis Chriſtiano nomini ab eadem Virgine impetratis: nuſquam
ego, nuſquam pius quicumque eſt, in ea hæreſi fuerit: quin teſtatiſſi-
mum velit cum Auguſtino, germanum Virgini eſſe ſupplicum votis
occurrere, preces audire, impenſius orantibus indulgere. Exeat
nunc inauſpicatus, neſcio quis Rhinoceros, aut infeſtivus Gracu-
lus, & inſtar Galli e ſterquilinio ſuo ſurrigat criſtas, & cicadis plenus
Sybariticas ferat ampullas, & verſus hos convellat, quos Frater Vir-
ginis ope cudit: quibus præterea concinnandis germanus meus non
plagiarius, ſed apis claſſicorum auctorum omnes flores, veneres om-
nes non tranſplantavit, ſed decerpſit, & miro artis opere commi-
ſit. In male feriatos hæc velim contorta; nam ſcientiſſimi ſolemne
habent feſcenninis abſtinere dicteriis, & nacti quod genium habeat,
extemplo phaleris & pictæ linguæ obſtrepunt tectoriis: contra ſi
quid minus integra conſtans fide offendunt, id parcunt proſcindere,
& traductum auctorem digito moſtrare: memores ipſi & Homines
eſſe, & eidem lapidi inſiſtere, & eadem navi vectari: ac proinde ob-
noxios & caſibus, & naufragiis dum ſcribunt. Quo argumento ſcioli
omnes, cum neutiquam ſe intra teli jactum permittant, nec quic-
quam commententur, delicata gaudent doctrina, quæ eſt e Naupa-
cto clavi regendi rationem edicere, & ſi quid pecces ſtriatis ſuper-
ciliis, & caperata fronte immitius, quam par eſt carpere: ad hoc,
cum tirunculis hiſce ſemper ingerat ſeſe inſanabile cachoëtes ſcri-
bendi obeliſco digna, ut ſapientum octavi habeantur: conſcientia quod

nihil

nihil omnino edituri ſint, niſi hypenemios partus, idcirco collectam inde bilem alio derivant,& quam a mente non poſſunt,precariam poſtica a ſanna gloriam aucupantur: cum eam potiori vel conſilio , vel ſucceſſu aſſequerentur,ſi aurum in cæno,non cænum in auro rimarentur,hac via citra livoris labem ſui ingenii ſpecimen exhibituri : quod a Virgilio factitatum legimus,aſſerente ſe in Ennii ſtercore aurum ſeligere , quod & de Plinio extra omnem ingenii aleam poſito in epiſt. ad Marcum Plinius alter adſtruit verbis illis . *Qui dicere ſolebat, nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodeſſet*. Nam quale illud eſt , quod Vulturibus iſtis ſuboleant,pluſquam cadaverum nidor,ſi quæ aut ſquaroſæ, aut exauctoratæ ſint obviæ dictiones : ſi quid vero maſculæ eruditionis, & plena unguenti alabaſtrus occurrat , veluti puteat,non prætereunt modo, ſed & averſantur Vatiniano odio. & pluſquam colubri cedrum . Sed velitemur in hos pauliſper , & quæ ſunt fortaſſis objecturi, refellamus , *miſcentes antipharmacum priuſquam virus effundant* , ut inquit Hieronymus in Ruffinum , quod & factitaſſe legimus Mitridatem . Effutient credo : prolixior Iliade Muſtii oratio eſt , qua Caroli Auguſtiſſimi laudes efferuntur. At fugit illos Concilium a Turcarum Rege habitum ſuper bello Auſtriaco ad quinas horas tenuiſſe, & Muſtium bello abſtinendum mordicus contendiſſe:an per id tempus a Muſtio Germanas gerras,& Perſolas nugas enarratas autumandum eſt: aut de his, quæ apud inferos aguntur, diſſerviſſe? an potius hoſtis laudes cumulate ad Cœlum extuliſſe, quo partium ſtudia prona ad bellum retunderet? Age porro,licuit Ulyſſi per Homerum tres integros libros occupare, ut ſuos errores, qui alioqui nihil ad rem, ediſſereret. Licuit etiam Æneæ per Virgilium duos libros ſibi vindicare:quamvis aliter a propoſito prolocutus fuerit illis verbis.

Jam nox humida Cœlo
Præcipitat, ſuadentque cadentia ſydera ſomnos;
Et breviter Trojæ ſupremum audire laborem.
Quamquam animus meminiſſe horret, luctuque refugit.

Si ergo datum eſt illi; licet ſydera ſuaderent ſomnos, licet pollicitus brevi Trojæ labores tangere , licet animus refugeret, tam prolixe de umbra Aſini quærere ; non dabitur meo Fratri de ſalute Reipublicæ? & illius oratio vel compagio Maximini, vel clematidi Ægypti propior habebitur . Verum bene ſentienti nulla laus longa, quæ de tanto Heroe eſt , credetur, præſertim cum eam tempus expreſſerit: alioquin longæ qua *D*emoſtenis , qua Tullii Philippicæ ducendæ,quo quid inſultius. Mihi contra exactiori trutina Auguſtiſſimi noſtri Cæſaris merita excutienti videtur, quod poe[illegible]ribus bolis ea attigerit , & anguſtiori circumſcripſerit pomœrio . Quin ut vero propius dicam, de-

traxit

traxit potius, quam laudavit, ubi ſupervacuo impendio laborans, metri lenocinio, & Rhetorum pigmentis Solem facibus adjuvare enixus eſt. quod Flacci verbis efferam concinne *lib: 1. ſer: Satyr: 3.*

Virtutes ipſas invertimus, atque
Syncerum cupimus vas incruſtare.

Inde hoc nomine non ſemel ego Fratrem brevitatis insimulavi, & identidem ſuccenſens illud Martialis revocavi in mentem.

Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis.

Sed rebellabit refractaria lingua, inferetque: Eſto, attento Caroli merito curta oratio non reſpondeat, at quid in ſententem Ducum catalogum adſtruere neceſsum erat, aut quis veterum poëtarum adeo ſpatiatus eſt hac parte? Fateor & id ipſe, nec meus Frater ibit inficias: unum tamen admonitus velim attendas: quis veterum poëtarum præſentium Legatorum luſtrationem proſequutus eſt, aut quis ſibi illos voluit demeritos? Nec porro exemplo caret res, nec rara avis, poëtarum Proceres potius habuiſse Principum inire gratiam, quam vadimonium deſerere Virgilius lib. 5. Æneid. Mneſteum, Sergeſtum & Cloantum effinxit, ut ad horum genus Romanas aliquot domos referret, & idem Virgilius lib 6. Æneid. non brevem ſyllabum Heroum Rom. appingit & lib. 8. in Æneæ clypeo cœlat Romanorum & Auguuſti facinora, ut delinitam illorum benevolentiam obligaret ſibi. Luculentius porro Tullius mei Fratris cauſam dicit defenditque; dum lib. 5. epiſt. ad Lucium & ſuæ ambitionis, & noſtri obſequii peccatum purgat: ibi *Se naviter* Cicero *impudentem eſſe oportere* dicit: *ut ſua facta a Lucio ornari poſtulet vehementer, etſi tantopere ornanda non videantur*: & rogat, *ut rerum ſuarum quaſi fabula concinnetur, & in eo leges hiſtoriæ negligantur*: quis hæc in hiſtoricis non criminaretur, quæ tantus auctor *in ſui gratiam plane etiam, atque etiam fieri rogat?* Nec erit Torquato noſtro, qua cauſa ſuum diluat peccatum illuſtriora belli facta in Rinaldum derivanti, quæ ex ſolemniori poëtices præſcripto Gothifredo Imperatori erant appingenda: idque ſibi Taſsus proſpectum cauſatur feciſse, ut Italorum rogantium genio indulgeret, quod totum habes in Epiſtolis illius. Ex his igitur, & aliis talibus, quæ brevitati conſultui preterimus, liquet: quantumcumque fuiſse in vatibus, qui Climacidas non exhibuit, & ficus non ſit aucupatus bene ominando. Verum longe diverſiore argumento adducti nos ſumus in eo indice Ducum attexendo: tanta ſiquidem illorum in hoc bello enituit virtus, tanti emolumenti Chriſtiano Orbi fuit: ut temperare ſibi non potuerit meus Frater, quin eorum tangeret præconia, & pleroſque me ſuadente adijceret: poſtea vero cum prolixior catalogus videretur, voluit aliquot expungere: at illorum virtute exterrente ſanioris conſilii fuit res viſa, longum, quam inju-

rium

rium eſſe:Proinde omnino diverſius nobis accidit,ac Campanis ; qui
cum Senatores ſubrogare vellent , in optione quem eligerent ſubij-
ciendum nemo unus ob humilitatem compertus eſt , itaque priori-
bus ſuffragati,incæptis deſtitere:ut Liv:de bel:Pun:lib:3. eodem prope
pacto ubi Fratri meo,quem excluderet,nullus dignus viſus eſt , pro-
poſitum intermiſit, omnibus relictis . Conniveas ergo hac parte
quæſo amice *Lector*, & hoc erratum tot Heroum remittas meritis;
quod ſi etiamnum obtrectas : ex arbitrio frangas genuinum ; nam
velis, nolis conſultum nobis potius ſtuduimus , quam tibi , &
legendis potius Ducibus , quam lectoribus arridere. Amabo profecto
candidate mi bonarum artium, ſi parſeris poetæ culpæ vertere ,
quod laudes e Ducum laudibus ſerit : nam melius habitum illi eſt ,
& meo inſtinctu ſerere, quam dilutos lapides irrita cura elixare : ſin
in ea hæreſi ſigas pedem , tranſilias quæſo priores quatuor libellos,
atque ita tu a ſtomacho, poëta a tua redimetur lingua . Cæterum
ne credas in reliquis libellis hiſce trycas fabellarum, & apinas amo-
rum offendere : quid ? poteratne germanus meus, quas corporis vi-
res, quam ingenij aciem , ſi ulla eſt , B. Virgini debere profite-
tur, nugis hujuſcemodi impēdere?Valuit ad illum plus divini cultus
obſervantia, cui bis mancipatus obſtrictuſq; eſt,quam Ariſtotelis præ-
cepta.Ad hoc:auderes tu Eugenium,& *D*uces reliquos amoris, furoriſ-
que lymphatos flammis , errones , & officio erga *R*eligionem , &
Cæſarem extorres circumducere per ganeas , & luſtra baccantibus
propiores ? proinde ne Fratri meo incuſes, ſi hiſce abſtinuit delira-
mentis , quibus & tu non temperare piaculi numero haberes . Age
porro, ecqua fides conſtaret eminentiſſimis Eugenij factis , ſi ea
fabularum involucris eſſent conveſtita ? an non ex eadem cera pro-
diſſe poſteri eodem cubito dimenſi crederent ? Quamquam hac par-
te omnium calculis ſi refragarer ab impura fabularum aſpergine
poemata detergens , non continuo ad Tenediam bipennem dam-
nândus forem : cum præſertim mihi videar ire , non ferri peda-
rium laturus ſuffragium , & utique ſi veritas adſtipuletur nunquam
multitudini ceſſura; quando bene queritur Plinius in epiſt. *plerum-
que numerari ſententias , non expendi* : & Livius : *meliorem partem
a majori vinci* . Igitur ſic argumentor . *Divina inſania poeſis eſt* :
(Quamquam huic ego dicto non ſubſcripſerim , ſed interdicus ſemper
refragabor , ut quod parum veræ Religioni conſonum eſt *aiunt in-
terpetres ſunt poetæ , divino inſtincti furore* , ut Plato lib. 3. Legum
finivit . Et in Phædro aſſerit , *non Hominum eſſe inventa poema-
ta , ſed Cæleſtia munera* . Vnde factum , ut idem ſapientiæ
Antiſtes Plato moriens poëtam Sophrona ſubiectum capiti vo-
luerit , tanti ab eodem æſtimatus. hic fuit ! Id ipſum Socra-

tes innuit, dum in Jone poetam non arte fieri, ſed afflatu diviniore contendit: & in Lyſide tantum poëtis tribuit, ut eos Sapientiæ Patres nuncupet & duces divinos. Argumento præterea apud illos eſt abſtractio quædam animæ, ſeceſſuſque a corpore, accedente utique ignoto aliquo furore & ingruente concitatione ferventiori; quì ergo Ariſtoteles poetis præſcripſit, ut poemata pullata fabularum ſtola obnubant conveſtiantque: debemus nempe & hoc Ariſtoteli, qui non ſatis ſibi duxit naturæ ſuis Formis compedes injicere, niſi & poeticæ divinitati affixiſſet: ni velis dicere & Ariſtotelem furore correptum, ubi hæc comminiſceretur, in ipſum regerens quod idem *lib: Probl:* inquit: *Philoſophos etiam quodammodo inſanire*: nam quid ita factum eſt, ut methodus, quam Homerus, aut prior illo qui extitit, tenuere, continuo in præceptum evaſerit auctore Ariſtotele? nempe ſi aliam Homerus iniiſſet viam, alia omnino ille præcepta effinxiſſet: abeat in malam furcam, qui ſic nobis impoſuit: & firma ſtent, quæ nos e ſapientiſſimorum penu Græcorum depromſimus: quodque ab ipſo ſubſiſtenti vero cæteroqui mutuari poſſumus, idque hoc ſit. Poeſis loquens pictura eſt, eo potiſſimum fine excuſa, ut lectorum animos lectione quæſitiſſimorum factorum, tamquam exemplo propoſito excitet ad virtutem, & imprimis ad pietatem, peritiam & bellicam virtutem. Exeat nunc aut Homeri Achilles, aut Virgilii Æneas, & committat ſe certetque Eugenio; ſed miſſo lymphatico illo: conferat quas a fabulis arrogatæ ſunt Æneæ virtutes (diſſimulata interim pietate, quæ vel nulla, vel manca tunc temporis fuit) ecqua enim illius virtus? dum conſpecto Polyphemo, cæco Homine, & uno claſſem univerſam convertere non erubuit, nec puduit confiteri

> *Incidere funem*
> *Præcipites metus acer agit, quocumque rudentes*
> *Excutere.*

Quæ peritia, ſummam rerum puero committere? quod & Juno ſugillavit in Venerem invehens: quæ generoſitas deinde non abſtinere a Turno inermi, dum *protenderet*

> *Ille humilis, ſupplexque oculos, dextramque precantem?*

Quid tale in Eugenio averſatus incuſes? quid in illo nō heroicum, non divinum prope redolens? Unde ergo opus erat meo Fratri a fabellis vindicatum nitorem Eugenio aſſerere? ut inde formatus lector ad virtutem exacueretur. Æqui igitur, bonique conſulas Candidate mi, nec laceres, quæ tu velles poſſe concinnare; & potens, hoc ferme pacto concinnares.

AD

AD SS. D. N. BENEDICTUM XIII.

Pontificem Maximum.

MAgne Pater, Summæ Matris qui cura, Deique es,
Virginis auſpiciis parta trophęa canã.
Dum porro hæc recolam, recolam ſimul ipſe triumphos,
Auſtriaci precibus quos meruere tuis.
Tu ſiquidem juſſus Carolum Legatus adire,
Rebus ut afflictis ille tuliſſet opem.
Quod præſens poteras, votis hoc efficis abſens,
Et Carolus ferro vicit, & ipſe prece.
Ergo triumphales ne dedignare libellos,
Si quid et offendent, deleat æqua manus.
Queis palmis oculi lacrymas, ſuſpiria pectus,
His operam impendat vel tua dextra precor.

Digitized by Google

Rev. D. Jacobus Martorelli videat, & in ſcriptis referat.

ONVPHRIVS EPISCOPUS CASTELL. VIC.GEN.

D.Petrus Marcus Giptius Canonicus Dep.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

SI Principum virtutes, atque magnorum virorum præclara geſta ſine fuco ac poeticis artificiis carminibus vulgarentur, ut non tam aliena quam propria niterent luce, utpote ſolius veritatis lumine illuſtrata, vi quadam potentiori in ceterorum hominum animos inſinuarentur, & ad eorumdem exemplar facilius componerentur mores. Ea propter cum Poematis hujus Auctor inviĉtiſſimum Principem Eugenium laudandum ſuſceperit tanta arte confecit, ut non ſine gloria fabulis & poetica illa comminiſcendi licentia omnino rejectis, dederit normam qua digniſſime Heroum Chriſtianorum laudes celebrentur. Et tantum abeſt ut aliquid hic invenerim quod vel fidem vel pietatem lædat, ut huic uni Auctor conſultum voluiſſe videatur, qua propter ſi novum hoc opus in lucem (quæ erit tua benignitas) proferri juſſeris, noverint omnes poſſe optime copulari cum temperantia Chriſtiana poeticam jucunditatem.

Neap. A.d.xiv.Kal.Martias. 1724.

Addictiſs. Obſervantiſs.
Jacobus Martorelli.

Stante ſupradicta relatione imprimatur.

ONUPHRIUS EPISCOPUS CASTELL. VIC.GEN.

D.Petrus Marcus Giptius Canonicus Dep.

EMI-

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO

SIGNORE.

DOmenico Roſelli publico Stampatore umilmente ſupplicando eſpone a V. Em., come deſidera ſtampare un Libro intitolato *Eugenius, ſeu Mariæ Virginis per Eugenium Trophæa* compoſto dal Reverendo Signor D. Franceſco Ceſare Prete Secolare Napolitano. Per tanto ſupplica V. Em. per le ſolite licenze, ed a commetterne la reviſione a chiunque li parerà, e l'aurà a grazia, ut Deus.

Reverendus Pater Botti videat, & in ſcriptis referat.

ALVAREZ Reg. JOVENE Reg. PISACANE Reg.

Proviſum per S.E.Neap. 1. 1723.

Maſtellonus.

Digitized by Google

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME

P R I N C E P S

PErlegi librum, qui inſcribitur *Franciſci Mariæ Cæſaris Eugenius, ſeù Mariæ Virginis per Eugenium Trophæa*. Et meâ quidem ſententiâ uberem in eo ingenii venam: jucundam rerum varietatem: accuratum latinè ſcribendi ſtylum, atque abſolutam Chriſtianæ Poëſeos imaginem exhibet Auctor egregius. Quadere non ſolum typis, ſed immortalitate cenſeo donandum; eòque magis, quòd Cæſaream Regiamque Juriſdictionem non modo quicquam non lædit, ſed juvat plurimum, cum Auguſtiſſimi Caroli Pietatem, Fortitudinem, cæteraſque virtutes, quâcumque datur anſa, ſuſpiciendas, colendaſque ſingulari ſtudio & conatu proponit; propoſitaſque tùm floribus, tùm Eloquii nervis proſequitur. Ita cenſeo.

E Collegio Maximo Neapolitano Noſtræ Societatis Idibus Febr. Ann. rep. ſalut. 1724.

Em. V.

Humill., Addict. atque Obſeq. Fam.
Joan: Baptiſta Botti Soc. Jeſu.


Viſa relatione imprimatur, & in publicatione ſervetur Reg. Prag.

MAZZACCARA Reg. ALVAREZ Reg.
JOVENE Reg. SOLAREZ Reg.

Provisum per S.E. Neap. 1 Januarii 1724.

Maſtellonus.

FRAN:



Obsequitur [1] Domino, et CAROLI præconia tangit
[2] Muſtius, [3] Thracum alleat quo bellicus ardor.

Ant. Baldi In.
Maillar Scu.

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

BIBLIOTECA PROVINCIALE DI NAPOLI

LIBER I.

N.1. P*ropoſitio.* N.2. *Eugenii,*
N.3. *Et SS. Virginis invocatio.*
N.4. *Viſirius libidine belli ſibi profecturi diſtrictus clam ſeditionem excitat, ut voti compos fiat.*
N.5. *Turcarum Rex Concilium vocat, & Muftiam quid de bello ſentiat ſciſcitatur; ſignificans illi uni, quâ poteſt arte, ſe a bello Auſtriaco abhorrere.*
N.6. *Id ſubolet Muftio, & ab eo bello temperandum edicit; quia & fides initæ pacis, cujus tempus non exierat, & Turcarum ſegnities, & Germanorum virtus id ſuadeat.*
N.7. *Addit a Caroli virtute, et Eugenii fortuna abſtinendū;*
N.8. *Caroli dotes ut fuſius exequatur, proloquitur.*
N.9. *Tribus argumentis deterret Turcas, ea ſunt Carolum magnum Militem, Ducem, & magnum Regem eſſe.*
N.10. *His dotibus a magno Magiſtro Leopoldo Patre imbutum aſſerit Carolum, & ab hoc non præcepta modo, ſed & ſpem, & vota Patris ſuperata.*

N.11.

Digitized by Google

N.11.*Et plus Carolum profeciſſe in arena Martis, quàm ſub Patris diſciplina, ibique egregij militis partes abſolviſſe.*

N.12.*Id comparationibus variis exprimit.*

N.13. *Infert Carolo ruenti fruſtra objici vallos, & alia; iiſque objicibus irritari, non retundi ejuſdem virtutem.*

N.14.*Subjicit Carolum ſic agentem & ab hoſte, & a ſuis triumphum agere; & affectare majeſtatem, ut ſic melius inſtruat: dum ſocius in periculis adjuvat, teſtis explorat, & judex pro merito compenſat ſacta.*

N.15. *Attexit a Carolo æquante ſe ſuis veram & regiam initam viam augendæ majeſtatis.*

N.16. *Queritur Muſtius non egregium modo militem Carolum eſſe, ſed et Ducem.*

N.17.*Commendat illum a peritia inſtruendi exercitum, ducendi, & cæt.*

N.18. *Laudat a morum candore, & contemtu majeſtatis; & quod ea ratione Carolus ſuorum amorem exigat.*

N.19.*Addit quod cum hac ratione coactus pene amor exigatur, proinde impenſius illum amare, ut ſincerus militis amor reſpondeat, quod pro votis evenit.*

N.20.*Infert, quod nequeat ceſſare miles, ubi Carolus adeo dilectus init pericula, & quod miles non expectet imperium, ſed ideo præveniat, quia Carolus eo non utatur.*

N 21. *Tum quam hic Caroli amor ſit potens conficit ex periculis, in quæ Barcinonenſis ſe populus projecit.*

N.22. *Turcarum Rex orationem trahi jubet. & quare.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Proloquitur dicenda: prius Ducis, inde precatur
Divæ Matris opem. Thracum dux bella tumultu
Cudit; ut hæc vitet, Caroli quâ militis iras,
Quâ Ducis invicti Muſtius concinit artes.

EUGENIUS

LIBER I.

N. 1. EU-ropæ GENIUS, fœdis qui cladibus hoſtem
Perculit Iſmarium: & Dacos, Mæſoſq; receptos
Primũ ope VIRGINEA fretus, tum CÆSARIS armis
Aſſeruit: dum carmen erit mihi: vana faceſſant
Nomina Muſarum, cedat commentus Apollo.
Quandoquidẽ qui carmen, erit quoq; carminis auctor,
Et qui materiem, vires, ut dicere poſſim,
Sufficiet: qui dux belli, dux bella canentis.
Idem Phœbus erit demum, vatiſque Camæna:
Qui fuit in fractos Mavors, Bellonaque Turcas.
N. 2. Ergo age Palladiæ Antiſtes, Martiſque paleſtræ
Huc ades, & noſtris præſens adlabere votis
Inclyte DUX: dicam tecum bella horrida, bella
Mæonio vati, vel formidanda Maroni.
Non ego Danubium metuam tranſmittere cymba
Te Duce, ſeu tenui lituo turbata fugare
Agmina; non hoſtes inter, non ire per enſes,
Ut linguâ referam, dextrâ quos ipſe triumphos:
Omnia ſi vero numeris abſolvere nitar,
Seclum erit: accingor curſim libare canendo
Quæ magis arrident, quæ prætermittere credam
Eſſe nefas: procul a noſtris ſit fabula metris,
* Quæ nata eſt inopi rerum ſervire Camænæ.
Pauca mihi e multis nimio relegenda labore;
Queis ut vera fides, credent commenta nepotes.

N.3. Tuque o, quæ miro prorſus cum fœdere Virgo es,
Et Mater: cujus ſacris invita, volenſque
Utraque Luna ſubeſt pedibus; ſeu tempora Thracum
Quæ tegit, aut aperit vario quæ menſtrua vultu
Tempora; tu felix adſis, tu conſule: lumen
Ceu tu reddis hebes, Geticique infecta clientis
Sanguine, & invitæ frangis ceu cornua Lunæ:
Sic etiam radiis, Lunæ ſic Diva volentis
Uſa miniſterio tenebras nunc diſcute vati.
Nunc ubi defectus geminos, quos barbara paſſa
Luna dolet, ſeclis nitar mandare futuris,
Sanguine non piceo, quem ſæpia fundit, at illo
Quem Thraci expreſſit Carolus, virtuſque Sabaudi.
rrisDavidi- Myſtica quæ turris (clypei mille unde, virumque
iille clypei dent ab ea, nis armatu. ortium. :des ſapien- Arma invicta ſonant) ſcuto tegis, inſtruis enſe
Eugenium: vati ſedes ſis deprecor illa,
In noſtrum fluit unde Dei ſapientia pectus.
Si duce te quicquid votis concepit, id omne
Obtinuit factis, atque ultra vota Sabaudus;
Auſpice te vati liceat ceciniſſe trophæa,
Quæ licet excedant vires, ſi vota ſecundes,
Certa fides, ſtrepitum litui ſonus æquat avenæ.
Sed nec vana fides, aderis quod Diva vocanti;
In tua nam recidunt præconia dicta Sabaudo,
elucidant * Et tibi tam laudis ſtudium eſt; quod vita perennis
, vitam æ- * Cedet in obſequii donum tua facta canenti,
iam habe- * Enixoque tuæ lucem ſuper addere luci,
t. Quæ terris, pelagoque, & lumen fenerat aſtris:
Inde ego defunctus curis ſtudiique labore,
Acceptos referam dictos tibi Diva triumphos:

Ut

Digitized by Google

Ut tibi jam retulit ductos de Thrace Sabaudus.
Nam tuus Eugenius ſolum ſibi vertit honori;
Quod ſe formarit talem, qui vincere poſſet
Te Duce Strymonios, vel quo tu milite velles
Strymonios vinci, Caroli cum viribus, hoſtes.
N.4. Jam geminis dudum flammis diſtricta libido
Odryſii ſub mente ducis nova bella coquebat.
Ventilat hos ignes geminis ceu follibus ictos.
Hinc paſſim edendi ſtrages, lateque cruorem
Fundendi ſitis: inde fames jejuna parandi
Divitias: * quarum ſegetem Mars obiicit ultro
* Ad ducis arbitrium, quo judice cuncta geruntur;
* Is ſua prætexens uſus ſub nomine furta,
* Et Regem, & ſocios juxta populatur, & hoſtes.
At conclamatam belli Viſirius anſam
Cum vidit: pacem poſtquam ſanxere Latini;
Qui quondam obtulerant Turcis jam ſemina belli:
Sive quod attriti rixis civilibus ipſi,
Sive quod adſciſcunt belli in commercia Thraces:
* Queis poſt alternas clades, vacuoſque triumphos
* Et merces operum cedit, fructuſque trophæi.
His animadverſis animos adjecit ad aſtus
Dux Thracum: & populi promptas, & militis iras
Ad bellum exacuit, Regemque incuſat inertem,
Sermoneſque ſerit, queis pacem averſus inanem
Carpit, & a bello ſcateant quæ commoda jactat:
Subiicit his furta, & prædas impune reductas:
Clam vero id cautus præſtat, bellique miniſter
Ut fieri affectat, ſic abnuit auctor haberi.
Conſilium arridet; ſtudiis & militis æque,

Et populi acceptum: cæcis hinc motibus orta
Seditio exarſit; Regiſque ad tecta frequentes
Et plebs, & miles coëunt, velut agmine facto.
Regemque inſimulant ſegnem, bellumque precantur.
Conſenſus juvenum, vulgique frequentia movit.
N. 5. Haud mora: Rex Ciconum metuens ſibi, cogit in aula
Militiæ proceres, & plebis ab ordine primos:
Et quamquam averſus (gentis ſed ut ira ſeneſcat
Obſequii ſpecie) belli confeſſus amorem eſt.
Si tamen expediat, princeps ſi rite Sacerdos
Subſcribat: cujus dictis gens conſona pendet,
Et ſtulti capitis voces, oracula Cœli,
Magoniſque putat falſo reſonantis ab ore.
Hic ergo accitus Regis cum venit in aulam;
Sic illum alloquitur dubia cum voce Tyrannus.
O ſacer interpres Cœli, Magonis & heres
Quam mentem inſpirant Superi, quæque indita certo
Colloquio Magonis ineſt ſententia verbis
Haud dubiis aperi, bellum, pacemve ſequemur?
Aude animis: bellum te judice, paxque placebit.
Si belli ſtudium eſt: Urbes placet ire receptum
Quas prædo Auſtriacæ gentis mihi nuper ademit?
An remex Venetus furiis erit hoſtia noſtris?
Sarmaticuſne meis armis ſuccumbet agaſo?
(Sic decus Europæ Regem, populoſque verendos,
Et bello inſignes, tumido vocat ore, Tyrannus)
Quem velit edicas, ut Cœli juſſa ſequamur.
Te tamen admonitum vellem; quod miles, & omnis
Gens Thracum Auſtriaci me bellis alligat hoſtis.
Quo victo, reliqui caſum vel ſponte ſequentur:

Aut

Aut ſaltem facili cedent mihi marte triumphum.
N.6.Hæc ait, hæc vero cum verba noviſſima primis
Subjecit, tumidos animos, vocemque remittit
Perculſo ſimilis: verba interrupta ſubinde,
Dum loquitur, pendent: ille intermiſſa retentat,
Cuſtoditque, ſui ſenſus ne forte timoris
Confeſſus reliquis pateat; vult quippe Sacerdos
Hunc ſolus teneat: quo bellum avertere tendat
Auſtriacum, elidit voces timor Auſtrius ore:
Exprimit eliſas miles,Procerumque corona.
Denique ceu vocum ſenſus nullum abnuit hoſtem,
Sic quoque defectus vocis, ſic pallor & oris
Arguit Auſtriadæ ſe nolle indicere bellum.
Sermonum indicio, vultuque interprete mentem
Collectam aſſequitur, Regiſque Antiſtes adepto
Indulgens genio, & certus ſubſcribere votis
Incipit; intenti Proceres,Rexque auribus adſtant
Dum loquitur, belli incumbit cui ſumma movendi.
Muftium patrio dicunt hunc nomine Turcæ.
Cui vigor ingenii præſtans, viſque aurea fandi;
Sanguine nam Grajus, Grajas edoctus & artes,
Florida dum primis ætas adoleſceret annis.
Bella idem averſus, cum falſa in gente Sacerdos
Sæpe gradu cadat, adverſi quando alea Martis.
Demiſit tunc ille prius caput: inde ita fatur.
Rex Regum, piceique Maris dominator, & albi:
Umbra Dei, Solis fulgor, lux addita Lunæ.
Si mea religio, pietas ſi dicere juſſit
Me tua: non equidem claris nunc parcere verbis
Abſtineam: bellique reum mens conſcia nuſquam
Arguet, & fuſo culpabit ſanguine linguam,

Aut

Aut ſenſus animi, aut Cœli ſecreta tegentem.
Juratæ non pacis honor, non talia poſcit
Bella ſibi hoc tempus: jamdudum inſueta triumphis,
Et toties belli eventus experta malignos
Thracia deſcivit, priſcaque a laude remiſit.
At Germanorum caſtris exercita pubes,
Cui gradus ad bellum, belli quæ meta diremti.
Prodiga gens vitæ eſt, eadem formidinis expers:
Certa mori potius, quam tergum vertere: neſcit
Exceſſiſſe loco, flammis tonat, & rotat enſem
Vulnificum: illatæ clades, palmæque receptæ
Cladis amor, gentique novi certa arrha trophæi eſt.
Irrumpet fidens animi, & ſecura triumphi,
Et multa incumbet turmas convertat ut hoſtis;
Si ſecus eſt: vel obire ſtudens, vel dedere morti,
Jacturæque ſui renuens ſupereſſe decoris:
Impete tam valido, ſtipatoque ordine perget
In plures ut abiſſe unum, pluresque coiſſe
Credideris (concors adeo eſt incurſus) in unum,
Tam bene confertos, tantoque in prælia niſu
Audentes poterunt impune laceſſere Thraces?
Qui timidi in rixas, queis dextera ſegnis ad arma:
Quorum pugna, fuga eſt: quorum victoria, clades.
Et quorum numerus, quamvis ſit plurimus: idem
Se nuſquam in numerum, belli quem jura repoſcunt,
Digeret: effuſus ſine lege, ſine ordine curret,
Quo rabies, quo terror aget, furtique cupido,
Seque ſibi involvet: numerus tam maximus ergo,
Ne ſegetem obiiciat, vereor, quam demetat enſis
Teutonicus, reddat majori aut ſanguine palmas
Irriguas: noſtris ut poſſint creſcere damnis.

No-

Nomina nos: illi cenſent animaſque, manuſque.
N.7. Sint levia hæc: animo inſedit, graviorque recurrit
Terror ab integro, dirimit qui ſæpe quietem.
Hunc trepido incuſſit Caroli mavortia virtus,
Fortuna Eugenii: Caroli mens provida: dextra
Eugenii pugnax; jubet ille, hic juſſa faceſſit.
Mens prior imperii eſt, atque alter dextra Latini.
Heu par inviſum, diris heu nomina digna.
Nomina ſat geſtis, & nomine cognita geſta.
Eugenium ſenſit, vellem ne rurſus utrumque
Sentiat infelix geminato Thracia luctu.
* Sed ſi jus belli eſt, victi laudetur ut ore
* Victor, & inviſo virtus recolatur in hoſte:
Quâ potero amborum recolam præconia dictis.
Horum forſan honos nobis tutela futura eſt:
Morsque aliis illata, ſalus tua Thracia fiet.
Dum refero his laudes aliorum cladibus emtas;
Ne recolant alii noſtro cum ſanguine pactas
Efficiam, tu ſumme Pater, tuque alter ab illo,
Et columen noſtri Magon mihi verba miniſtres,
Et pondus dictis, faciles & Thracibus aures.
Ne Carolum, Caroliqüe Ducem, pubemque laceſſant.
N.8. Quam mea, quam gaudens vellet mens cōſcia laudes
Auſtriacas texiſſe ſinu, quam tollere Cœlo
Thracas (at ut conſtet menti concordia linguæ)
Obtrectat mihi cana fides, meque illa negantem
Huc adigit, quod vel gentis, Regiſque, meique
Proditor, aut hoſtis fiam laudator oportet.
Aſt vero aſt utinam liceat componere laudes;
* Has qui concinnat, meritum ſæpe evehit ultra,

* Quem

* Quem celebrat Procerem, & laudum venatur honores
* Eloquio primum proprio, cultæque Minervæ,
* Cum male mentitur præconia texere factis.
Sed mihi jejuno, & nudo ſermone canenda eſt
Auſtriadæ virtus, meque ingens copia rerum
Non inopem, at cultum faciet; doteſque fideli
Dum lingua expediam, tunc affectare videbor
Eloquii flores, numeroſæque artis honores.
Verum ego te Procerum, nobis veneranda, corona;
Teque prius monitum, Regum Rex maxime, vellem:
Quod dum de Carolo dicam, ſincera loquenti,
Illimiſque fides conſtat; quippe exprimit ore
Relligio voces, tantique oracula Regis,
Et mihi fingendo tempus non ſuppetit ullum.
Hoc etiam in patriam ſtudio vellem ipſe remiſſum.
Si vocem intendam: ſi lumina noſtra, manuſque;
Et ſi ſe geſtus dictis accomodat omnis:
Ne mihi vertatur culpæ; quippe inſita virtus
Hos agit injuſſos, & pacis cura tuendæ
Conſulto juſſos verborum hos ſenſibus aptat.
Neve ea mens nobis, nec tanta inſania menti
Ut Caroli ſtudeam titulis ſervire: peroſum
Execror, invidi nomen: mea cura, laborque
Spectat ad hoc, ut quem metuo, timeatur & idem
Thracibus:hoc ſtudium,& votorum ſumma meorum.
N.9. Credite Biſtonidæ cunctis in Regibus unus,
Quique vel à cunctis debet plus rite timeri
Is tantum eſt Carolus; Siquidem non ſanguinis ille
Jure, nec Auſtriaco quoniam de germine cretus;
Imperio adſcitus, virtus ſed martia virtus,

Et

Et vigor inſomnis mentis, ſpectataque dextra
Imperio aptavit, cum moles plurima belli
Incubuit Rheno, & Germania trunca jaceret.
Teutonici hunc populi, & Procerum conſenſus in unũ
Collatis pariter votis revocavit Iberis
A terris: fama quas ille impleverat ante:
Poſt vero adveniens major compertus ibidem eſt.
Utque ſuos adiit fines, Regisque corona,
Et clamyde auguſta Carolum Germania donat:
Atque ubi donavit, facta eſt obnoxia dono,
Obtulerat quod ſponte, ſciens non poſſe tueri,
Ni Carolo offerret regnum: nam mente tenebat
(Ecquas fugit enim, quorum non impulit aures
Didita per terras omnes ea fama ?) quod ille
Nudus, & inſtructus propriæ virtutis ab armis,
Atque inconcuſſi clypeo protectus amoris:
Non pede, ſed palmis tantum telluris obivit,
Tot maria Europæ vaſtos radentia fines.
Tempore quo fortis crines adnexuit enſis
Ad capulum, quâ lemniſci fluitare ſolebant:
Horridus ipſe enſis clavum exhibet: orbita fortis
Unde ſuo confixa axi eſt, jam neſcia volvi.
Natus & Auſtriadæ valida de cuſpide fulgor,
Quod reliquis eſſet ducibus damnavit ad umbras
Lumen; & ut ſtellas Phœbi lux orta, tenebris
Involvit; reliquis ducibus documenta fuere
Primitiæ ingentes, & libamenta laborum:
Et pluſquam invidiæ ſtimulos peperere ſtuporem.
Sed ſtupeant alii laudes, hos ipſe triumphos
Non eſt cur nimium mirer; quippe Auſtrius heros
A pueris Miles fortis, Dux inclytus, ingens

Rex fuit: ut Carolum faceret Germania Regem
His titulis allecta tribus: tribus anxius ipſe
Terreor: his nitar vobis inferre timorem
Thraces, ut a tali veſter mars temperet hoſte.
N. 10. Sic ille eximius miles, Dux martius ille,
Sic vere Rex ille ſuum Leopoldus ab annis
Inſtituit natum teneris, tamque indolis altæ
Ingenio, dociliſque Puer, Patriſque palæſtra
Profecit, ſuus inde Parens ut diſcere poſſet,
Cum jam maturus bello ſe martis arenæ
Credidit Auſtriacus; nitidiſque exarſit in armis.
Hic non exemplis tantum, monitiſque Parentis
Reſpondit Carolus, ſed vota exceſſit & ipſa.
At qualis, quantuſque fuit Leopoldus: ut inde
Metiri liceat natum, ſubtexere vanum eſt.
Centum illæ ſubverſæ Urbes, totidemque receptæ
A manibus veſtris, totque agmina ſtrata docebunt:
Hic Pater, hic inquam, ſibi vix promittere tanta
De nato audebat, nec jam blandita docentem
Spes deſideriis aluit tam grandibus uſquam;
Hinc quantum acceptus dum verſaretur in aula,
Hoc amor exarſit major, cum cernere coram
Non erat: * evadit cordis flagrantior ardor,
* Cum ſolita aſpectus oculi ſolatia perdunt:
Quod vero amiſſum eſt oculis, hoc annuit auris
Solamen cordi: gaudet, nec gaudia pectus
Jam capit: accipiens Genitor quod fortis Alumnus
Non ſolum exprimeret dotes, ſed vinceret omnes
Jam Patris: & monitis non tantum concolor eſſet,
Exempliiſque ſuis, ſed longe major, ubi illi

Se

Se ſors obtulerat: Carolus, mihi credite Thraces,
Cum ſeſe invexit campo bellator Ibero
Emicuit major, quam magni exempla Parentis
Reddiderant: illic, animum quibus imbuit, artes
Non ſolum explevit, numeros abſolvit & omnes:
Aſt operâ, & dextrâ promtus majora peregit,
Quam fuerant documenta: Patriſque adjecit ad artes
Marte ſuo: quid enim juvenem didiciſſe juvaret
Militiæ leges, ſi dextera ſegnis ad uſum
Mox foret? * hic uſus quicquid mens conſcia novit
* Exhibet explorans: idemque hic obtinet uſus,
* Miles ut evadat dextrâ, qui pectore tiro eſt.
* Ille duces, horumque gradus de milite format,
* Et diſciplina eſt, & belli certa palæſtra.
* Nam tirocinium docti præcepta magiſtri
* Vix primum inſtituent: pretium quod comparat artes
* Bellandi, eſt ſudor multo cum ſanguine fuſus,
* Et rerum eventus prudens, fiduſque magiſter:
* Areaque ad bellum felicior, alea belli eſt.
N. 11. Cum primum Hiſpanas adiit Rex Auſtrius oras
Has artes iniit, gradibuſque exorſus ab imis
Ad Ducis invicti raptim faſtigia venit.
Et campum ingreſſus, ſceptro, ſacraque corona
Rex erat, officio miles: mentiſque vigore,
Pugnacique animo, vel promtæ robore dextræ
A reliquis tantum diſtans, & cætera conſors.
Quippe nec elatus titulo, clamydiſque decore,
Cum res nata foret, belli cum poſceret uſus,
Inter primanos egit Rex Auſtrius, egit:
Non modo quæ tarda nequeam percurrere lingua,

Sed quæ vix ſperet, vix quiſque audacior optet.
Quis vallo invectus violentior, aut prior hoſti
Acrius incubuit? quis morti audentior ivit
Obvius? illa ſibi metuens a fulmine Regis
Huc illuc fugit, itque, reditque, & ſemper eodem
Momento occurrit juveni, quem evadere tentat;
Præpete quod vero curſu maturet abire
Mors procul, in cauſa eſt, vel adacti a fulminis ictu
Palluit: occurſu ne falcem in fruſta redactam
Frangeret Auſtriades: ſive abnuit obvia ferri,
Cui ſe ceſſuram norat de more triumphos.
Idque parum; verita eſt ardentem offendere Regem,
Quem neque terrifico teli cum turbine poſſet
Infeſtoque ſupercilio, vultuſque minaci
Aſpectu terrere; fugit ſi territus ipſe
(Ut comes is morti ſolitus, vel prævius ire)
Terror, & injuſſis raptim incuſſiſſe timorem
Senſibus haud potuit: * quem ſæpe, ut ſoſpite corde,
* Concipiunt ſubitis improvida pectora monſtris.
Mitto ego quas acies, quæ vicerit oppida mitto,
Quæ neque rauciſono Mars prædicet ore tuborum.
N. 12. Dumque ruis, dumq; arma rotas, dumq; ejicis hoſtes.
Queis ego te, juvenis juvenum fortiſſime, rebus;
Ne tibi collatæ ſileant, committere poſſim.
Saxum ingens, quod vi pluviarum abs rupe revulſum
In præceps ruit, & rapido atterit omnia lapſu:
Oceani excurſus, & inundans æquor in agros,
Cum Batavi aggeribus ruptis furit agmen aquarum,
Et nemora, & tecta evertit revolutus aquæ mons
Spumeus, injectos montes, atque obvia ſaxa

Cum

Cum ſternunt, pyrio natas de pulvere flammas
Auſtriaco conferre leve eſt in bella ruenti,
Quærentique viam medios aperire per hoſtes.
Hunc furor inſanus; neque enim Mavortius ardor
Hunc contra impellit pubes te Thraſſa: furentis
Audebis, poteriſne fugam ſufferre? prementem
Aſpicere incurſum, non inquam avertere, ſperas?
Magne Tonans: tuque o Magon dilecte Tonanti
Aut mentem adde tuis, Carolo vel ſubtrahe vires:
Hoc ſi fata ferunt, & ineluctabile bellum eſt.
Aſt equidem ſpero, quod nobis pacis amorem
Injicies, Carolo nuſquam reddamur ut hoſtes.
Hoſtibus hoc equidem noſtris vix imprecer ipſe
O Pater: in certam mortis prolapſa ruinam
Ne modo tot manuum pereant opera alta tuarum.
N. 13. Si quis at eſt adeo mentis vel lumine captus,
Aut adeo inſanum concepit corde furorem;
Ut ſibi, quà Carolum convertere ſperet, ineſſe
Menti artem, virtutem animo, vireſque lacertis
Crediderit, ſeptis fruſtra ſe credet, & armis.
Ne nimium; quamvis vires placuere, catervis,
Ne nimium quamvis laudes munimina, fidas
Quiſquis es: allicitur, non hiſce retunditur ardor
Obiicibus, virtuſque viri: fruſtra agmina, fruſtra
Contrahis, ut tentes infauſta pericula martis.
Ille viam ingreſſus rapidi ſe fulminis inſtar
Expediet caſus inter: nec conſita vaſtis
Fluminibus regio, nec paſſim anguſta locorum
Profuerint, ſpiſſæ quibus aſſidere phalanges.
Semita quà nulla eſt, quâque altis invia foſſis

Eſt

Eſt via, quæ nimio quærenda eſt ſanguine, quæret
Victor, inoffenſus; turmaſque intrudet ovantes.
Jungere nam foſſas, vallos evertere, montes
Excifis ſuperare jugis, tranſire fluenta;
Hoſte vel afflicto, pedibus vel credere juſſo
Eſt iter Auſtriaci majora in bella ruentis.
Certa fides dum bella parat, bella ardua patrat:
Et majora petens, vult agmina diſſita cogi,
Ad ſpeciem neglecta ſibi, quibus undique junctis
Grandius exertet robur, quo grandior hoſtis.
Ut Boreas, quando gelida bacchatus ab Urſâ
Incubuit campis violentior, ille myricas
Præterit, & tenues vix flamine ſtringit ariſtas:
Cum vero in quercus, annoſaſque incidit ornos,
Has contra nixu infeſto obluctatur, & urget
Acrior, has ima ab radice evellere tendit,
Impellitque, adigitque ſolo, totuſque laceſſit.
Sic ubi jam campo Carolus totum agmen adeptus,
Crede mihi, puncto invadet, vel ſternet eodem.
Direxiſſe aciem, directam impingere in hoſtem,
Hoſtem armis affligere, erit pene impetus unus.
Segnius auguſtam in puppim cadet ira furentis
Turbinis, invadet levius, ſcindetque rudentes
Mitius, arreptamque baratro involvet hianti:
Auſtriaci Regis, quam proterat impetus hoſtes.
Caſibus in cunctis princeps operâque, manuque
In primis aderit: cernet conterritus hoſtis,
Et plures Carolos unum finxiſſe putabit:
Sive quod in plures Carolus diſceſſerit unus,
Queis eadem virtus, omni diſcrimine major,

At-

Atque omnes caſus, quæ confidentia ſpernat.
Auſtrius hæc audens, non ſolum ex hoſte triumphos
Afflicto; aſt etiam torpente a milite ducit
Teutonico: ſi forte aliquis ceſſarit in arma.
Et qua Rex opera perculſos disjicit hoſtes,
Hac agit, hac animos acuit, revocatque ſuorum
Exempli imperiis juſſos, actoſque pudore:
Otia dum ſociis proprio feciſſe periclo
Affectat, dum ſtare loco negat impiger, & dum
Militis intrepidi dextrâ detrectat abuti.
Nam licet excellat meritis, & Regis honore
Emineat, ſociis ſeſe de millibus unum
Eſſe putat, talemque gerit, quo nomine major
Aſſurgit; quando melior ſeſe omnibus æquat,
Mortaleſque regens mortali ex ordine gentis
Se meminit: felix miles, ſi nomine quemque
Compellat memori, & cujus virtuſque, fidesque
Freta ſibi tantum eſt, nec egens interpretis ore,
Qui pretio indigno vendat ſuffragia dignis,
Et Regi emeritos referat; quando adfuit ipſe
Et comes & teſtis Carolus: felicior inquam
O miles! cujus ſtudium, bellique laborem
Et tamquam exactor Rex ipſe intendit, & idem
Rex tamquam ſocius relevat: judexque probatum
Luminibus facinus propriis dein munere donat.
N.15. Ter quoque Rex felix, felix induſtria Regis,
Qui non incumbens ſervili ſarcina tergo
Ire Hominum ſuper ora ſtudet; verum ille Latinos
Se reliquos ſupra Proceres famæ evehit alis.
Gaude age, & hũc effer (reliquos quippe eminet ultra)

Au-

Auſtriæ Rex, ſeque hoc titulo modo gloria jactet.
Quod tua majeſtas, ſupra quam regia, pactum
Excudit, rectamque viam, qua tendere poſſit
Altius; augendi ſiquidem cui nulla decoris
Eſt ratio, ut primi faſtigia tollat honoris
Submittit ſe ſponte, gregi vel militis æquat,
Jam ſecura ſui, jam nullo obnoxia damno.
* Hinc eadem quanto ſemet ſubjecerit ultro,
* Hoc magis erigitur, ſeque ipſa excelſior extat
Militis, & plauſu, & ſtudiis excepta faventis.
Hic titulus, quamvis Parii non indice ſaxi
Redditus, & quamvis pretium non augeat auro,
Æternum vivet monumento inciſus honoris.
* Fallitur ah nimium, quisquis ſibi quærere credit
* A fictis laudem titulis; cum gloria vera
* Judicio ex Hominum, tacitaque a mente petatur.
* Quid tituli evincunt, ſi quisquis legerit illos,
* Corripit hinc anſam, regeritque in dedecus olim,
* Aſſeruit quæ quiſque ſibi mendacia laudum.
Se reges alii jactent, & nomina centum
Regnorum appingant titulis: * aliena putanda eſt
* Laus ea, vel fallax, dum ſorti accepta refertur,
* Non meritis: merito Carolus ſe nomine jactet
Militis, hoc uno incedat lætatus honore.
N.16. Atque utinam his tantum contentus laudibus iret,
Et Ducis aut exors meriti foret ille, vel artis
Inſcius, haud omnes nunc ipſe intendere nervos
Niterer: ut veſtris fiat communis, & hoſpes
Pectoribus terror Thraces, quo torqueor ipſe.
Scilicet inſigni cinno ſimul implicat ille

Mi-

Militis ardorem, cauti Ductoris & artem.
Et magis explicitas partes tunc explet utraſque,
Cum magis implicuit: forti ſi prælia dextra
Miles init, nutu Ductor ſi digerit agmen:
Militis haud Conſul, nec miles Conſulis obſtat
Officio: Dux ille ſuis, ut vincere norint
Conſiliis uſi: Mileſque, ut vincere poſſint,
Vaſtatorem enſem, ſtratumque iter enſe ſequuti.
Neve his diſtentus curis jam pendet; eodem
Sed puncto Carolus mandat facienda, facitque.
Non hic expediam partes obeuntis utraſque
Quam bene virtuti Caroli ſors conſona ſemper
Reſpondit, vexilla Ducis quam fauſta ſequatur.
Non minus ad bellum virtus ſe comparat ante,
Quam poſt arridens patrat ſors proſpera bellum.
Quicquid inaceſſum, vel ineluctabile dici
Uſque adeo potuit, tam pulcri nominis omen
Exuit aut ultro (quando ſibi duxit honori
Vix bene conſpectæ Caroli ſuccumbere dextræ)
Aut expugnatum eſt, ducis intractabilis impar
Virtuti: ſeu forte virum vis ſtrenua, ſive
Ardua ſit muri moles adamante rigentis.
Mente quod intendit magnâ, dextrâ ille fideli
Obtinet: ut jures & velle, & poſſe quod uſquam eſt
Ejus in arbitrio ſociali fœdere junctum.
Et niſi conditio Regis, cui nulla libido eſt
In vetitum, genio nulla indulgere voluptas,
Quod licet id vellet, ſolus dominetur in orbe.
Jam dudum occiduis populos junxiſſet Eoos
Imperio adjectos, ſi jus poſuiſſet in armis:

Ni recti imperio juris compeſceret auſus;
Quippe poteſt, quodcumque viri vult inclyta virtus.
Omnia quod poſſit non eſt cur mirer, at ultro
Invideo, meritis quæſita potentia ceſſit.
Quæ nempe invictum, vincentemque omnia præſtent
Auſtriacum dotes, proprio vel marte redemit,
Aut eſt ſortitus; quando indulgentia Cœli,
Quâs reliquis partita fuit, congeſſit in uno.
N.17. Quis Thracū ſperet, quamvis veteranus in armis,
Auſtriaco melior fraudes noviſſe, doloſque?
Ut ſtruere, ut ſtructo poſſit ſe liber ab aſtu
Explicuiſſe, doloſque ſuum convertere in hoſtem?
Cui magis effectu, & ſignis perſpectior uſus
Agmina ducendi, ſeu quantum deſtinet agri
Agminibus ſpatium, capiat quot terra maniplos?
Quod munimenti poſſit prætendere campis,
Quì condenſandus, conſpiſſandusque ſit agger?
Hunc male ſarmentis ne proluat unda ligatum,
Si paulo editior plures aſſurgat in ulnas.
Hunc porro Auſtriades adeo concinnat ad unguem,
Obtineat quod pene vicem muniminis, omnes
Hoſtis ad aſſultus, largoſque invictus ad imbres.
Novit & ingenio Carolus, compertus & uſu eſt,
A latere, a tergo, rectaque a fronte; ſoluto
Si campo incurrant hoſtes, quid debet inire
Conſilii: poſſitne acies incondita? poſſit
Ordinibus digeſta ſuis ſe offerre periclo
Prægreſſa? an vero excedat mentita timorem,
Ut fortem arripiat melius poſt terga morantem?
Quæ via, quæ ſpecies cuneo? quadratus, an idem

Ex-

Extenuans cornu melius contendat in hoſtem?
Sarcina quâ tute ſedeat: quâve agmen inerme
Rejiciat? qualis, quanta & cuſtodia danda?
Unde opportune quærantur pabula, & unde
Copia lignandi, vel aquandi tuta facultas?
Hinc nil ille timet factis præſtare, quod olim
Se bene facturum novit; mens conſcia fortem
Audentemque facit, nec ab auſis diſſona dextra eſt.
N. 18. Hæ mentis dotes: animi quis dicere poſſit
Pro meritis? nil ille ſuo, genioque ſuorum
Indulget: * virtus ingens hæc Principis ingens
* Hortamen juvenum eſt, aliis prohibere, quod ante
* Dux ſibi jam vetuit. Carolus tunc ergo præeſſe
Se rite imperio, quando prodeſſe putavit
Exemplo: nec ſolum animis, ſed militis ille
Luminibus ſeruit, morum fiducia tanta eſt.
Et ſibi perſuaſum eſt, tunc illi militis uſum
Permiſſum, mentem cum militis imbuit arte.
Hinc ut contingant meliora exempla docentis,
Imperio gaudet, vel majeſtate jubentis.
Iſque honor in pretio, reliquis qui proſit, habetur.
Dumque oculis vomit ille, habitu dum fulgur ab oris,
Inclyta Majeſtas Regis qua luce laceſſit,
Et quo ſpectantes acies ſplendore retundit,
Hoc juvat, hoc revocat perculſam a crimine mentem,
Hoc agit effuſas, quoquo velit ire, catervas.
Sic etiam obtutus hebetat quo lumine Phœbus,
Conſulit hoc ipſo nobis, aperitque pericla,
Mortaleſque operi reddit, ſolitoque labori.
Id porro in cauſa eſt, Carolum ne largior uſquam

Vis rerum in luxum effundat, nec plena facultas
In venerem: vix nempe ſibi permittere gaudet,
Quod deceat, non quod liceat: gaudetque licere
Plura ſibi, quo plura neget: quem copia ditem
Reddidit, hunc ipſum parcus facit uſus egenum.
* Rarus honos, rara eſt virtus; ubi copia rerum
* Affluit, immunem vitæ jactare tenorem,
* Nec turpi ſcelerum mores offundere labe.
Sic decori vertes luci, quod eburnea ſemper,
Semper & illimis limo verſetur in ipſo,
Frigida quod flammas inter Salamandra moretur.
Hæc animi integritas artus exundat in ipſos,
Nec ſinit effluere, & ſolido dat robore vires,
Et firmat nervos, ſervatque ad bella cruorem.
I age, quid ceſſas? belli cui cæca libido
Bella move, lecto cedens in Martis arenam
Deſcendas ferus, e gremio digreſſus amicæ
Multijugæ occurras Carolo: dextramque potentem
E Veneris rixis vadens ad prælia Martis
Viribus exhauſtum, corpuſque exangue laceſſas.
Quin tenor is morum, & nivei candoris imago,
Quam pius Auſtriades teneris oſtentat ab annis
Magnum neſcio quid præfert: quave obligat arte
Militis obſequium caſtis reverentia nata
Moribus, aut qua vi cogens mereatur amari.
N. 19. Nec tantum exemplis, quantum vel amore ſuorũ
Pellicit obſequium: * vitæ vis magna pudicæ eſt,
* Officium ut redimat; verum cum pene coactus
Iſte ſit affectus, ſecum indignatur, & inde
Non ſeſe intendit; quoniam vult liber haberi.

Hoc

Hoc ſtudium erecti cordis, quo quilibet optat
Aſſerere a vinclis ſenſus, enervat amorem.
* (Si ſincerus amor, qui non & liber habendus)
Qui quoniam impatiens Domini eſt, ubi forte coactus
Vel tenui imperio: tum degener indole fiet.
* Aſt amor impenſus ſecta ſublimior alta eſt:
* Quo minus affectat regnum, præſtantius ille
* Obtinet, & qua vult idem ratione remiſſas,
* Hac melius ratione vices, hac exigit arte.
Quam bene conſilio Caroli quærentis amorem
Militis intactum, & robuſta compede vinctum
Res iit: hanc, quando verax & regia viſa eſt,
Hanc iniit Dux ille viam: vincire liceret
Talis ut officii vinclis cor militis: unde
Hoſtis, & hoſtiles nixus vincuntur, & artes.
* Lubrica ſpes, ſumtus luſi, præpoſterus ordo,
* Ni merito obſtringas ſocios, inhiare trophæis.
Hinc bene ſucceſſus reſpondit, & omine fauſto
Obtinuit votum Carolus, cui militis ante eſt
Promeritus ſincerus amor, cui miles ad unum,
Haud ſecus ac juſſus, veluti mens omnibus una
Jura daret manibus, ſive uni obnoxia menti
Dextera pareret quævis: invectus in hoſtem
Impete præcipiti tendens, atque ordine denſo,
Nec ſemel, at quoties eſt pugnæ copia facta:
Hoſtis ut aſpiciens, ac primum lumina falſus,
Non plures acies, mortalem at duxerit unum
Conflatum agminibus: ni protinus error apertus
Innumeris plagis, & multa cæde fuiſſet,
Conſenſu unanimi conſpiraviſſe cohortes

In

Digitized by Google

In clades, unamque viri retuliſſe figuram.
Sic ubi præcipitis rota turbine volvitur axis,
Aſſere perpetuo ſylvam jurabis euntem,
Non jam diſcretam radiis; fuga ſcilicet ipſa
Nectere diſtinctam, ſecumque aptare videtur.
Ut vero tanto irarum certamine nitens
Concita corripiat pubes iter Auſtria juſſum,
Propoſitum menti ſtudium ducis arma ſequendi
Efficit: inque pedes cedens e pectore, plumas
Addit amor, furiaſque ducis partitur in agmen.
Quippe aliter conferre gradus, æquare ruentem
Quis potis? Auſtriadæ quis demum aſpiret ad iras?
Exhibita a Carolo (pugnas ubi contrahit ille)
Horrida, vel viſu dicam ſpectacula grata?
Nam ſunt grata magis, quanto plus horrida viſu;
Is ſiquidem timidum quoties invectus in hoſtem
Non ruit, at Zephyris volat ocior: iſque volatus
Quocumque incubuit, quoquo divertit, ibidem
Virtutis monumenta ſua, ſtragiſque reliquit
Hoſtilis: laceris erumpens nubibus ignis
Sic fugit, & fugiens flammæ veſtigia ſcribit.
Dum ferit Auſtriades porro tali impete pugnam,
Et nixu certatim uno ruit Auſtria pubes:
Quam ſeges armorum terret proſpecta tuentes,
Hoc armatorum concors conatus, & ardor
Delectat: dicas illos certare viritim
Non jam communi cauſa concurrere: ſummam
Quæ cunctis, ſoli ſibi quiſque incumbere credit,
Omnibus unius, quique omnibus ardor & uni eſt.
Omnes unus amor Caroli rapit; ejus amore

Uſ-

Uſque adeo exardet ſuccenſus pectora miles,
Ut potius ſedeat quodvis diſcrimen obire
Auſtriaden juxta, quam belli evadere caſus
Seceſſu, & potius ſtudeat reperire ſepulcrum
Adverſus poſt terga velit, quam ſæcla Sibyllæ
Sortiri averſus; voto pietatis inhæret
Nam lateri Regis, ficto non ille timoris
Obſequio: quando vultu, qui regia ſedes
Eſt charitum, irretit ſocios, irritat & una
Ad pugnam Auſtriades: vultu qui candidus index
Eſt animi: * ſolium metatur corporis aptum
* Pro meritis animi ſollers natura, licetque
* Colligere a facie, quis ſpiritus advena corpus
* Inſidet, & titulis implet cœleſtibus artus.
Spiritus hic porro, qui prominet inclytus ore
Auſtriaco, ſolemque refert in nubibus: ille
Ille animos agit, ille rapit quoquo innuit uſus
Hic vultus propria ſpecie, quam lurida præfert
Mors faciem, immutat, pulcramque evadere cogit,
Incutiat ne torva metum; quin vividus ipſe
Vultus, ubi ad mortem ſocii inconſultus, & ultro
Deprendi patiens male cauti ſigna doloris
Exhibet, & caſum lacrymis humentibus urget:
Tunc pretium ille facit morti, quam reddidit ante
Formoſam, plagaſque fovet, mulcetque dolorem:
Militibus ſic gliſcit amor, ſimiliſque furori eſt.
Impetus hinc illis venienti occumbere ferro:
Atque adeo merito tendunt vel vincere Regi,
Vel cecidiſſe pio, fletus mereantur ut imbrem.
Felices lacrymæ, ſcatebræ quæ roboris extant,

Et

Et fons lætitiæ; nam quamvis Auſtria pubes
Eſſe nefas ducat Domino gaudere dolente:
Comperto ſed enim, quod mœror is ortus amore,
Factorumque vicem reddi exigat: inde furentes
Lætitia præſtant quod quæritur: ite Geloni
Si ſtudium eſt belli, tales inceſſite turmas.
Ite alacres, juvenum numero vos credite læti.
Quandoquidem haud numerat, ſed vires æſtimat ille,
Concordes juvenum vires: exercitus hoſti
Hic placet Auſtriaco: pubes cumulata Getarum
Colluvies numero, turmæ vel inermis habetur.
Cui locus, aut animus, gladii vel deficit uſus.
Et quam vel linguæ, aut animi diſcordia turbans
Implicat, ordinibuſque ſuis involvit inertem.
At Caroli ex paucis quis prominet ordine miles,
Promovitve pedem, paulumve excedere viſus?
Quis ſe ſubtraxit pugnæ, vallique labori?
N.20. An ceſſet miles; ſi dux quâ plurimus inſtat
Aut labor, aut ingens deceat diſcrimen obire?
Impendit communem operam, commune periclum
Primus init, ſociuſque ſtudet, non teſtis adeſſe,
Cum ducis officium coluit; ſive exigit uſus,
Ut pedes incedat purus, vel tendat in hoſtem
Loricatus eques: vadit, nec militis ullo
Se negat officio, & dextræ facundior actis,
Quam linguæ dictis, vix raris vocibus aures
Sollicitat, ſpiſſis contra ſed lumina factis.
* Ah male, qui tantum ſegnis jubet, ille jubebit;
* Quæ linguâ injunget ſiquidem facienda, negabit
* Actibus, ut fiant: dum vero fervidus implet

Mi-

Militis Auſtriades partes, hac obtinet arte;
Ut ducis & munus miles contendat obire.
Quoque argumento dux exercere recuſat
Imperium, cauſa miles pellectus eadem
Prævenit imperium, properatque injuſſus, & illi eſt
Ambitio, ut taciti nutum ducis occupet, utque
Præcocibus præſtet factis, quæ vellet agenda,
Quæ dux mente coquit: * conſtat tum bellica conſtat
* Diſciplina; ſibi Ductor cum quærit amati
* Militis obſequium, cum miles reddit amato.
Vos quoque, vos inquam proceres gaudete Geloni,
Tam bene qui noſtis memores feciſſe merendo
Subjectas acies: ſoliti nam parcere vobis
Militis atteritis vires; moleſque laborum,
Macerat elumbes vobis cogentibus: inde
Muneris eſt inſtar merces fraudata, ducumque
Addicta in luxus, eademque exacta querelis
Vel ſcuticas, vel iniqua refert convicia linguæ.
O amor impenſus, o militis aptus amorem
Exigere! at procerum flectent exempla? quis ibit
Inficias? regerunt caſum dum ſcilicet omnem
Threicii proceres, an præſtat dicere teſtes?
In caput immeritum, laſſos & militis artus.
Atque ipſi interea gaudent ſecedere pugna,
Et procul inſpiciunt, alieno & ſanguine certant.
Quid mirum, ſi bella volunt, quorum alea nuſquam,
Semper at in proceres recidunt compendia noſtros.
Ut vero adverſas Carolus virtute phalanges,
Et proprias acies cumulo ſic vincit amoris.
Non tantum hac cauſa, quod eidem plena facultas
Obliget ut turmas, & amandi pignora reddat;

Sed quia majoris flammas intendit amoris,
Queis minor eſt ignis juvenum collectus in unum.
Quam porro hic habilis, vel quantum polleat ignis,
Cum ſemel inſedit ſubjectæ in pectore gentis,
Urbs ea ſit teſtis, cujus mens invida nomen
Perdidit, haud famam; Fratris quam morte coactus
Deſervit Carolus lacrymans, accitus habenas
Imperii regere, & Germanica regna tueri.
Aſt Urbs trunca licet, quamquam viduata Britanna
Claſſe, vel Auſtriacis eſſet nudata catervis;
Et quamquam auxilii miſeræ ſpes nulla ſubeſſet,
Non tamen idcirco jacuit popularis, amoris
Erectus, fretuſque armis: neve excidit uſquam
Ex animo, ut Carolus caris conceſſerit oris;
Et pene innuerit muris admitteret hoſtem
Urbs demum, tantis ne divellatur ab armis.
Arma armis, turmæ turmis, flamma addita flammis
Ingruit inſultans, & fulminis æmula moles,
Bombardiſque excuſſa bolis diverberat Urbem.
Obſtinat Urbs animos, ſemperque invicta repugnat,
Et ſpes hoſtiles in plures diſtulit annos.
Ac niſi ſors aliter fuerat, nuſquam illa recepta
Jam foret, aut eadem cognatæ facta Sagunto
Æmula, dilectos mox conſediſſet in ignes.
Nam cecidit tandem cecidit: felicior eſſet
Si belli eventus pariter felicior ibat:
Et nunc ni felix, eſt ſaltem clarior auſis;
Quippe ubi ſuccubuit ſorti; non victa, nec ultro
Succubuit, ſenſusque ſuos aliena tuetur:
Nec ſua jam infelix, dici tamen Auſtria mavult.

Nam

Nam Caroli conceptus amor licet omnia poſſit,
Non tamen evicit, caſus miſeratus amatæ
Gentis, ut hæc Domini dediſcere vellet amores.
Pro Carolo id miles, Carolus quid militis ergo,
Si referam, ſermo prolixior occupat annum.
Haud tamen haud durem, quin pauca attexere nitar.
N.22. Hæc ubi Muftius: ſic excipit inde Tyrannus
Threicius. Pergas omnes percurrere dotes
Auſtriaci juvenis; neque enim eſt cur parcere debes.
Anne fatigatas tantis a laudibus aures
Rere meas? demens ubi tecum talia volvas:
Si Carolus tenuis noſtræ virtutis imago eſt:
Si quota pars illi titulorum expreſſa meorum,
Exequere: in noſtram redeunt præconia laudem,
Cui cumulus dotum, & meritorum copia major.
* Conditio ſua cuique placet, compertaque virtus
* In vita alterius, fortique eſt gratia fortis.
Hoc cauſæ eſt, ut ſæpe (etenim ſcis ipſe) revolvam
Pellæi juvenis, Pœnique inſignia facta.
Quorum ego quâ meriti, quâ regni excelſior heres.
Parce, quid obloqueris? quem te mentire, typumque
Eſſe virum, & Caroli meritis prævertere jactas?
Tempus erit, cum bis croceum contuſus ad Iſtrum
Subſidet furor iſte tuus, pacemque rogabis
Supplicis in morem, proprioque fatebere damno.
Quam ſupra emineat Caroli te maxima virtus.



1 *Quos hoſtes ſuperet,* 2 *fluuium,* 3 *arcem,* 4 *septa* 5 *lacunas*
6. ***EVGENIVS,*** *timido* 7 *Muſtius ſubjicit ore.*

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS;

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER II.

N. 1. *Turcarum Regi obſequitur Muſtius, & reliquas Caroli dotes proſequitur: amorem pronum in militis commoda, parſimoniam, venatorias artes, curam erga implicitos morbo milites.*

N. 2. *Arguit deinde amorem militis ſolo amore ducis, non jam formidine exigi, & armis arma irritari. Infert Carolum non timere, & non timeri. Addit ejuſdem amori vicem referri a militibus intentis, ut ejus vitæ & honori conſulant: ut vero id præſtent non ſolum Regi ſtudere, ſed ſibimetipſis, ne tam bonum Ducem amittant.*

N. 3. *Juſtitiam Caroli Ducis expendit, & eam clementem: fidem habitam, ut militis obliget fidem: mox Carolum flammis comparat.*

N. 4. *Caroli Ducis aſtus, futuri prudentiam, & ſollertiam exequitur.*

N. 5. De-

N.5. *Deducit creſcere in milite animum ex prudentia Caroli Ducis comperta, et in Carolo ex virtute militis explorata.*

N.6. *Laudat Carolum ex membrorum duritie, ex robore, ex patientia.*

N.7. *Arguit Muſtius nequicquam objici Auſtriacis maſculæ virtutis turmis Turcicas, aut raptas a vomere, aut a ganeis recentes.*

N.8. *Addit fruſtra a Turcis ſperari Pannoniorũ (qui vulgo Hungari) auxiliares copias: tum quia plerumque ceſſerint victoriam Auſtriacis: tum quia illi virtutis fama acti venientem in Germaniam Carolum omni amplexi ſint obſequio.*

N.9. *Varia obſequii argumenta ab Hungaris Carolo exhibita.*

N.10. *Adſtruit, quod compertum Carolum melioris notæ, quam fama prædixerat, juraverint Hungari, ſi juris eſſent ſui, electuros eum Regem: utut Rex non foret: deinde monet Carolum, ut gratuletur ſibi ſi tam bene ſuæ gloriæ ceſſit Hunnorum defectio: ea gloria crevit a regno in melius redacto, nec jam timore, ſed exemplis.*

N.11. *Deducit fruſtra credi Hungaris, quos pene omnes una Romana Religio Turcarum mores ſolemni invidiâ exoſa retinet; quin ſi quis ab ea aberret, & hunc a munificentia Caroli auratis munerum vinclis inhiberi, ne ad Turcas deficiat. Addit artem Caroli donantis, qua efficit, ut ſemper debitor videatur ſuis.*

N.12. *Quærit unde ſuppetant tot opes Carolo, ſubjicit a parco earum uſu, ab induſtria, qua ſuis commercium Tyrreni maris, et Oceani aſſeruit: Infert demum fieri non poſſe, ut Hunni tot beneficiorum a Carolo, tot ma-*

lorum

lorum a Turcis acceptorum obliti, pro iſtis contra illum ſtent.

N.13. *Veretur, ne a Pannoniis majus damnum inferatur Turcis, unde hi ſibi pollicentur ſubſidium; et veretur ne vere mendax fuerit pauca pro merito dicendo: dum falſo creditus mendax eſt plura jactando: fatetur debuiſſe a ſe laudari Carolum vel in ſuis ducibus, maxime in Eugenio: id enim eſſe Caroli meritum inenarrabile, quod ſit ipſe magnus, et ſuos ſibi ſimiles faciat, ut magnes.*

N.14. *Rex Turcarum imperat Muſtio, ut celebriorem ab Eugenio conſertam pugnam referat, et qua de cauſa.*

N.15. *Audiens dicto Muſtius Vindelici Ducis virtutem proloquitur, ut pugnam cum Eugenio contractam adnectat.*

N.16. *Deinde pugnæ cauſam refert, quæ hujuſmodi fuit. Vindelicus Dux ſperans parvas Eugenii acies a majoribus ſubmotas occupare, movit. Præſenſit id Eugenius, et majores ad ſe avocat: imprudens facti Vindelicus confert caſtra: intelligens porro duplicatas vires, neutiquam conſternatur, ſi non facilem, glorioſam ſaltem ſibi pollicitus victoriam: ea igitur ſpe erectus munit caſtra: iis muniendis aliæ probabiles rationes.*

N.17. *Ea caſtra ob appoſitas lacunas tutiora aggreditur Eugenius: Ducis aſpectu alacritas Cæſareis refunditur.*

N.18. *Poſt transmiſſas lacunas ter a Vindelicis repulſi Teutones majori niſu invehuntur: nihil interim audentes qua parte Dux Noricus ingenti belli mole incumberet, qui quoniam omnem aggeris ambitum tueri non poterat, alio Teutones ſeſe inſerunt.*

N.19. *Furens Eugenius oculis ſubjicitur, cujus opera expugnantur, quæ remota erant à Vindelico ſepta. Flos*

mi-

militiæ duodena millia virorum dedunt ſe.

N.20. *Ad hanc aciem ſe dedentem Muſtii apoſtrophe admonentis, ut ſi minus velit exempla Vindelici Ducis imitari, illum ſaltem ſequatur: futura incolumis cum eo hoſtes affligente.*

N.21. *Virtus Vindelici Ducis commendatur a comparationibus.*

N.22. *Subtexit Muſtius nonnullas Eugenii laudes: eæ ſunt, quod non meruit modo ſub Lotharingo Duce, ſed factis excelluit: quod eidem juveni ſummam rerum credidit Leopoldus, & cumulatiorem hunc gradum Caroli vaſta mens reddiderit eidem.*

N.23. *Addit mortales hos Eugenii titulos parvi momenti ducendos, quos præterea illum ſummum adſtruit, quod Eugenio Virgo* Jeſſeia *militet, à qua omnis triumphus: monet Turcas, ut recurrentibus Virginis feſtis fugiant.*

N.24. *Viſirius quâ poteſt Muſtii orationem refellere conatur, aſſerens Turcas Muſtii culpis victos. Eugenium ſæpe vulneratum,* jactat *tot provincias Germanis extortas a Turcis: arguit non bene inferri victos ſemel Turcas, ſemper vincendos, erumpit in minas: deducit demum, quod etſi Turcæ ſegnes ſint, non alendam tamen, ſed excutiendam bellis eorum ſegnitiem: id exemplis conficit. Viſirio adſtipulatur Turcicorum equitum Magiſter.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Pannonicæ ſpem damnat opis: præconia ſubdit,
Quæ Carolo mens vaſta parat, virtuſque Sabaudi.
Eugenii attexit pugnam, meritoſque triumphos.
Diluere hæc tentat rabido Viſirius ore.

LI-

N. 1. HÆc ubi Rex: contra ſic ſubjicit ore Sacerdos.
Odryſii manes, nuper quos marte caducos
Elyſiis oris proprio gens ſancta cruore
Aſſeruit, fruſtiſque pio de pectore ſectis:
Hæc fruſta in Cœlum madidis infixa ſagittis
Altius intorſit Thracum pia turba, deditque
Vobis rite dapes, culpiſque piacula veſtris,
Si bene apud memores ergo ſtat gratia facti,
Huc oro Elyſia manes tellure remiſſi
Solvite vos Regi grates: cui cura nepotum
Tam pia, cui ſtudium noſtro parſiſſe cruori:
Vos animo ſenſus, linguæ vos addite vires:
Obſequar ut juſſis; neque enim tam læva, mihique
Mens adeo obtuſa eſt: nec me Rex inclyte fallit,
Quod facta Heroum gratas admittis in aures,
Qui norma Heroum es: me vero exterruit ira
Ex aliquot Procerum vultu collecta maligno;
Sed tibi ſi rident, hoſtis præconia rurſus
Expediam, tumidoſque animos ea dicta refellent.
Haud ſterilis Carolo eſt, latebra nec pectoris arctus,
Aſt operoſus amor, comitumque ad commoda pronus;
Namque ubi ſors læva, & rerum penuria adegit,
(Ut ſæpe in bello, ſeu deſolata negabit
Victum terra viris, gravior ſeu negligat uſus)
Ille ſitim tolerat, cyathos ut lixa Lyæi
Vertat hians: idem paſſus jejunia duxit,
Ut calo comedat: menti ſi forte libido eſt,
Conjicite hinc Thraces, quam parcus conſul in armis
Exstiterit Carolus; ſi quando exuberat annus

Nunc omnis Regi, & rerum vis affluit omnis,
Caſtrenſes epulas, cyathoſque a ſorte petitos,
Obvius utcumque eſt, offert, miſcetque miniſter:
Non illi in pretio, quæ parta eſt ſumtibus eſca;
Nec vitæ inſtaurat vires, diſcrimina vitæ,
Quæ ſapit humanæ, quæque explorata ſapore eſt.
Nil idem affectat volucrum miracula, neve
Arridet genio piſcis peregrina libido:
Non inhiat nivibus, calidi quæ ſyderis æſtus,
Quique nives hyemis flores vicere rebelles.
His ſpretis, ſæpe ipſe ſuo ſudore redemtas
Comparat, & dapibus geſtit depaſtus inemtis.
Expertis dextræ vires, & fulminis artem
Sylva feris, aer avibus tractabilis eſcas
Dat juveni; nulla eſt volucrum tam concita pennis,
Tam cauta ingenio, quæ ſclopum evadat, & aſtus.
Quæ fera, vel curſu, vel robore freta, vel arte;
Quin pede, quin dextra Carolus, vel mentis adeptam
Præſidio vicit? ſic ille ad prælia vires
Fervidus exercet, validos obdurat & artus;
Sic operam, ſic & munus, curaſque remittit
Militis, intentique Ducis, Regiſque: laborum
Solamen Carolo eſt, alium ſubiiſſe laborem,
Qui quamvis gravior, levius gravat: orta voluptas
Dejectæ de morte feræ, cæſæque volucris
Conſulit, & vires reficit, quas curſus ademit.
An vero hæc adeo ſpecies manſueta laborum eſt,
Cruribus enervis, fractiſque obeunda lacertis?
Aut digna ut Regum vires exertet, & artus
Aptet, & in pecudes Hominum jus proferat auctum:
Di-

Dignum opus Heroum eſt, & niſus Regius iſte:
Excutere a teſquis Urſos, prævertere curſu,
Sternere pugnaces; ſi vero bellua montis
In dorſum evadat, tutaque ab rupe minetur:
Adniti in ſcopulos, in adeſam obrepere cautem:
Dejicere hinc monſtrum, & geminos jactare triũphos.
Qui monſtra obtruncat, Thracum cervina timebit
Corda, & ſpectandas telis, & caſſide damas?
Sed nimis Auſtriaden inter deſerta ſequutus,
Et nimis a bello ſermo digreſſus: eodem
Nunc redeat: ne jam fiat diuturnior erro,
Quam Carolus, curis gaudens adhibere levamen.
E cujus ſociis, ſiquis vel ſaucius ictu,
Vel morbo implicitus non dedignatur adire,
Defectumque fovet, dextrâque obſonia tendit,
Agmina qua ſtravit, victas concuſſit & arces.
Affectus ſumens epulas, oblataque dona
Miratur trepidans, trepidat miratus, & hiſcit.
Hoc ergo imperium potiusne, an nobile credas
Servitium: ſi quo major, ſe projicit ultro
Majeſtas Ducis? *anne ſibi dum vertit honori
* Militibus ſervire, decus regale meretur,
* Majoremque refert ſpernens pro tempore faſtum?
Sic quoque multifidam nivea ſi fronde coronam
Lilia demittunt, terræque acclinia fundunt,
Communi obſequium ceu confeſſura Parenti,
Augeſcunt ſolitum terræ commiſſa colorem.
Sic etiam pomis quondam ſiqua arbor onuſta
Succumbat, diveſque ſequentia brachia pondus
Dejiciat; tantum ſpecies deformis honori,

Quantum oneri eſt: an plus ramis onus addit honoris?
N.2. * Nempe & confeſſa eſt, eademque ars una merendo
* Obſequio, ſe ſubjectis æquare: magiſter
* Inſidus timor eſt: animos non obligat ille;
* Sed qua ſervitium reddi formidine poſcit,
* Hac odium exacuit: miles nil acrius uſquam
* Invidet, ac operam: quam protinus ille negaret,
* Si foret arbitrii: quam ſic impendere debet,
* Haud ſecus ac placitam, & proprii jam juris obiret.
Quam bene cuſtodit Carolus, ne forte laboret
Ex odio: non ille timet, nec terret: * ab armis
* Arma irritantur: felix qui tectus amoris
* Excubiis ierit: tuti muniminis inſtar
* Eſt modo, ſi nullus fuerit muniminis uſus.
Nil Carolum, at Carolo miles timet omnis ad unum,
Ejus & ad caſus ſtat quiſque intentus, & arcet
Pro ſe nil cautus: vitæ quin prodigus idem
Projeciſſe animas in aperta pericula gaudet.
Quæque duci impendunt oblati ſponte periclis
In proprium caput avertunt: ea cura ſaluti
Ut ſit conſultum, quæ nec vulgaris, honori
Ut ſtudeant: nulli parcunt, renuuntque laborem,
Quo penſum accurent alacres, alacreſque jubenti
Porrexiſſe ſtudent æque dextramque, fidemque;
Mercarique Duci, proprio cum ſanguine, palmas.
Verum pro Caroli vitâ quam cura laborat
Militis intenti; tantum ſua commoda quiſque
Reſpicit, haud alium credens ſuccedere poſſe,
Qui genio indulgens adeo, vel prodigus erga
Emeritos ſubeat, qui lance exactior æqua

Vir-

Virtutem excutiens, dignis ſua munera reddat.
N.3. Juſtitiæ tam quippe tenax eſt Auſtrius heros,
Ut reliquos præter, ſi quiſquam acceptior illi eſt,
Non tamen hunc præfert aliis, queis copia major
Eſt meriti: an nullos idem dignatur amore,
Quos non commendat virtus, & martius ardor?
Non adeo verum Caroli clementia pollet,
Quin illam, tardo quamvis pede, pœna ſequatur.
* Quippe aliter belli prorſus corrupta labaret
* Diſciplina penes juvenes, queis ruſtica mens eſt,
* Et queis haud animus ſtudiis arrectus amoris.
* Segnitiem male cautus alit, qui parcit inerti:
* Nec fortes vult eſſe, negat qui præmia forti.
* Si male conſultis, ſi magna audentibus æque
* Dux favet, a culpis illos non avocat uſquam;
* Hos contra a ſtudiis exterret ſemper honoris.
Hinc ſi quis vanâ jaceat formidine, ſiquis
Pigritiæ cedat; nec tanti adductus amore,
Nec Ducis exemplis ſibi ſe commendat inerti,
Prævertitque fugâ bellum, tum juſtus amori
In Duce ſuccedit tandem furor: unde luendæ
Ille viam ingreſſus culpæ de crimine pœnas
Exigit, at longe plures formidine mortis,
Quam morte emendat; quod ſi non obtinet horror:
Tunc ſeſe ad pœnas adigi dolet ille; priorque
Secum animo patitur, quam pœnam infligere debet:
Et pius eſt, quando & juſtus: nec noxius ipſe
Obloquitur; facti ſiquidem vel ſolvere ſeras,
Aut infra meritum pœnas videt; utque dolorem
Vindicis edentem digno pro funere quæſtus

At-

Attendit, gemitus imo de pectore ducit;
Non quod ſupplicia hauſturus, ſed cauſa dolendi
In Duce quod fuerit: culpas ſic mulctat apertas
Auſtriades: ſed quod reliquum, quod majus habendũ:
Omnia ſcit, plura inſimulat, nece pauca coercet:
Conſilio aut fidit cunctis, vel fidere fingit.
* Vult credi ſibi quiſque: fides eſt pignus habendæ,
* Cum ſemel eſt habita, & quando fiducia major
* Eſt ducis; obſequium tum militis obligat illa.
Si bonus es Miles: melior ſi Conſul in armis,
Te quibus Auſtriade poſſim componere rebus?
An flammis conferre licet? ferus obvia quæque
Sternit agens, igniſque ruit; tu mente, manuque
Cuncta domas: ignis rutilat, tua maxima virtus
Clarior exemplis radiat; fovet ille calore,
Tu donis; idem audaci, lædique volenti
Noxius, & ſentit te noxia turba tonantem.
N.4. Quid demum fraudes, quid belli proſequar aſtus?
Dum metuit, metuenda parat; dum deſipit idem
Ad ſpeciem, ſtruit arte dolos, & pellicit hoſtem
Deluſum inſidiis; cum duxeris eſſe ſolutum,
Tunc aut cuſtodit, ne fraudi obnoxius extet:
Aut improviſus cervicibus imminet hoſtis,
Vaſa movens tacitis ſignis, ut clade rependat,
Quas illi maculas ſpecies erroris inuſſit,
Quaſque ignominias prudens incuria nacta eſt.
Omnibus eſt turmis error capitalis, & arrha
Excidii; ſi quid peccat dux noſter in hoſtem
Auſtriacum: vigilat culpas intentus ad omnes,
Imminet in caſus omnes: oblataque furtim

Facta

Facta in conſilium vertens: inde ilicet aſtus
Cudit, & errores errantis funere plectit.
Quam pro re natâ eſt varius, tam copia ſortis
Cum fuit, arreptâ tendit conſtantior uti.
Denique nil caſu peragit, juſſuque timoris,
Omnia conſilio: cavet omnia, & omnia mente
Præcipit, e ſpecula veluti conſpecta: nec ulli,
Qui Carolum fallant, aſtus; tempuſque, modumque
In conjecturis poſitum cum lumine mentis
Aſſequitur, penituſque aperit; neve excidit ore
Auſtriadæ vox illa levis: Nil tale putabam.
Quid mirum, ſi pro votis mox quælibet illi
Procedunt: nec, cum dubiis mars ſævit in armis,
Res nova ſuccurrit, quin natæ occurrere poſſit.
Sed nova mentitur, quo captum irretiat hoſtem,
Hinc alios iniens curſus, aliosque recurſus
Digreſſus, progreſſus iter, ſubitoque regreſſus
Intendit: variàque viâ palatus, apertùm
Ex improviſo veniens irrumpit in hoſtem.
Dumque movet, nil ille animi ſuſpenſus: ituque,
Et reditu ancipiti non ſolum membra fatigat,
Hoſtis at eluſi mentem; quo tutior uti
Sorte queat, quam non cautus vel detulit hoſtis,
Vel ſua dexteritas rapuit; ſic navita portum
Dum petere intendit, rapitur quo ventus adegit;
Semper at in portum collimans dirigit alnum.
Sic is ſemper idem ſpectat, non ſemper idipſum
Aggreditur, ſortemque ſuam, ſi proſpera ridet,
Arripit: adverſæ dubius pro tempore cedit.
Mature properat, propere maturat, & idem
Cun-

Cunƈta timet, quo nil timeat mox hoſtis ab aſtu.
N. 5. Hinc ubi jam cavit, quo paƈto vincere poſſit,
Quo non vincatur: tum vincere cœpit, & audax
Quæ bene facturum novit, facit omnia: quid quod
Militibus ſpectata ducis, ſpectata ducique
Militis eſt æque virtus? accedit utriſque
Inde animus; pariterque animis audacia creſcit.
Confidit miles; dum volvit mente futurum,
Ne mens læva Ducem, aut mentem ſors altera fallat.
Dux fidit; juvenum virtus quod cognita nuſquam eſt
Spes fruſtrata ſuas: adde his, quod ſæpe triumphus,
Qui jam præceſſit palmæ certa arrha futuræ eſt.
Quot decora enumerat, tot adactos ſentit uterque,
Et Dux, & miles ſtimulos præcordia ſubter.
Hi quemque irritant partos ne perdat honores:
Quos licet innumeros ſimplex corrumpere damnum
Poſſet, & illorum tenebras offundere luci.
N. 6. Quis porro Herculeas vires, molemque lacertorum
Immanem expediat, Caroli vel ferrea membra?
Hæc ita vel nata, aut belli durata per uſum,
Venatuſque malis callum obduxere labori.
Ut caſus obeat, virtus erectior illi;
Ut ſeſe expediat, quamquam ſatis artis, & uſus,
Roboris eſt nimium: princeps certamen inire,
Ultimus extracto ſolitus decedere bello.
Frigoris, atque æſtus eadem patientia membris;
Nec Carolum flammis deterruit Auſter Iberus,
Neve hyeme armatus Boreas Germanus aquoſa,
Quin Soles toleret, niveam quin pectore molem
Indomito trudat, glaciem perrumpat & amnis.

Quę

Quæ rebus ſupereſt actis datur hora ſopori
Suſpenſo: aſt idem non arceſſitus ab umbris
Noctis, & a ſtratis: ſternit patientia lectum.
Quid mirum eſt porro, ſi tota Europa trophæis
Obſtrepit Auſtriadæ, & toto jactatur in orbe?
Clarus ab aggreſſis per tot diſcrimina bellis,
Clarior effectu: conſtans & ſemper eidem
Sors fuit, æquales ſemper ceſſere triumphi.
Hic tuus eſt hoſtis, ſi ſperas Thracia, certa.
An vero tuus unus erit Rex Auſtrius hoſtis?
Quot juvenes, Proceresque merent, validiq;Tribuni;
Te contra totidem Carolos incurrere credas.
Tam bene Rex illos belli formavit ad uſum.
N.7.Uſque adeo ſperas? ſi tanta audacia cordi eſt,
Auſtriacis turmis, quas ille exercuit olim
Aſſiduis bellis, omni quas imbuit arte
Objicias Aſiæ, raptas a vomere, gentes;
Quaſque dat a luſtris, ganeiſque Europa recentes.
Ut poſſint curare, duces oppone trimeſtres,
Queis ſi luxum adimas, tumidoſque a pectore ſenſus,
Omnia ſuſtuleris, truncoque effeceris æquos.
N.8. Aſt horum tenui mentem: jactantia ſperat
Noſtrorum Procerum, primis nudanda periclis,
Vel Thraſſæ numero, vel robore vincere gentis
Pannonicæ: numero Leo gaudet. At affluet, inquis,
Venalis pubes, ferrum procudet & auro
Thracis: & Auſtriacas præſens proſternere, turmas
Proſternet: dices habilem, quam ſæpe rebellem
Vel Deus afflixit, vel mens ſibi conſcia culpæ.
Ut Deus evicit, dextræ ne ſerviat enſis,

F Sic

Sic quoque mens, animi furias ne dextra ſequatur.
Quæ ſibi dum pugnant, libertatique parandæ
Pannonicæ gentes Caroli ceſſere catervis:
Has tibi dum certant, tum vincere Thracia ſperas?
Credula ſpes, amens quicumque hac fretus ad arma
Te miſeram impellit. Verum intractabile bello
Sit genus, & Caroli poſſit viciſſe maniplos.
Quid tibi præſidii eſt? neſcis an Thracia neſcis?
Quod prius Auſtriacas Carolus quam venit ad oras,
Jam jam venturus, pubes tum Pannonis ultro,
Virtutiſne metus, rumorne coegit amoris,
In dubio; averſos animos, gladioſque rebelles
Exuit, invidiæ ſtudium ſucceſſit, & una eſt
Ambitio jam ſigna ſequi, jam caſtra tueri,
Quæ contra nuper ſteterant: inceſſit & ardor
Majori obſequio culpas abolere priores.
N.9. Quæque ope Germanæ victa eſt virtutis, & armis
Quæ gens ſuccubuit: pugnæ nunc ordine verſo,
In Carolum officiis, non armis vincere tentat
Teutonicum genus, & meritis præſtare cupido eſt.
Quid plura? ut Carolo mereant examine magno
Se ſponte offundunt Hunni: queis maxima merces
Auſtriacos dici: nec gentis copia major
Quærenti afflueret delectum indicere Regi,
Quam cum delectu parcit: Si Thracia quæris,
Quid velit hoc ſtudium, cur contrahat agmina pubes
Pannonis? immeritum regnis ſpoliare paternis
Quæ nixa eſt Patrem; Nato nova quærere regna
Mox ſtudet, offenſas inhians ſarcire priores:
Hæc una ambitio genti eſt, ea cura remordet.

Nec

Nec ſatis eſſe putant ad priſcæ oblivia culpæ,
Quod Regem amplexus Procerum conſenſus, & ore
Quod pleno cecinit conferta frequentia vulgi;
In ſua nam recidens id doni commoda ſentit,
Non Caroli: regnique ſtatum peſſum ire veretur,
Auſtriades rerum ſi dedignetur habenas.
Imputat inde ſibi, gens & debere fatetur,
Quod dono obtulerit Carolo regnumque, fidemque:
Tam magna ambitio populi, tam ſervit honori!
Tam multa eſt Carolo reverentia debita Regi!
N. 10. Mox ubi Pannonicis idem Rex accidit, utque
Compertus melior, quam nuntia fama canebat,
(Prodiga quæ reliquis, Caroli detraxit honori,
Dum jactat) populi jurant pro pace recepta
Pro Marte expulſo Regis ſe jura daturos
Conſenſu electi, ni ſanguinis ille vocatus
Jure foret: jurant quod ſi formare futurum,
Fingere vel Regem fuerit permiſſa facultas,
Non illi ſimilem legerent ſuffragia gentis,
Sed neque conciperent voto; licet optio detur
Non modo in externis, verum popularibus ipſis,
Quos erga aut cæcus, ſtudiis vel pronior ardor.
Res ita ſi cecidit, tanto ſi fœnore laudum
Evenit: tecum potius gratare, tuiſque
Rex Carole excelſis titulis, meritoque ſuperbus
Gaudia concipias; non indignere, monemus,
A Patris, & magni Fratris quod Pæones olim
Deſcivere fide; quando ſervivit honori
Culpa tuo, gentis bello conflata rebellis.
Nam tibi ni melius, titulo meliore receptum eſt

Jam regnum: quod reſpectu non ſanguinis ullo,
Sed merito partum eſt, & nomine ceſſit amoris.
Quam porro accedit cumulus numeroſus honoris
Pro regno oblato, tam major gloria crevit
Auſtriaco; quoniam tali ſub rege redactum eſt
In melius: populus regnum dedit: ille receptum
Reſtituit danti, dum belli a clade, maliſque
Aſſeruit: genti leges, legique pudorem
Dum fecit conſtare: ſuiſque id moribus actum,
Exemplisque fuit tantum: reverentia vitæ
Cenſuræ effectus habuit, pietaſque, fideſque
E poſtliminio patrias revocatur ad oras.
Neve opus imperio eſt, proprios gens exigit omnis
Ad Regis mores: meliorque ea gloria legum eſt,
Quod minus acceptos reditus retulere timori.
N. 11. Regnat amor, dominatur amor: culpaſque, metumq;
Expulit extorres terris amor, omnibus una
Relligio arridet populis, rituſque Latini.
I nunc, & ſocias acies tibi Thracia ſpera
Juncturos Hunnos: ſimilis quos federa ritus
Solemni invidiâ mores exoſa Gelonos
Adnectunt; Latio a ritu ſed ſiquis abhorret,
Plurima & hunc pietas, & virtus inclyta Regis
Multijugis retinet vinclis, & prodiga dextra
Alligat auratis manicis, ne poſſit ad hoſtes
Deſertor veniſſe ſuos; quis Principis aulam
Succeſſit, quin dives opum, quin lætus honorum
Jam cumulo ſua vota ſuper remearit ad oras
Natales? qualis porro eſt induſtria dantis,
Conſiliique tenor cautus, quam Regis ab arte

Et pretium donis, & honos accedit honori?
Ille licet quoddam (verſo rerum ordine) pendat
Vectigal populis; & quamvis regia ſedes
(Quâ ſolet aſſiduo gazæ vis tendere lapſu)
Fundat opes, nulli raptas, nullique dolendas:
Dum præſtat Carolus, præſtat ſe reddere faſſus
Non dono oblatas, meriti ſed jure petitas
Divitias: idque ut peragat, tali utitur arte.
Scilicet in majus meritum vel ſupplicis effert;
Aut grata accipiens, quamvis ignobile, mente
Fœnerat oranti meritum, commentus ineſſe.
Si quiſquam exiguum cenſu de paupere munus,
Aut concinnatas inculto carmine laudes
Obtulerit: non ore tenus data munera jactat,
Aſt dextra, aſt opibus: queis cum dimiſit onuſtum,
Gratia tam multa eſt, dandi tam grata voluptas,
Ut dubium, fecit ſatis ille, an debeat uſque,
Solvere teſtatur quidquid debebat, & inde
Ubere quod largo ſolvit, debere fatetur:
Ipſe ſuâ quamquam metitur munera dextrâ,
Non jam, quæ recipit, palmâ; ſolamque parandi
Spem ſibi vult reliquam, & tacitis præcurrere donis
Vota ſtudet: munus geminans, mercede ruborem
Dum minus exegit: creditque id perdere ſolum,
Quod non effudit: ſic lumine ſydera gaudent
Accepto, ut regerant inopis telluris in uſum.
Sic pelagus lætatur aquis, quas imber & amnis
Invehit: ut nubi rurſus, fluviiſque refundat.
N. 12. Quis det ineshauſtas gazas theſaurus, opeſque,
Quæritis Auſtriaco? gazæ dat parcior uſus:

Quod

Quod ſibi ſubtraxit, populis partitur abunde.
Sed fons eſt alius, quo longe copia major
Non unum in Regem, ſed derivatur in omnes
Subjectos populos: Caroliqne induſtria nuper
Hunc fontem excudit; quid fontis nomine dixi?
Dicam equidem fluvium, fluvii ſed nomen & impar.
Non modo Tyrrenum Carolo mare ſervit, at ipſe
Oceanus, pater Oceanus: quaſque educat imo
Ille ſinu, quas ducit opes ad littora dorſo,
Educat, & Carolo ducit; fluit inde per omnes
Non modo Germanas, verum dilapſa per Urbes
Copia Pannonicas; & quamquam haud hoſpita ponto
Utraque ſit regio, dives tamen æquor utrique eſt
Imperio parens Caroli; quippe ille Liburnum
Spectantem ad littus vaſtam, naviſque capacem
Inſtituit foveam: cujus caput amne receptum
Pannonicis infert terris, quas evehit uſquam
Adriacum pelagus merces: quodque educat omne
Tyrreni maris ora ferax, exundat ibidem.
Hoc mare præterea Caroli novus advena regnis
Oceanus factus, merces adſcitus in Urbes
Auſtriacas inferre; prius ſub flumine Rheni,
Mox ope Danubii; Belgis quippe Auſtrius heros
Oceani regnum (cujus jus ante negatum)
Non modo permiſit, ſed claſſe paravit, & armis.
Arripuit ſortem cautæ ſollertia gentis
Servitio maris uſa: plagiſque excepta remotis
Diſtantes junxit ſua per commercia terras.
Et quas longinquis merces populatur in oris,
Auſtriacis illas regnis partita remittit.

Atque

Atque ita Pannonicis Perues exuberat aurum,
Quæque in Erithræo canent conchilia ponto.
Sic mediterraneis ſollers prudentia Regis
Vel mare, vel potius merces maris intulit oris:
Submotaſque procul terras contraxit, & acri
Ingenio admovit ſubjectæ ad commoda gentis.
Hæc tibi ſervitum veniet gens ergo, tuiſque
Thracia ſub ſignis diſcrimina martis obibit?
Et tibi contemtrix mortis, tibi prodiga vitæ
In Carolum ruet, in Carolum ſua diriget arma?
Nec memor incedet, quod nulla ingloria Regi
Clauſa dies uſquam, ſterilis ſibi condita nulla?
Nec menti occurret, quæ tecum innata ſimultas?
Quæ damna intuleris, bello quæ funera? votum,
Hoc equidem votum eſt: verum mens conſcia contra
Augurat (augurium Magon fruſtrare loquentis)
N. 13. Pæonis hæc pubes, ſociam quam rere futuram,
Qua tibi pollicita es Caroli ſubvertere vires:
Pæonis hæc pubes infeſtior irruet olim,
Et memores clades, ſtructoſque a Thrace tumultus
In Carolum, Thracis tendet reparare ruinâ,
Sanguineo & fluvio culpas abolere priores.
Hoc, quod de Carolo linguæ mens conſcia dictat,
Hæc, quæ de bello menti ſententia noſtræ eſt.
Si porro videor mendax, hoſtique ſtudere,
Si bellum arridet vobis, indicite: bellum
Non veſtri arbitrii eſt; adigunt mea crimina Turcas
Tam mihi dilectos in aperta pericula martis.
Culpæ opus eſt noſtræ, ne bellum evadere detur.
Aſt o quam vereor mendax ne credita lingua
No-

Noſtra ; quod effuſe meritum ſupra extulit hoſtem,
Credatur mendax , quoniam detraxit honori,
Nec plura adjecit , fierent ut laudibus apta.
Qui Carolum expendi propria virtute canendum,
Debueram a Ducibus quantum eminet ille, ſuoque
Qualis in Eugenio factis ingentibus æquo.
* Ut ſit opis noſtræ , verum labor improbus ille eſt,
* Se ſibi ſubmiſſum , & genii compeſcere flammas,
* Securoſque ſui niſus intendere , ut hoſtes
* Succumbant ; ſed majus opus , magis ardua res eſt
* (Quandoquidem arbitrio non illa obnoxia noſtro)
* Poſſe ſibi ſimiles dotes formare ſuorum.
Hoc decus , hoc meritum non enarrabile Regis
Auſtriaci eſt : facit ille duces , ſibi jactat & æquos:
Fœnerat & ſociis , quos ſenſus induit ipſe.
Sic quoque magnetis virtuti cedit honori,
Quod ſimul atque ſui ferrum commercia nactum eſt,
Indat , neſcio quos illi ſenſusque , manuſque;
Amplexuque animet , vivis & viribus armet.
Cumque ſuam ferro naturam infuderit ; idem
Viribus eſt magnes , & virtus integra conſtat:
Sed potui demens Carolo committere ſaxum?
Ut Solis titulos inter , quibus eminet ille,
Clarior hic unus , terræ quod viſcera flammis
Dum ſubit , haud illic ſegnis verſetur : at idem
In partus facilis, ſeſe pene exprimat ; aurum
Dum gignit , referens cum lumine ſyderis ignem:
Quodque repercuſſus ſimili fulgore Sororem
Veſtiat , illiuſque operâ micet , unde receſſit.
Nec jam luce ſua niteat redivivus in orbe.

Hoc

Hoc etiam titulo Caroli ſe gloria tollit,
Quod Dux ipſe duces reddat ſibi dotibus æquos,
Virtutiſque ſuæ duplici cum fœnore laudes
Sic referat: ſeu quas innatas exhibet ipſe,
Seu quas in Ducibus natas excelſior effert.
Utque oculi gaudent communi luminis uſu,
Haud ſecus Auſtriadæ pertentat pectora ſenſus
Lætitiæ, ſimiles quoniam formavit alumnos,
Queis decus egregium, & plauſus non invidet æquos,
Sed ſibi communes reddit lætatus honores.
Unus at Eugenius proceres inſignior inter,
Sic Caroli dotes, virtuteſque exprimit armis;
Cujus ego adſtruerem laudes per bella petitas;
Sed video. obloquitur veſtrum patientia dictis
Uſque fatigata, atque hoſtis pene obruta laude.
N.14.Hæc ubi:Rex Thracum quaſſat caput,atq;ita fatur.
Perge, fatigentur reliqui, non ipſe fatigor:
Hoc ſatis; haud omnes porro, ſed ſubjice pugnam
Eugenii: quæ ſit reliquas memorabilis inter,
Quâ ſua plus nituit, virtuſque obnixa ſit hoſtis.
Nec curſim relegas, momenta at ſingula pendas:
Et quo plus iſtos ſubeunt faſtidia lixas,
Hoc magis effuſus ſermo ſpatietur, & aures
Verberet. Eugenio diſcent fortaſſe Magiſtro,
Qui ſtupidi ad normam, vel noſtra exempla morantur.
Sic Rex. Antiſtes contra ſic Thracius orſus.
Ut quota pars Procerum mecum indignetur, & iras
Explicet inſcriptas oculis, fateatur & ore
Torva tuens: Rex alte tibi tamen obſequar audax.
Hæc una ambitio menti eſt, mens conſcia linguæ

G Hoc

Hoc unum edicit, vel belli avertere curam:
Vel ſi cura tenax, ad bella aptare Gelonum:
Dum ſtrictim expediam, qualem ſibi deſtinat hoſtem,
Et quantum exhibuit ſe crudâ is martis arenâ.
N.15. Quis tuus eſt hoſtis, ſtudium ſi Thracia noſſe,
Accipe: ne vero jaceas formidine, neve
Deſertor vultus fluat ad præcordia ſanguis;
Nunc ubi terrificum referam, nomenque verendum,
Et formidatum, & Geticis immane catervis;
Vindelicus tuus hoſtis: ubi eſt furor ille? retuſus
Cur ardor ſiluit? belli quid cura faceſſit
Thracia? quid riguit circa præcordia ſanguis?
Haud equidem indignor, verum formidine tentor,
Defectuſque animos tecum, tecum execror hoſtem,
Dum timido occurrit cordi, quis Noricus Heros;
Quantum acie mentis, rapidi tam pollet & enſis;
Quantum habilis vaſto ſubniti ad grandia corde,
Tam validâ præſens dextrâ ſuperare quod audet.
Quid plura? expediam paucis compendia laudum.
Ille ille eſt, fractos toties qui Biſtonas armis
Contudit; ille, inquam, eſt, validi qui fulminis inſtar
Urbibus innumeris vos exuit: ille ſubegit
Taurunum, attritis Thracum tot millibus ante
Septa inter, muroſque. ſile mea lingua; loquantur
Cum lachrymis oculi, vel ſi dolor elicit ore,
Quas pudor elidit voces: expoſce minantes
Biſtonas; an taciti teſtis conſcientia cordis
Vindelicum ſperet Regem ſe vincere poſſe?
Si timor, eventuſque pudor male conſcius ore
Verba premit, juſſæque negant erumpere voces;
Sub-

Subjice; nec vani teneant te lingua timores:
Crederis in Thracem, verum pro Thrace loqueris:
Subjice: Vindelicum junctas quas federe turmas
Dux ageret, victas ſenſiſſe a ſorte Sabaudi;
Quamquam illum nuſquam ſors altera cedere vidit,
Non animis, non antiqua virtute, nec arte,
Qua nulli, priſciſque Ducum, viviſque ſecundus;
Cedere ſed turmas quod vidit Noricus heros
Quis culpæ inſimulet? quando ſic fata fuere,
Arbiter aut fati voluit ſic Rector Olympi?
Si quippe excutias, Ductor quæ Noricus auſus
Ante tubas, interque tubas, meruiſſe triumphos
Quis neget? aſt aliter Numen res annuit ire.
Neve eſt, cur illum pudeat, tantumque liceret
(Si daret infractum pectus doluiſſe) dolere
Vindelico: neque enim victum ſeſe ille recepit,
Neu profugum; peſſum quamvis exercitus iret;
Quodque fidem excedit, per amicæ diſſita gentis
Agmina, victores eluctatuſque per hoſtes
Ille, triumphanti propior ſibi fulmine limen
Stravit agens: nec cæde jacet perculſa ſuorum
Ardua mens; cumuloque virum, quorũ ingruit unda,
Territa: lætantur ſocii, timet hoſtis, & uni
Teutonidum dimota gradu tot millia cedunt.
Perque tot armorum ſtrages, cumuloſque virorum,
Victorumque acies, undantiaque arva cruore
Præterit intactus, juxtaque interritus ille:
Graſſantemque procul regeritque augetque pavorem.
Sic quoque per nubes, tempeſtatemque frementis
Grandinis exiliens timido ruit impete fulmen,

Occultumque umbris additque, aperitque timorem.
Se jactent alii dejecto ex hoſte triumphum
Promeritos, partum melius ſi fœnus honoris
Vindelico acceſſit, quod victo ex agmine victor
Ceſſerit: acceptum ſociis commune trophæum
Debuerat retuliſſe: acies quod trajicit unus,
Eſt decus omne ſuum, & ſoli ſibi debet honorem.
N.16. Thraces noſter amor, tuque o mihi cauſa timoris
Thracum amor: * eſt hoſpes timor indiviſus amoris;
Quod videar timidus, noſtriſque injurius armis,
Vel nullus, vel ſiquis, erit levis error amoris.
Quæ quondam reliquos omnes aggreſſus in hoſtes,
Quæ quondam effectu patravit bella Sabaudus,
Huic ſi componas fluxa, & ludicra putabis:
Infameſque fuga potius, quam ſanguine pugnas.
At vero qualem, quantumque laceſſimus hoſtem
Conjicite hac pugna, quam vobis ordine promam.
Hanc ego dum recolam, nulli peregrina ſit auris:
Et veluti compertam oculis tibi Thracia fingas.
Dum loquor, evincat Magon in noſtra ſecundus
Vota, ut ab aſpectu tanti certaminis ardor
Concidat in bellum præceps, ſubſidat & ira.
Hinc gradus ad pugnam. Norat jam Noricus Heros
A Duce diverſum metatum caſtra Britanno
Eugenium: ratus ergo ſibi jam tempus adeſſe,
Occupet ut parvis vix tutum viribus hoſtem:
Spe tali erectus mentem raptim agmina movit;
Maturatque, additque gradum noctuque, diuque.
At contra Eugenius, cujus jam ſenſus ad aures
Conſilii acciderat (quid enim fugiſſe Sabaudum

In

In bello poterat) petiit majora Britanni
Caſtra volans, aperitque hoſtis ſecreta retecti;
Edicitque diem, vires qua jungeret omnes.
Nec Marlebhurgus ſegnis (Dux iſte Britanni)
Ducit; & Eugenium, veluti convenerat, auxit.
Noricus interea jam ſenſim admoverat agmen,
Nec procul a caſtris aberat; cum novit & arma,
Et geminos coiſſe Duces, fictique trophæi
Exiviſſe diem: doluitque a fraude regeſta
Fraudem interceptam, ſtructoſque ex aſtibus aſtus.
At nil aſpecti perculſus imagine caſus
Subſtitit arma tenens, facies nec aperta pericli
Tranſverſam abripuit mentem; nec providus ardor
Hic ſtupet imprudens, affectative triumphi
Spe cadit: invicto conſtat ſibi concolor: utque
Jam dolor inceſſit pectus, quod ademta trophæi
Anſa ſibi facilis: ſic ſeſe plurima menti
Lætitia ingeſſit; multo quod palma paranda
Pulvere: & impenſos compenſet gloria niſus.
Conſultâ ſtetit ergo operâ, ſimiliſque volenti
Siſtit equum: juxtaque hoſtes ſeſe aggere ſepit.
Nam quâ ſe vertat Ductor tam providus? aut quod
Conſilii capiat? turmas permittere pugnæ
Tot paſſas Solis radios, iteriſque labores
Æquis in campis eſt alea plena pericli:
Si vero excedat, majus diſcrimen habetur.
Inſtat, & a tergo raptim cedentia carpit
Agmina Cæſareus: quin & regio ipſa viarum
Impedit, & dumis, & iniquis conſita rivis.
Quâ vix tranquillas tali a formidine turmas

Ex-

Expedias: ergo ſanæ ſententia mentis
Viſa duci, campos legiſſe ad caſtra fideles,
Et munimentis lectos firmare, viriſque.
Id placet, id juſſit; nulla eſt mora, protinus actum.
Porro ubi Vindelicus poſuit ſua caſtra Magiſter,
Sic locus eſt natus: qui quamvis aggeris exors
Invicti ratione ſitus vix obvius eſſet.
Planities extenta, ingens ſe effundit in æquor
Immenſum: cui multa palus, dubiæque lacunæ;
Quæque voraginibus, & inextricabilis imis
Gurgitibus; mediam torrens obit interſectam.
Danubius lævâ, dextrâ ſunt oppida multa,
Oppida tormentis, & ſpiſſo milite tecta.
Hos campos ſcrobibus, prætentoque aggere munit
Vindelicus, nec ſepta metus properavit, at artis
Præſcriptum: culpæ nuſquam Dux inclytus expers,
Si contra adverſas acies erat ille ſolutus:
Cum minime fugeret, non poſſe diutius hoſtem
Infeſta in terra tantas paviſſe catervas,
Quin adigat rerum penuria vaſa movere.
Tum ſibi pollicitus cedentes carpere turmas,
Atque uti, quam ſæpe fugæ timor obtulit, anſâ.
Conſilio hoc propere vallum ſibi Noricus Heros
Inſtituit, denſoque inſedit milite labrum.
Hic vero miles jamdudum exercitus armis,
Et belli in varios caſus ſpectatus, & uſus,
Iſmariis clarus (tædet meminiſſe) trophæis,
Eugenii & turmis paulo numeroſior idem.
Thracia jam numerum docui, jam militis auſum.
Virtutem Ducis ipſa dolens experta tot annos
Quan-

Quantum animis, quantum dextrâ, quam polleat arte.
Præque tuis oculis poſui jam caſtra, ſitumque.
N.17. His rite expenſis juras, jam credula juras
Vindelicos tutos; numeri terrore Sabaudum
Perculſum ceſſare, loci vel credis iniqui.
Falleris ah toto, ſi credis talia, Cœlo.
Haud timor incuſſus, ſubeunt ſed gaudia mentem
Eugenii: quis enim vidit pallere Sabaudum?
Cui nimium eſt artis, vegetum cui robur, & ardor,
Ut ſciat ad quodvis facinus, poſſitque, velitque
Adniti: quem fortunæ præſaga ſuæ mens
Projicit in caſus, defunctum & caſibus effert.
En gaudet, quod jam liceat diſcrimen obire
Par animo, vel quod detur contendere in hoſtem
Experta virtute parem: quòque ardua res eſt,
Hoc magis arridet, ſtimuloſque in pectore condit.
Ergo alacer campo ſeſe ejicit: itque revulſis
Maturans ſignis: ſpecies tam læta triumphi
Eſt index, acuitque animos, vireſque miniſtrat.
Huc mecum intendas oculos, & Thracia cerne,
Ut properent, addantque gradum feſtina Sabaudi,
Ad ſpolia, ad prædas, non ire ad prælia dicas
Agmina: ſic hilares oculi, ſic lætior oris
Eſt habitus, ſic & facies erecta, trophæi
Certa ſui: nullus pugnæ eſt immunis amore.
In Duce defigit miles ſua lumina: quique
Eſt vigor in vultu, lætæ quæ gaudia fronti,
Et quæ vis oculis, tacitum eſt hortamen ad arma.
Ecce volant, primos tendunt urgere ſecundi,
Præripiuntque viam, nimium quæ longa videtur,
Ut

Ut brevis: en inſtant rurſus, rurſusque fatigant:
Neve iter ob callis ſolitos odere labores,
At mora quod pugnæ eſt: vellent jam caſtra tenere,
Et deſideriis prævertunt prælia: ſed jam
Ad fluvium ventum eſt, importunaſque lacunas.
N.18. Utraque res, nimio licet eluctanda labore,
Nil prorſum invictas acies defigit: at ultro
Ala equitum gaudens pronis ſeſe objicit undis:
Rumpitur exceptus ſic impetus omnis aquarum;
Agminibus fluvium ſic transmittentibus infra
Facta fides; tali domitum cum flumen ab arte,
Pars peditum campos tenuit transgreſſa fluentum.
Altera pars metuens, ineant ne bella cohortes
Tranſmiſſæ, exardet ſtimulis agitata: lacunaſque
Occupat, invaditque viam: nec cæca paludis
Prælibat vada; ſed raptim ſeſe injicit undis.
Hos ſed ineshauſtus gurges, laticiſque, lutique
Inſtabilis peſtis paulum ſubſiſtere cogit.
Non animi, ſed fluxa pedum veſtigia nutant;
Afflictuſque gradu miles, dum lubrica fallit
Terra pedem, vix a lapſu ſe ſuſtinet ullus:
Et veluti implicitus pedica obluctatur, & hæret.
Vel cubito exceptus, nixus vel poplite corpus
Adjuvet, auxiliis revolutus corruit ipſis.
Teutonidum ad caſus gens Norica, tempore capto,
Et ſepto indignans claudi, pugnæ ordine verſo
Proſiluit, redimitque moræ diſpendia ductæ,
Nec jam propulſat, verum ſigna hoſtibus infert,
Infirmoſque gradu tuto mucrone trucidat.
Num ſtupor inceſſit Thrace, dum talia cernis?

Dum-

Dumque laborantes artus, non corda tueris.
Parva ſed hæc, penituſque levis ducenda labo ris.
Hâc precor aſpicias, quoquo ſe Noricus heros
Intulit, incubuitque, ultro citroque recurrens
Fert molem belli ingentem, qua territus hoſtis,
Indociliſque pati vultum, gladiique furorem
Terga dat; atque alio ſe conjicit: unde frem entem
Vindelici nequeat faciem, fulmenque videre.
Cumque alio impactas ſeſe invexere phalanges,
Si minor hic terror, clades tamen excipit æqua,
Sed toleranda tamen, tanti terroris & expers;
Et cui Teutonici non tantum occurrere poſſunt,
Aſt etiam gaudent hilares: en aſpice Thrace
Contiguus flammis, jactum jam miles & intra
Aſſiduis telis cadit obvius: aſpice quantæ
Flammarumque acies, Vulcaniaque agmina turmis
Incubuere: cadunt, nec morti occurrere tædet;
Quod pereant impune, dolent: neu deſerit ora
Ille furor, vigor ille, ignis contemtor, & enſis;
Exhibet at ſcriptos miles gelido ore furores.
Huic damno occurrens infert ſarmenta Sabaudus
In dubias collecta vias, tabulataque nectit:
Sic iter inſtratum, domitus ſic gurges aquarum eſt.
Aſt undis domitis, violentior ingruit ignis
Noricus: hic vero quamvis paſſim arma, viroſque
Obruat, affligatque: nihil tamen ira ſeneſcit,
Ignis at occurſu major ſub pectore flamma
Teutonidum fervet. Thraces ſpectatis, ut inſtent,
Irrumpantque, aditumque ineant, mortemque parati
Aut temnant, aut occurrant: proh ferrea gentis

Pectora! per mortes, per flammam evadere poſſunt,
Nec timor alterius, proprii nec cura pericli eſt.
En ſubeunt vallum, & pergunt teſtudine facta
Pectore, non clypeis: ſuperari at poſſe negatis,
Quæ ſcrobe ſubſidit, quæ tellus eruta late
In tumulum aſſurgit, longaque crepidine dorſum
Ducit? ita eſt: vallo ſubmoti terque, quaterque
Teutones excedunt; ſiquidem quà Noricus Heros
Ordine confertas, majorique impete turmas
Aſpicit adnixas, volat ilicet, inque ruentes
Incidit, evertitque acies, fuſaſque trucidat
Arma rotans: unus valli texiſſe ſed orbem
Quî poterat, prope mille duces quamquã unus in armis,
Et quamquam exhibuit dotes adamantis: ad omnem
Qui velut invictus, ſic omnia conterit ictu.
Ecce alibi Auſtriadum gens acrior obſtinat iras,
Septaque ab integro tentat; graviorque coorta
Pugna recrudeſcit, vulnuſque exulcerat iras,
Et cruor accendit flammas: unoque tenore
Quo magis obſiſtunt hoſtes, magis acrior inſtat
Cæſareus: qui ſi retulit veſtigia paulum
Vindelici Ducis unde manum compertus abeſſe;
(Hic ubi quippe ciet bellum, ſilet ira ruentum)
Conſilio revocat, non jam formidine greſſus:
Colligat ut ſpatio vires, abit: inde moranti
Palmam indignatus crudelior incidit hoſti.
Haud aliter Taurus fulva congreſſus arena
Regreditur ſenſim, ut majori in cornua nixu
Aſſurgat, totoque incumbat pondere in hoſtem.
Haud aliter quamvis ſcopulis alliſa procella

Exi-

Exigitur; vires ſeceſſu acquirit, & Auſtri
Impulſu, ac ſcopulos graviori mole laceſſit
Spumea, rupta ſinum, & rauco revoluta fragore.
Sic & Cæſarei peditis ſubmota procella
Majori irarum invehitur certamine in hoſtem.
N.19. Et ſuus Auſtriaco eſt auctor, qui ſuggerat iras,
Quique obnitentem ſeptis impingere poſſit.
Ille ille eſt: oculis furias qui ſpirat, & ignes
Torva tuens, immane minans: proh quantus in enſem
Arduus aſſurgit, quo fulmine vulnera torquet!
Dum loquitur, tonat ore, rotat dum cuſpidis ictum
Fulminat: armorum ſtrages exorta, pudore
Decolor expallet; tumiduſque a ſanguine rivus,
Quâ furit ille, rubet: ſublatus & erigitur mons
Artubus e truncis. Spectas hunc Thracia ſp ect as:
An timor averſis oculis te parcere juſſit?
Nec ſinit horrificos vultus, gladiumque videre
Fulmineum ardentem? poſſes ſi cernere, noſſes,
A facie, a gladio, a furiis eſt ille Sabaudus.
Unde ſed in çaſtris hoſtis timor? unde tumultus
Incipit a primis, turmaſque evadit ad omnes?
Æquatæne ſcrobes, & ineluctabilis ille
Dirutus eſt? fallor? non fallor, dirutus agger.
Vallus ubi eſt? ubi foſſæ? ingens exercitus ille
Nunc ubi? conſilium ducibus jam deficit, & jam
Deſtituere viros vires: graſſatur ubique
Terror, ubique fuga eſt: quâ vero evadere mortem?
Quove loco poterunt hoſtem effugiſſe minacem?
Si profugis obſtruxit iter, qui clauſerat agger
Auſtriacis, ſuaque ipſa nocent munimina victis:

Danubiuſque pater perdit, quos texerat undis.
Ad fluvium pergunt miſeri, nec credere corpus
Audent vorticibus, ſummoque in margine ſidunt
Incerti quid agant: dubiis ecce imminet hoſtis,
Et timor audaces reddit novus: inſilit undis
Terrore exanimis pubes: levis unda pericli,
Eugenii furiis ſi componatur, habenda eſt.
N.20. Quid vero vult illa acies? cur projicit arma
Flos juvenum, virtuſque virum? quibus aurea caſſis,
Auratis lorica notis interlita fulget?
Balteus e lumbis cadit aureus: aurea mordet
Fibula ſublapſum? mentem cur exuit hoſtis
Supplicis in morem? fortes, & fortibus orti
O Juvenes audete; nihil vos gloria gentis,
Nil propriæ virtutis honos impellit ad arma?
Nec vigor innatus, nec, quod duodena virorum
Millia vos eſtis numero, ſubit? ite feroces
Ite alacres, medioſque armis irrumpite in hoſtes.
* Nil deſperandum, queis ſpes non ulla ſuperſtes.
N.21. Si nihil hæc vincunt, neve ipſa exempla Magiſtri
Vindelici tangunt: adigat ſub pectora calcar
Maſcula vis, virtuſque ferox; quicumque ſequetur,
Illa ſalutaris virtus huic rite futura eſt.
Cernitis: ante alios omnes ſeſe arduus idem,
Atque alto inſpiciendus equo tela inter, & ignes
Tutus agit; timet ipſe hoſtis modo victor, & hiſcet;
Miranturque animos victricia pectore victos,
Diſſimileſque ſibi: ſi quem tamen ignea ſi quem
Multa cæde calens, atque ebria pene cruore
Impulerit rabies: cadit ilicet ictus ab enſe

Vin-

Vindelico, & furias vel hiantis vulneris ore
Evomit, extinctas proprio vel ſanguine ſentit
Multa gemens: ſylvas olim ſic ejicit inter-
Se Taurus: cedunt impulſu, aut fracta teruntur
Arbuta, & acclini ſe vertice victa fatentur.
Collecta in cuneum pubes ſe plurima gentis
Vindelicum cogit, ſequiturque intacta magiſtrum;
Quorum ergo, ut poſſit ſecum ſubducere morti,
Excedit pugnâ Dux Noricus: hujus & ergo
(Nam petat ut pœnas rediturum in bella verentur)
Teutonici parcunt cuneo. Sic fœta Leæna
It ſecura ſui, & venantum evadit ab armis
Multa fremens, nolletque eadem ſecedere pugnâ
Nil ſibi, ſed catulis metuens, qui pone ſequuntur:
Aſt amor impellit renuentem, iraſque parantem
Exertare ſuas: vadit ſuſpenſa, furoremque
Innatum confeſſa premit: nunc inſpicit hoſtem
Dentibus infrendens, recreat nunc pignora voce:
Et veluti Mater prolis formidine pallet,
Sic proles timidâ matris virtute ſuperbit.
Ergo agite, & tanti protecti Herois ab armis
Ite viri; & patrii reduces ad liminis oras
Præſidis emeritas ad Cœlum tollite laudes,
In conclamatis columen, certamque ſalutem
Rebus in accisis, aſſertoremque canentes.
Quæ vero abripuit noſtram dementia mentem?
Aut quos prolixis accendi ad prælia dictis?
Vana loquor, jam ſe victos, captoſque fatentur:
Et ſpe damnatâ deponunt arma, minaſque
Compoſito: facti tum didita fama vagatur,

Nec

Nec commenta ferens, nec eundo robur adepta,
Ut de more ſolet: quid enim plus fingere poſſet?
Murmure quo fractæ vires, & perdita prorſus
Norica res: paſſim tunc obtinet omnia clades;
Coſternatæ acies, inclinatique manipli.
Reliquiæ non exiles ex agmine tanto
Evadunt: inter medios quas Ductor & hoſtes,
Inter & hoſtiles terras ſecum egit, ut eſſent
Viventes tituli, & monumenta loquacia laudum.
Tum debellatum eſt; deploratàque ſalute
Exigua appendix belli res Norica fluxit.
Et licet eventus pugnæ reſponderit auſis
Eugenii: expenſis, quæ ductor Noricus egit;
Pugna parum felix, ſed non inhonora Magiſtro
Vindelico evenit, cumuluſque acceſſit honoris,
Si minus acceſſit fructus: quippe inclytus Heros,
Quas Ducis experti veterana peritia vellet,
Et quas ſperaret virtus, & militis ardor,
Has catus implevit partes, & ſedulus omnes,
Aut init, aut miſcet bellum, ceditque patrato.
Nec temere evenit, ſancitum at lege Tonantis,
Hoc par ne ſtrictis ſecum concurreret armis.
Si ſecus, aſſultu tellus nutaſſet, & ortis
Ad ferri occurſum flammis arſiſſet Olympus.
Auribus accepta eſt, oculis ſubjectaque pene
Jam pugna: ad mentem valuit timor inde coortus,
Ut bello abſtineas? an ferri inſana libido
Durat? Et Auſtriacas veſano pectore clades
Gens Threiſſa coquis? ſi cura capeſſere bellum?
Vaſa move, cane ſigna, manus ſere, prælia miſce;

Plan-

Planta fugax, hebes enſis, iners manus, obruta virtus
Auſtriacæ tum pubis erit, magnique Sabaudi;
Vix ubi campeſtris, noſterque ſtatarius ille
Miles, & illa equitum nulli toleranda procella,
Nil rudis ad fraudes, nullo tentanda pavore
Auſtriadum incumbet turmis, abigetque Sabaudum.
Id ſi perſuaſum eſt: ad bellum accingere, bellum
Quid dixi? ad prædas dicam, certoſque triumphos.
At ſi tecum habitas, nec ſpes te credula fallit:
Hos & pone animos, & rurſum in fœdera jura.
Ne cum ſtrage fides, ejuratæque luatur
Pacis honos: equidem hoc vereor, nec vana timori
Cauſa ſubeſt: Carolum vereor primum, inde Sabaudum.
Vel nimis Auſtriadæ jactantem Thracia credis,
Vel me commentum vanis præconia dictis,
Ut tibi perculſæ poſſem finxiſſe timorem?
Aſt equidem ingenue fateor, vel ruſtica lingua
Vix ſtrinxit merita, aut cumulo detraxit honoris.
N.22. Eugenii quæris dotes: ſi Norica pugna
Haud ſatis expreſſit, breviter laudum accipe ſummam.
Non Lotharingiaco meruit ſub Principe tantum,
Nec retulit tantum, at vicit decora alta Magiſtri.
Parva ſed hæc trutina eſt, neve explorare Sabaudi
Eſt habilis dotes: ſi rectâ expendere præſtat,
Ad libræ revoca nutus, quâ providus olim
Eugenium excuſſit primis Leopoldus in annis.
At quamvis huic certa fides, exordia tanti
Libravit tamen ille viri; ſed pondere rerum
Tam gravia, ut rerum ſummam permiſerit illi
Iſmario in bello. bellum qua geſſerit arte,

Non

Non ego, ſed melius referent qui bella repoſcunt,
Qui pacem proprii damno pepigere decoris,
Indecori paci qui ſubſcripſere cruore.
Proh dolor! & bellum petimus, ſerimuſque tumultus,
Et ſponte exitium majus leviore citamus.
Nec ſubit Iſmariis, qua mole aſſurgat in enſem
Eugenius, rapidos quo turbine torqueat ictus.
An tirocinium nobis fatale Sabaudi,
Et Latiis Ducibus voti jam ſumma, ſtuporque
Excidit? Eugenius trepidi cum frigore cordis
Auditus, gelidique oculi formidine viſus
Nuper, & expertus fœda cum ſtrage Gelonis,
Ille, inquam, Eugenius nunc irritabitur ultro?
Poſtque rudimenti ſpecimen gens Thraſſa Magiſtrum,
Gens flos Heroum, gens bello invicta laceſſit.
Vade age? ſed primum Leopoldi lance relicta,
Quæ juvenem Eugenium librat; precor exige mecum
Ad Caroli libram, virtus ut adulta Sabaudi
Hinc melius pateat. Caroli mens æqua, ſagaxque
Hunc unum imperii ſummæ præfecit, & aptum
Credidit hunc unum, ſibi qui ſuccedere poſſet,
Cui res Europæ, & rerum committere molem.
Nondum nacta tenes certum ſed Thracia pondus.
N.23.Hæc hominis graphys eſt: hominis jã deſine dotes
Concipere, & mentem rebus furare caducis.
Erige te, ſuperoſque animo ſuccede penates.
E Cœlo ſiquidem vis conjurata Sabaudo
Militat, hæc porro vis eſt Ieſſeia Virgo.
Hanc ope præſentem Magon, ipſique fatemur:
Huic ſtudet, hac fretus pugnas molitur, & aſtus

Eu-

Eugenius; Divæ ſiquidem cum feſta recurrunt,
Excipit hæc pompâ, meritosque indicit honores;
Divulſumque aris Martis ſe ſiſtit arenæ.
Et ſive hinc oriens addit fiducia vires,
Sive potens juviſſe, juvat Jeſſeïa Virgo;
Pugnam init, & nullo penitus diſcrimine pugnæ
Eugenii eſt eluſa fides, ſemperque ſecundus
Pro deſideriis riſit ſucceſſus in armis.
Ergo unum vos o Thraces, præque omnibus unum
Obteſtor, monitoſque rogo, moneoque rogatos:
Auſtriadæ quando magni, fortiſque Sabaudi
Ingerere haud potui veſtro ſub corde timorem:
Gloria ſi Regis, veſtræ ſi gratia vitæ,
Si decor imperii, patriæ ſi cura remordet:
Conſona ſic aliis reſpondeat alea bellis,
Sic bello acceptis ſpoliis redeatis onuſti:
Feſta dies Magnæ cum Virginis incidet, ite,
Ite, & inacceſſos avibus vel ſcandite montes,
Aut ferro extructis tutos vos abdite muris,
Nec miſeras animas campo committite aperto.
Nulla ſit & foſſæ, valli fiducia nulla;
Irrumpet, plenuſque animi, certuſque trophæi
Eugenius, vallumque, & propugnacula ſcindet,
Perque expugnati ſtrages, ſeptique ruinas
Evadet, lateque undabit ſanguine campos,
Efficietque fidem noſtro, quam deprecor, ori.
N. 24. Dixerat: in medium tum ſe Viſirius effert
Torva tuens, caput offenſans: collectaque dudum
Ira oculos defigit humi, pectuſque fatigat.
Tum formidandis ſermonibus ora reſolvit.

Ragitu eſt ſimilis rauco eructatus ab ore,
Non voci; vel ſi qua refert conſortia vocis,
Indiſtinctus, & informis fragor eſſe videtur.
Aſt ubi ſubſedit rabies, & copia fandi
Cum data: luminibus Cœlum ſuſpexit, & infit.
Quod tibi Relligio, tibi quod Rex inclyte pignus
Obſequii exhibui, flammas inhibere furoris
Dum potui, raucæque pati convicia linguæ:
Nec documenta dedi noſtræ virtutis, id ingens
Obſequii eſt ſpecimen, majus nec reddere poſſum.
Has niſi Relligio leges, atque ipſe tuliſſes:
Illius e jugulo radicitus eruta lingua,
Et mea jamdudum virtus experta fuiſſet.
O quam malueram tum centum obnoxius eſſe
Auſtriadum gladiis, centumque in fruſta ſecari;
Nec ferre inviſæ dudum faſtidia vocis.
Quod vero id potui, noſtras hinc argue vires,
Qui fruſtra obloqueris, fruſtra commenta ſerendo
Nos canis enerves animo, nos robore fractos.
Hinc ergo edoctus, conſtet jam denique conſtet;
Quod cui diffidis: concurret Thracia, Thraces
Concurrent, factiſque ſuis tua dicta refellent.
Quamquam adeo imbelles; adeo, te Judice, ſegnes,
Projectæque animæ bello ſumus, & tuus heros
Auſtrius, invictus nuda ſit cuſpide Miles,
Conſilio excellens Ductor, Rex inclytus arte.
Sit tuus Eugenius caput intractabile bello.
Alea ſed martis plena eſt diſcriminis: eſto.
Vincimur, at vero nuſquam vincemur inulti:
Thracia ſi flebit, Thracum Germania fletus

Ex-

Excipiet lacrymis, nec diſſimili ululatu,
Et gemitu urgebit quæſitas ſanguine palmas;
Sanguine nam palmas redimet tuus ille Sabaudus.
Quod victi fuimus, ſi cauſam excuſſeris æquus,
Culpa tua eſt: nam pelle tenus cum Thracius ipſe,
Cætera ſis Latius; noſtris præfecimus aris
Te tamen, & ſummum belli adlegavimus omen.
Quod ſi vincemur, culpa hæc vel pertinet ad te;
Cum temere laceres, noſtrumque immunis honorem.
Teutonas aſſuetos armis pleno adſtruis ore:
An vero imprudens belli gens noſtra laborum eſt?
Gens a ſtirpe ferox, gens matris ab ubere rapta,
Ut bello indulgens teneris addiſcat ab annis
Fortia quæque pati, tentare & fortia quæque.
Hæc ſi Dux jubeat, morti ſe devovet ultro
Deciduâ vitâ ſedes emtura beatas.
Noxque die, noctique dies committitur illi
Curſando exacta, aut pugnæ ſimulacra ciendo,
Sive ubi turmatim miſcent, ſeu bella viritim.
Conſenſu infami ſic nempe obmutuit uſus?
Sic belli extincta eſt, ſic diſciplina receſſit?
An tua vox noſtro commenta accomodat hoſti?
Nec tot præſentes Proceres, Regemque vereris?
Hæc dum miſſa facis, dum voce, & corpore toto
Formator Juvenum, noſtri præceptor honoris
Belligerum, invictum, felicem, Heroa, potentem
Uſque canas Carolum? Carolo cum bella Sabaudi
Subiicias, & pene diem tenor occupet idem?
Addis & invictos hoſtes: ubi Mæſia vero,
Aut ubi Pannoniæ fines, ubi Dacus, & Iſter,

Heroum e manibus quos Thracum frigida bello
Extorſit pubes? bello metiris ab uno
Omne ſequens, hoſtiſque breves effuſior edis,
At contra æternos Thracum nil ſtringis honores.
Obſtruit os Hominis perfricta fronte pudorem!
Quod ſemel experta eſt adverſum Thracia Martem,
Conſulis, æternum vetitis ut temperet armis.
* Deſidia armatis, armis ſunt noxia bella,
* Utque viros acuit, gladios ſic pugna retundit.
Dic, tua ſi fallant dubios veſtigia greſſus,
Cur rurſum incedis? victu cur utere rurſum,
Si ſemel offecit? cur ſpe deluſus inani
Nauta, colonus, aquas, campos, rate, vomere ſulcat;
Spemque ſuam infidis merces, & ſemina credit?
Judice te, ſegnis ſecedet Thracia bello
Victa ſemel, deſeſque adverſa morabitur arma?
Ah ceſſet, potius ceſſet tuus ille Sabaudus,
Si ſapit: *ad Cœlum ſatius quem proſpera vexit
* Sors tandem affliget: metuat, qui ſæpe ſecundâ
* Utitur, adverſam: vicibus fortuna ſerendis,
* Et ſtabilis levitate ſua eſt: lucem excipit umbra,
* Et veri ſuccedit hyems, nimbique ſereno.
Qui retulit vario raptos ex hoſte triumphos,
Victus erit: quod ſi Magon in noſtra ſecundus
Vota ſit: hac ego dextrâ ſit meta trophæis
Addita vel vitæ: ſi rite operatus ad aras
Ejus in obſequium, ſi fudi in bella cruorem.
Ante tubas rauco jaceret quam turbine flammas
Fulmineas, heroes erant: nunc quilibet heros,
Quælibet & virtus ignitæ obnoxia glandi

Mi-

Militis ignoti eſt: & nos intendimus ignem,
Infligitque hoſti vulnus meus ignis, & enſis.
Nec ſemel, invictum quem tu mentire, Sabaudus
Vidit, & e venis doluit fluxiſſe cruorem.
O ego commoriar, ceu noſtri in rupibus Hæmi,
Ungue ferit, vel fixa Aquilæ perit ungue Cymindis.
Utque ſolent Barrum amplexi cecidiſſe Dracones.
Gratior hæc palmâ, quin vitâ acceptior ipsâ
Mors mihi; nec tantum, noſtri quod nominis hoſtis
Implacatus, & æternus procumberet; at quod
Ille meis manibus fixus, verum ipſe dolore
Illius occideres; multum nam perfide, multum
Eugenio, Caroloque ſtudes, occultus & hoſtis
Noſter es: haud adeo verum; quin pectoris index
Te lingua arguerit; quamquam commentus amicũ es.
Nam tua vox illa eſt, monitus tuus impius ille:
Feriat a bello jamdudum, feriet olim:
Deſidiâ marcet, marceſcat Thracia ſemper.
Argue nunc: editur rubigine cuſpis, edatur.
Eſt equus impatiens belli, ſonituſque tubarum,
Uſque ſit impatiens: jam jam ruitura ſequuntur
Tecta, ſolo tua ſtrata cadant: jam pene fatiſcit
Fluctibus in mediis navis comprenſa, fatiſcat.
O amor! o hoſpes timor indiviſus amoris!
Talis in Eugenium ſit amor tuus: execror ipſe
Inviſum caput, ipſe odi cane pejus, & angue.
Sed nec ſolum odi, quo tecum velitor, ore;
Aſt animo, aſt dextra; duplici qua victor ab hoſte
Accipiam pœnas, ſi tu Rex bella capeſſas
Tam pia, ſi jubeas. Dicentem excepit equorum,
Quem

Quem penes imperium eſt. Regū Rex major ,an unus?
Macte animis, macte ingenii pugnacis amore,
Hæc mea dicta tene: ſi quidquam accedere honori,
Fortunæque tuæ poterit , ſola illa videtur,
Quæ victo Eugenio quondam tibi gloria cedet.
Ille nec inficior virtute inſignis, & arte eſt:
Atque adeo excellens; quod nullo victus ab hoſte
Idcirco fuit ante : tibi nam tale reſervat
Rex Divum , Magonque decus ; nil ergo morare,
Quo minus oblato victor potiaris honore.
Ipſe tuus Genitor, quas illi ſumere pœnas
A Superis vetitum eſt (quando nil marte ſecundo
Uſus in Eugenium eſt) ad te nunc rejicit, & te
Deſtinat, ut patrii fias aſſertor honoris,
Utque ignominiæ vindex habearis inuſtæ,
Parque pari referas, & cladem clade rependas.

FRAN-



1 *Timaridum* 2 *Regem* 3 *Pedes arcet ab* 4 *amne, Getarum*
5 *EVGENIVS* 6 *tria septa ruit,* 7 *Peditesque trucidat.*

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS;

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER III.

N.1. *Turcarum Rex, ut ſententiam ad bellum pronam refellat: Acalnorem magnæ apud gentem authoritatis quid de Auſtriaco bello ſentiat, ſciſcitatur; ea tamen ratione, ut is facilè colligat, velle ſe ab eo bello abſtinere.*

N.2. *Acalnor bello refragrari ſe profitetur, & ex eo potiſſimum capite: quod adhuc vivus in mente horror ultimæ cum Eugenio conſertæ pugnæ ſuperſit, & plagæ nondum in corpore obductæ.*

N.3. *Deſcendit ad pugnæ cauſam ea autem hæc fuit. Turcarum Rex Regnantis Pater captis aliquot Urbibus Pannoniæ in magnam erectus ſpem, immiſſo equitatu adverſas regiones it populatum.*

N.4. *Eugenius de populatione exacturus pœnas animadver-*

ſa Turcarum caſtra equitatu nuda aggredi ſtatuit : caſtrorum deſcriptio, & triplicis eorum aggeris, & militum.

N.5. *Addit deinde Acalnor militum deſperationem conſpecto fluvio à Germanis obſeſſo, ne Turcicus equitatus ſubſidium pediti ferre poſſet.*

N.6. *Incipit pugna ab incondito Turcarum, & a concordi Germanorum clamore, tùm variis partibus expugnatur agger: ubi verò integer eſt, illuc Eugenius advolat, ſigna infert, Turcas gradu dimovet, laborantes ſuorum acies reſtituit, confertas Turcarum disjicit, & disjectas ſuis ſociis ad ſtragem adlegat.*

N.7. *Eugenii nutum prævenit Germanus miles, & ubi majus periculum, illuc ſeſe torrentis inſtar effundit.*

N.8. *Eo nixu in orbem agger ſuperatur. Eugenii virtus undas ſulcanti navi comparatur.*

N.9. *Fugientes Turcas obſeſſi fluvii aſpectus deterret, dubios Viſirius habitu trucis oris, minis, precibus, & acri oratione reſtituit pugnæ.*

N.10. *Omnis Turcarum manus in unum Eugenium fertur: unus omnes debellat: ejuſdem Eugenii virtus pyrio pulveri comparatur, ſtrages ab Eugenio illata.*

N.11. *Viſirius aggreſſus Eugenium, dum illius gladium in ſuum caput venientem objecto enſe tentat repellere: enſis Turcicus ab hoſtilis ferri violentia in Viſirii incuſſus caput, medium tranſverſâ plagâ, quod rectâ deinde Eugenii ſequutus gladius dividit.*

N.12. *Tum vero ingens fuga, & nudus prorſum agger a Turcis relinquitur, & ſecundus, & tertius deinde agger expugnatur.*

N.13. *Ger-*

N.13. *Germanorum furor, Turcarum multiplex cædes.*

N.14. *Acalnor, ut de conſpecta ſtrage Regem doceat, fugit: inter fugiendum Germano pediti occurrit: mira eorum dimicatio.*

N.15. *Admonitus Turcarum Rex fugit, & pene ſolus Temeſiam adit: metu omnis equitatus ſuſus dilabitur: timor porro adeo ad omnes valuit, ut poſt cladem omnes Viſirii munus reſpuerint, quod & invitus Acalnor accepit.*

N.16. *Hic idem tam felicem Auſtriaci exercitus victoriam ad Virginis opem refert.*

N.17. *Id ut conficiat, ſubjicit: quod cum Præfectus Palæſtinæ eſſet, exploraturus an vera eſſent, quæ referebantur de antro, in quo delituit Virgo fugiens Herodis ſævitiam, & quæ de ſacratiſſimo ejuſdem lacte ibi in terram effuſo. adiit id loci illudendi animo: ſed inopinato metu correptus, diverſus a ſe rediit. Deinde ſic arguit. Si Virgo nudo antro tantum terroris incuſſit: quem non incutiet dum utetur Auſtriadum, & Eugenii virtute?*

N.18. *Id ut magis obtineat, addit: quod idcirco binos dies ante contractam pugnam viderit in caſtris Auſtriacis coli feſta Nativitatis Virginis, Turcis fatalia prædicta a transfuga, quod eventus fide compertum fecit: Inde infert ab Auſtriaco bello temperandum.*

N.19. *Acalnorem auctorem ſequutus ultro Turcarum Rex, Venetis bellum inferendum juſſit, eo ſucceſſu patratum, ut uno pene impetu Græcia ſubacta ſit tota.*

N.20. *Poeta in Græcos invehitur tam cito ſe dedentes, hor-*

tatur ut claſſem Venetam, & Luſitanam opperiantur: claſſis utriuſque deſcriptio.

N.21. *Joannis Luſitaniæ Regis laudes petitæ ab ejus miſeratione exhibita erga Græcos a Turcis oppreſſos: ea autem miſeratio exorta eſt a ſtudio, quo literatos homines proſequitur; quorum ſe Patronum benigniſſimus Rex profitetur, & quos Regali vere benevolentia amplectitur.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Ne belli ſtudium paci ſuccedat, Acalnor
Imperio Regis pugnam, palmaſque Sabaudi
Expedit: inde monet Germano parcere bello.
Claſſem Henetum cantat, Luſitanamque poëta.

LI-

LIBER III.

N.1. HÆc ubi dicta: fremunt Turcæ, queis cõſonus ar-
Et quibus Auſtriacas Urbes placet ire receptũ: (dor,
Atque hilari vultus habitu, nutuque ſequenti
Aſſenſere: dolet, tacitoque in pectore flammam
Rex premit; ut vero ſtudium, partiſque refellat
Belligeræ aſſenſus, & crimen diluat otij,
Patronum adſcivit paci, cui nomen Acalnor;
Cui tenor innocuus vitæ, cui plenior ætas
In caſtris exacta, graduſque experta per omnes
Adſtruxiſſe fidem poterat: ſi forte Tyranni
Is foret a ſtudiis; animi maturior idem
Quandoquidẽ a Ciconum primis, quã creditus ævi eſt.
Hunc Rex compellat: juſſitque, ut promeret: utra,
Belline, an pacis ſedeat ſententia menti.
Eſt ea ſed vultus ſpecies; vociſque jubentis,
Ut plane arguerit pacis ſtudium eſſe Tyranno,
Et velle Auſtriaci Regis ſe parcere bello.
N.2. Hic vero aſſurgens ſenio gravis auctor Acalnor
Se tulit in medium, & ſubmiſſa fronte ſalutat
Et Regem & Proceres: aperit dein talibus ora.
Pace tua Rex alte, tua Dux optime Thracum
Sit venia, veſtrâ dictum Threiſſa Juventus;
Omnis ab hoc bello ſenſus, mens omnis abhorret.
Sanguine puniceí, canentes oſſibus agri
Uſque adeo, infandi quâ pugna noviſſima belli
Conſerta eſt, fœdus noſtro quæ funere ſanxit:
Horrida quæ menti ſpecies certaminis, & quæ
Vulnera ſtant paſſim noſtros obducta per artus

Sunt argumento, talem vitemus ut hoſtem.
Magnum neſcio quid Muftius dicere viſus,
Dum Caroli excelſas dotes, palmaſque recenſet
Eugenii; aſt illi rumor delatus ad aures
Eſt auctor rerum; nec viſa, at dicta reportat;
Me vero appellant contra mea lumina rerum
Auctorem, meaque ipſa fides; ego teſtis, & index.
Sed nollem averſis animis ea dicere Thraces,
Quæ vidi his oculis; utinam o vidiſſe negatum,
Atque utinam occiderim; noſtris ſic nempe ruinis
Morte parentaſſem, & merui periiſſe: nec ullus
Vel me deſidiæ inſimulet, vanique timoris.
Sortem omnem, caſus omnes moriturus obivi.
Si vero eſt quicquam, ne tum cecidiſſe queramur,
Id certo, ut pluſquam ſimpla vice Thracia ſupplex
Te moneam, ad noſtras cædes, noſtrumque cruorem
Ne temere irrites hoſtili a ſtrage recentem
Eugenium: deſuntne alii, quos marte laceſſas?
I pete Sauromatas, Moſcoſque, Henetoſque rebelles:
Quos penitus cunctos inviſo a ſemine cretos
Relligio ad pœnas merito Threiſſa repoſcit;
Quin eadem edicit ſolum illa capeſſere bella,
Uberior fructus, levius fluet unde periclum.
Noſter ab Eugenio tantum ſibi temperet ardor.
In cædes alias aliis de cædibus ultro
Ne recidas, dum tecum agitas deluſa triumphos;
Majoreſque feras avidis a Cæſaris armis,
Dum tibi pollicita es clades ſarcire priores.
N. 3. Si modo, ſi major poterit contingere ſtrages,
Quam tuus accepit Genitor, Genitoris an agmen;

Dum

Dum procul a caſtris idem ſubmotus agebat?
Ille tuus (fruſtra eſt titulis appingere nomen)
Id ſatius dixiſſe, tuus Pater inclytus ille,
O Rex, qui rerum columen, qui gloria Regum es.
Ille, inquam, ſecum læta jam mente coquebat
Auſtriadum clades: aliquot ſibi dedere juſſis
Urbibus: Eugenius ſeu fruſtra avertere nixus,
Sive ut adeſcato ſic Regi imponere vellet,
Haud bene compertum eſt:hilaris tamen ille trophæis
Ibat, & erectus mentem felicibus actis.
Et Ducis invicti fortem ſe denique nactum
Jam ratus:*heu mentes Hominũ,quâ prendere palmas
* Credimus, hac opera clades excudimus ipſa.
Sic ille imprudens rerum, tumiduſque Tibiſcum
Contemtim tranſit: mentemque adjecit ad auſum,
Quod prima ſpecie poterat laudabile dici:
Pannoniæ in fines equitum decurrere turmis.
Si ſucceſſiſſet: Thracis decus inde receptum
Credidit afflicti, quod ſponte inferret in omnes
Auſtriadum fines bellum; quin inde putabat
Thracas ab incuſſo ſic demum poſſe timore
Jam recipi, toties tam fœda clade retuſos.
* Rebus in acciſis ſiquidem fortiſſima quæque
* Conſilia, hæc eadem vertunt tutiſſima ſæpe.
Aſt affectatis diſpar ſucceſſus ab auſis,
Quam male reſpondit;proh quantum Thracia,quantũ
Tempeſtate illa, proh quantum perdidit orbis!
Quippe eques effuſus populavit Thracius agros
Auſtriacos, lateque incendia miſcuit igne.
N.4. Ille ſed(heu quantum nomen me promere tædet)
Bar-

Barbarus ille,inquam,prædæ ſibi deinde futurum
Quod peditum in caſtris reliquũ ratus:applicat agmẽ,
Ut pœnam exigeret: * propior tum credita pœna eſt
* Auxilio; auxilii quando præciſa facultas,
Quandoquidem in flammas regio conſederat omnis.
Nec facto æquales pœnas movet impius ille
Exactum: aſt agitat facinus ſub pectore majus.
Stat luere exitio offenſam, fluvioque cruoris
Iſmarii immiſſas agris extinquere flammas.
Neve opus hoc hoſtis prorſum intractabile ducit;
Nam mora qui palmis eſſet, noduſque futurus
Rex procul à caſtris, pariterque exceſſerat omnis
Vis equitum; neque enim talis dementia menti
Jam foret Eugenii Regem certamina contra
Conſerere; iſtius poterat præſentia ſola,
Non jam agger triplex niſus fregiſſe Latinos:
Aggere nam triplici caſtra obvallata manebant.
Interior quorum, vel qui ſucceſſerat illi
E terra erectus preſſa: quin multa ſubinde
Vis ſarmentorum glebas infarta ligabat.
Nec vero his aberant foſſæ, vallique preuſti
Ignitaſque pilas muralis machina librans.
Tertius aſt agger, prorſus peregrinus, & inſtar
Muri inconcuſſi, vel ineluctabilis arcis.
Hunc onera, hunc currus, adjectaque ſarcina plauſtris
Inſtituit: paſſim contus depactus ibidem eſt;
Ut prorſum invictus, vel inextricabilis eſſet.
I nunc: Vindelici ſimplum trino ordine noſtris
Aggeribus confer, numerum & committe virorum?
Qui nobis adeò fuerat cumulatus, ut unus

Teu-

Teutonidum ſenos Thracum congreſſus haberet.
Quis porro noſtris animus, quæ maſcula virtus,
Ut recolam vanum eſt: ſatis eſt dixiſſe, quod ille
Flos erat Edonum, proprio qui marte ruinas,
Quique tot inflictas valuit pervadere ſtrages.
N. 5. His demum accedit; quod barbarus ille putarat
Extinqui non poſſe ſitim, rabiemque cruoris,
Qua nimium ardebat, ſi Thracum evaderet unus.
Idcirco obſedit ſpiſso cum milite flumen,
Et, qui pons fluvii ripas jungebat, ademit,
Ne peditum cladi præſto Rex protinus eſset,
Et ne ſubſidium tempeſtas ferret equeſtris.
Quin & in adverſis tormenta curulia ripis
Conſtituit paſſim, Geticos fixura maniplos,
Seu vada tentantes, laceri ſeu fluminis alveum
Trajicerent nantes, ut dextram jungère poſsent.
Miles at Iſmarius ſeſe undique circumventum
Hoſtibus, & fluvio, totamque in marte ſalutis
Spem fore cum vidit, primum ſtetit; inde timorem
Diſcuſſit timor ipſe: * furor revocatur ab arctis,
* A deſperatis petitur ſpes plurima rebus.
Hinc placet infauſtæ mortis, vel fauſta triumphi
Alea: ſeſe acuunt, ſeſe exhortantur ad arma.
Ipſe ego conſpiciens oculos, vultuſque minaces;
Ante licet fuerit metus integer, integra vel ſpes:
Vicimus o Juvenes, exclamo, vicimus hoſtem.
Quæ fuit ad noſtram prius intercepta ſalutem,
Illa via ad palmas nunc eſt præciſa Sabaudi,
Quem ſua calliditas, prudentiaque ipſa fefellit.
Sic ego: at infelix pugnæ ſucceſſus inanem

Red-

Reddidit auctorem; quamvis exordia nobis,
Et curæ aſſumtæ, ſpes & ſublata receptus,
Et quamvis aliter triplex promiſerat agger.
Vertice de cujus ſortiti munia belli
Stant proceres ſtatione ſua, ſtat miles ad omnem
Accinctus caſum, curâque intendimus æque
Fxactà; ut nulla de parte ſit obvius agger;
Neu loca militibus ſint intermiſſa paratis.
N.6. His bene compoſitis: nil uſquam territa caſtris,
Nil Thracum numero pubes Germana ruebat.
Clamor ad ardorem pugnæ numeroſus ad auras
Tollitur a nobis; clamor levis accidit illinc:
At concors, plenuſque ſpei, plenuſque furoris.
Qualis ſaxa inter fremitus procul æquoris aures
Verberat, aut inter frondes admurmurat aura.
Neſcio quid ferale ſonus portendere viſus
Ille ſit: is nobis virtutem, & robur ademit
Hoſtibus adjectum: qui protinus ordine denſo
Incumbunt, plenoque gradu tela inter, & ignem
In ſeptum incurrunt alacres: tali impete cæpta
Res fortunam habuit; nimia nam mole parata
Partibus e variis foſſa expugnatur, & agger
Momento: quâ Mars vero communis utrinque eſt,
Inque vicem nunc invehitur, nunc pulſa recedit
Teutonidum pubes, hic ilicèr imminet ille
Barbarus; impatienſque moræ, palmamque recuſans,
Quæ tarda eſt; volat ad primos, quâque irruit ille
Teutonidum movet omnem aciem, vel dimovet omnē
Thracū aciem, ſuaq; arma ferens, noſtra agmina pellit.
Ut globus e nivibus ſi clivo evolvitur alto

Cre-

Creſcit ab adſcitis, majorque evadit eundo:
Et quo ſe volvit, nivibuſque involvit; eodem
Avertit, ducitque nives: ſic agmina ſecum
Ille rapit, pellitque; ſuoſque ad bella reducit
Nos abigens: abit, inque fugam ſe projicit omnis
Gens Thracum antiquâ quamvis virtute, fideque;
Conſeditque animis, gelidoſque obtorpuit artus
Cominus Eugenii vultum, ferrumque tuendo.
Ore metum, gladio mortes præferre videtur:
Sic fugat aſpectu, ſic ictibus agmina ſternit.
Ille laborantes acies, qua parte dehiſcunt,
Aut qua parte ſinum faciunt dictiſque, manuque
Reſtituit; turmaſque novas ad prælia cogit,
Quâ labat infirmus cuneus, vel diſſitus ordo eſt
Teutonidum: at noſtras interlucere cohortes
Quâ videt, excedit, faciles nec curat honores.
Agmina tum contra, quâ confertiſſima cernit,
Huc illum ſuus ardor agit; cumque impete fusæ
Nil bene jam conſtant acies, ſecumque cohærent
Digreditur: ſolum gaudens viciſſe, ſuiſque
Ad ſtragem adlegat cuneos, quos ille reſolvit.
N.7. Nec vero ſegnis miles data juſſa faceſſit.
Præcipit at nutus, & nutus prævenit ultro:
Et quâ quiſque poteſt adnititur, irruit, urget.
Præveniſſe parum eſt: juvenum vis affluit illuc,
Major ubi labor eſt, ſociique hæſiſſe videntur:
Quâque magis ſtatio eſt flammis obnoxia, quâque
Ingruit uberior flammarum injuria, currunt.
Ergo alios alius ſupra ſeſe arduus infert.
Mira fides labor ipſe vocat, ſtudiumque pericli,

Et mors in pretio eſt, & multo vulnus honore.
Objice ceu torrens abruptus cogit eodem
Eliſas violentus aquas, laticeſque ſequentes
Sepis in excidium: at faciles ubi ſemita calles
Explicat; innocuus placidis delabitur undis.
Haud aliter Germana acies, ubi noſtra repugnat
Acrior, infeſtis numeroſior ingruit armis.
N. 8. Hoc demum niſu prior expugnatur in orbem
Agger, & admiſſus nobis cedentibus hoſtis.
Nec vis, nec ſtudium menti eſt, ut ſingula dictis
Aſſequar, aut cædis ſpecies, aut funera Thracum:
Quæ dum mens recolit, reficit ſe plaga, dolorque.
Me miſerum videor vel nunc ſpectare Sabaudum
Graſſantem in noſtros, ultro citroque ruentem;
Quo ſe cumque rapit, tumidos ibi ſanguine rivos,
Et ſtragem armorum, mutila & procul ire per auras,
Inſternique ſolum membris; patet horrida longe
Semita, qua victor rapitur. ceu turgida navis
Scindit aquas, ſpumâque vias deſcribit in undis:
Haud ſecus Eugenius ſtricta quâ cuſpide fertur,
Sternit iter, ſignatque ſui veſtigia curſus.
Illa ſed argento, calles hic ſanguine fingit:
Illa ſecat fluctus, fluctus crear iſte cruore.
Terga damus miſeri, curſumque intendimus, alis
Ceu geminis rapti: nos admonet inde pericli
Deplorata ſalus, illinc truculentior hoſtis.
N. 9. Obvius aſt oculis fluvius, clauſique receptus
Deterrent; ſtat quiſque, graduque immotus eodem
Alter in alterius fixis obtutibus hærens
Ora tenet, dubiuſque viæ cunctatur: in ipſo

Nos

Nos rerum articulo, ſummoque in cardine caſus
Excipit, atque truci Viſirius arguit ore
Torva tuens, immane furens, ferroque minatus.
Exauctorandos proceres tum ſubjicit omnes,
Qui temere fugiant: deſertorumque luendas
Militibus pœnas, ſi fortè evaſerit ullus
Teuthonico, ferroque ſuo delapſus & amne.
Obteſtans tum deinde preces deſcendit in iſtas.
Quo fugis? aut quo tendis iter? fugis improbe miles
Virque virum, ſimileſque manus, paria arma rotantē?
Quem ſi propoſitum eſt, poteris ſuperare: ſed amnis,
Quo curſum intendis, nulla tractabilis arte eſt.
Me ferro cecidiſſe juvat: ſe deſtinet undis
Qui fugit a ferro; pereatque inglorius amne.
Dixit, & haud dictis manus abſona: ſeque pudore,
Et rabie inſtinctum medios projecit in hoſtes:
Et ferro metit, & centum obluctatur in enſes.
Et ſudore ſcatet, communi & ſanguine ſordet.
Acceſſere animi victis, virtuſque recepta eſt.
Irruimus, ſequimurque Ducem: tum diſſita ſigna
Cogimus; agglomerant juvenes ad ſigna frequentes.
N. 10. Utque ex compoſito, rurſus juſto agmine facto,
Ipſum obverſantem turmarum in fronte Sabaudum
Infenſi petimus: ſummaque ope tendimus omnes
Circumfuſum armis in fruſta abſcerpere noſtris.
Omnis quandoquidem Thracum victoria in illo
Vertitur extincto: quiſquis decus optat ademti
Eugenii feciſſe ſuum: furor omnibus idem
Communes damni maculas abolere cruore
Unius: incubuere, manus pene omnis in unum

Collimat, telum omne; nihil ſed territus unus
Quo magis urgetur, tanto magis acrior urget,
Exertatque magis vires, gladioque coruſcat
Arduus, invictus, ſupra quam credere poſſis:
Et ferit, & fugat, & ſexcentos excutit enſes.
Haud aliter Pyrius pulvis ſi clauſus in antro
Concipiat flammas, caveâ nihil ille retuſus
Torpet ab anguſta, ſed vires colligit inde.
Idem animus, vigor idem, idem color ore renidet
Eugenii: ferrum rotat indefeſſus in orbem;
Neve habet is penſi, quod plurimus ingruat hoſtis;
Quippe vicem numeri tum cordis rettulit ignis,
Tum dextræ exhibuit robur: * facieſque pericli
* Tam magis arridet, quam pro diſcrimine palma
* Eſt potior: numero, ſedet illi, explere furorem:
Semper hiulca ſitis noſtri cui ſanguinis ardet.
Stat pes immotus, manus una rotatur in orbem,
Cui pro ſtrage ſua numerus Thracû auget honorem.
Aut cæſim, aut punctim ſemper ferit; irritus ictus
Nullus it, & ne dextra diu glomerata laboret,
Alternis manibus ſtrictum tenet, & rotat enſem
Fulminis in morem; vel fulminis ocior igne
Itque, reditque ferens miſeris, laturaque vulnus
Ferri acies, adeo celeri acta volumine gyri:
Ut capita e trunco, & viduis diſſecta lacertis
Brachia conſpiceres: medium & diſcedere pectus
Ventre tenus; ſed non oculis fuga cuſpidis æque
Conſpicua eſt, miſeros quam præcipitanter in hoſtes
Infligit, revocatque: cito quæ lumina curſu
Aut fugit, aut fallit; ſed non & dextera fallit,
Nec deſiderio fraudat fruſtrata Sabaudum.

N.11. Is ferrum adglomerat, ferrique volubilis orbe
Sors juxta adglomerat mortes: Viſirius ipſe
Id ſenſit; nimii cui pœna eſt penſa furoris.
Quo feriat, propius ſeſe ille audacior infert:
Incidit in duram, ſed nacta novacula cotem.
Dum quippe exertat gladium, dum pendet in ictum
Altius aſſurgens, ferro Dux Auſtrius hoſtem
Occupat, & rapidum velocior incutit enſem.
Hoc animadverſo, aut retulit Dux Thracius ultro
Conſilium in melius, ſeu virtus inſita membris,
Venturi divina, manum prætendit ad ictum;
Ut damno occurrat, cujus male ſenſus habetur,
Et quod conſulto vix evaſiſſe liceret.
Nec mora: tutelæ capitis, non amplius hoſtis
Imminet exitio, & venienti in tempora ferro
Oppoſuit gladium, gladio defendat ut ictum
Eugenii intortum ferro; ſed dextera plagas
Debilior geminat, quas virtus provida cavit.
Nam ſimul incutitur fronti romphæa Sabaudi,
Fulminis in morem; ſaxique ab rupe ruentis,
Iſmarium offendit gladium; nec ab objice pulſa
Diſſilit hoſtili, ſed eodem turbine rapta
In caput impactum Domini prius incutit enſem:
Hic ex tranſverſo cædit caput, impete tali,
Ut medium abſciderit jugulo tenus, inde ſequuta
Romphæa Eugenii recto cum vulnere frontem
Dividit: in partes pendens cadit ergo quaternas,
Diſceditque caput; quotuplex unius ab ictu
Vulnus, & inflictæ quam multæ a vulnere cædes!
Tanton & Eugenius torquet molimine vulnus!

N.12. Id

N. 12. Id monſtri ut viſum, torpet formidine ſanguis
Hæmoniis, animique jacent: perculſaque prorſus
Protinus inclinare acies; par vulnus ab enſe
Quiſque reformidat noto: timor inde coortus
Tunc animo inſedit cunctis, & plurima late
Facta fuga eſt: non illa gradu correpta, nec ullo
Ordine: disjecti fugiunt, quo terror adegit:
* Nec modo militibus, Ducibus ſed jura dat ipſis
* Formido: nulluſque gradus reſpectus, ubi illa
* Poſſidet, imperium Procerum calonibus æquans.
Ergo uni mortem peperit plaga illa, metumque
Omnibus incuſſit: fulmen non ſecius igne
Si quemquam ambuſſit: reliquos timor occupat ortus
A crepitu horrifico, & flammis, radioque triſulco.
Hic debellatum eſt, hic productiſſimus agger,
Qui patet, eſt prorſum nudus, palmaſque Sabaudi
Prædicat, & voces ſunt ipſa ſilentia valli.
Una omnes certatim abeunt, & in altera ſepta
Impacti incurrunt: eadem ſed victa repente.
Tertius & vallus caſum ſortitus eundum eſt
Tam ſubito; quod ſi liceat mihi, vera fatebor.
(Ut dolor elidat vocem, lachrymæque) Sabaudus
Adfuit, invaſit, vicit; pene impetus idem
Belli decrevit ſummam: vix improbus ille
Prima init, extemplo cum tertia ſepta ſubegit;
Inque omnem æquatur pernix victoria partem.
Et quibus ad ſummum cecidit cuſtodia vallum
Militibus, credunt Cœlo veniſſe Sabaudum
Præſidio alarum, & ſecum duxiſſe phalanges,
Quas minime advertunt eniti in ſingula ſepta.

At

At ſecus undanti fluvius jam ſanguine natus
Arguit, oſtendens calles a cuſpide ſtratos.
Nec Cœlo, ſed membra ſuper lacerata Getarum
Hauſtum iter Eugenio; quando promiſcua pubes
Jam ferri fuit, & quando ſpes nulla ſalutis
In telis, clypeuſque oneri, gladiuſque periclo eſt.
N. 13. Seu fugit abjecto, ſtricto ſive enſe repugnat
Sors eadem Thraci eſt, ſortique infenſus utrique
Teutonidum furor, & calidi indulgentia ferri
Graſſatur juxta, & veluti jejuna libido
Sanguinis in fluvio, fluvium ſitit uſque cruoris.
Nil rabies prior illa, nihil prima ira remittit:
Ceu foret uſque anceps belli diſcrimen utrinque,
Aut irritaret dubii certaminis ardor.
Singultus, lacrymæ, luctus, fuga, terror ubique,
Sanguis ubique, & ubique ciens mors impia ſtrages,
Et ſuſpirantum fremitus, gemituſque frementum.
Heu dolor, heu pietas! ſummo ſub veſpere cœpta
Concubiam in noctem tenuit ſæviſſima cædes.
Quiſquiliæ & Thracum pariter, proceresque necati,
Redditaque infamis communi ſanguine clades.
Haud ſatis extinctos numero comprehendere certo eſt,
Nec mihi fert animus terere inter funera tempus.
Dux peditem, ſupraque Ducem pedes incubat ictus:
Saucius integro, vivo defunctus inhæret:
Inque equitem revolutus equus: corpuſque Gelonum
Odryſio adjectum capiti: Phæniſſaque ſura
Eſt Phario commiſſa pedi: Trallique lacerto,
Et niveo cubito Mauri manus adjacet atra.
Atque ea membrorum ſtrages congeſta per agros,
Ut

Ut queis pugnaces jam non potuere cohortes,
Extinctæ impediant curſum: ſic copia multis
Eſt data præſidio fluvii pervadere mortem.
Fallor: an ad fluvium mortes plerique receptas
Artubus in laceris ſecum duxere? relaxat
Vis undæ intruſa & plagas diſſolvit hiulcas;
Et fugit effoſſo liber jam ſpiritus antro.
N. 14. Interea me non intactum vulnere, neve
Sanguinis immunem curæ in diverſa trahebant.
Nuntius ad Regem ferrer? noſtramque docerem
Perniciem; an potius communi funere raptus
Occiderem: ne vita mihi plus morte dolenda,
Neu mihi ſegnities foret incuſata, timorque?
Sed vicit Regis reſpectus; & haud mora, calcar
Cornipedi ſubdo: volat ille citatior Euro,
Præcipitatque viam, & propero pede tendit ad amnē.
In medio at ſpatii, nobis ſeſe objicit ultro
Auſtriacus Juvenis: *Sclopum* manus altera geſtat
Pulvere Lemniaco tantum, non glande timendum:
Dextra gerit cultrum, quem ſclopo adnectere mos eſt;
Ad crudas ubi pugna manus jam venit, ubi atrox
Mars ſævit: ſed cum ſclopo non poſſet inermi
Ille ſequi: miſſo me telo affectat adeptum
Sternere, quod magno irarum certamine librat;
Et mea perſtringens deguſtat cuſpide crura;
Hæſit, & in noſtro cuſpis defixa cothurno eſt.
Tum vero excandens animus conceſſit in iras;
Quod petat inſanus me calo equitemque, ducemque;
Tum vindicta fugæ, & Regis præfertur amori.
In Juvenem feror, & ſubductum a vulnere ferrum
In-

Intorſi: lixæ coſtas ſubit enſis adactus
Auſtriaci. rapit ille iterum, libratque cruentum.
Sanguine communi; ter miſſus, terque remiſſus
Itque, reditque volans gladius laturus in hoſtem
Vulnus, & ut ſumat lato de vulnere pœnas:
Plaga ad vindictam ſtimulis exulcerat iram,
Addit ab integro vindicta ſed excita plagam.
Et ſemper nova cauſa ſubeſt utrique nocendi.
Et forſan cecidiſſet uter, ni viſa repente
Ala equitum: tum me rapui, pugnamque diremi.
Ille ſed ereptum cernens fremit, & ſibi dentes
Obtundens ſaxo, ſolitæ vice glandis aheno
Intrudit tubulo (tantum furor improbus auſus,
Et potuit) tunc ignito cum pulvere dentes
Explodens, triplici fodit mihi vulnere terga.
N.15. Hic magis, atque magis fugio, tum verbere adactus
Inſiluit fluvio ſonipes: & fluminis undis
Tranſmiſſis adii Regem, retulique ſiniſtræ
Eventus pugnæ: caſus miſeratus iniquos
Ille dolet, nil perculſus formidine, & inquit:
Maturemus iter: ſoſpes me ſoſpite ſtabit
Imperium, dixit; vocem ſenſuſque jubentis
Aſſequitur quadrupes: ſeque eripit alitis inſtar,
Corripuitque viam, quam lata Themeſia muris
Objectis dirimit, muros tum pauperis inſtar
Rex iniit, Rex, inquam, orbis tutela, decuſque.
Olli ſe quini comites ſine faſce, ſine armis
Adjungunt: reliquus varios equitatus in agros
Palatur: ſolum mirata Themeſia Regem
Ingemuit, quodque ipſa videt, vix credere quivit.

M Si

Si lubet, hinc poteris metiri Thracia cladem,
Quanta fuit, quanto concuſſit corda timore.
Cui daret imperium tum Rex, qui vellet obire
Nemo unus fuit, & nemo Viſirius eſſe
Tempeſtate illa voluit: tandem ipſe ſubivi
Munus, & invitus potui præferre timori
Imperii nomen, majeſtatemque jubentis.
Hæc pugna, hi pugnæ eventus: eventibus iſtis,
Quisquis es, edoctus tibi juxta, & conſule nobis.
Et bene cuſtodi: tantis de cladibus acta
In clades alias recidat ne Thracia rurſus.
Neu quæſo explores proprio diſcrimine vitæ,
Quanta ſit Eugenii virtus nunc major ab annis,
Maxima quæ nobis ſpectata in flore juventæ;
Maxima ſed quamvis, tanti non illa putanda eſt,
Ut ſibi tam faciles poſſet promittere palmas.
Nunc equidem recolo, mecum nunc priſca revolvo,
Quæ bene Muftius Solyma de Virgine dixit.
N.16. Credite, certa fides conſtat mihi, credite Thraces;
Quæ voto melior, quæ ſpe maturior ipſa,
Quæque cruenta parum victoria parta Sabaudo,
Non opis humanæ eſt fructus, penituſque referri
Virginis ad tantæ munus decet: anne putandum,
Quod triplex momento agger, floſque ille virorum
Proſtratus fuerit, fuerit deletus ab hoſte
Mortali? non hæc noſtræ ſententia menti.
Quamquam alii exortem me relligionis honore
Inſimulent; nunc & fateor, ſemperque fatebor:
Non opis humanæ, ſed Virginis ille triumphus,
Contulit aut palmis, aut palmas attulit illa.

N.17. Sit-

N.17. Sitque argumenti, primo quod vidimus ævi
Flore: Palæſtinis agerem cum Præſul in oris,
Accipite hæc Thraces. Solymis contermina regnis
Eſt anguſta ſpecus; ſed totum auguſta per orbem
Prodigiis: huc ſe Virgo peregrina recepit,
Cum Pharios peteret fines Herodis ob iram.
Hic ubi vult Nato lactis ſua munera Mater
Reddere, canentis guttæ fluxere cruoris
In terram, liquidos tellus aſperginis imbres
Hauſit hians, puduitque ſuos retinere colores.
Nec mora: candentes humeris induxit amictus,
Ceu foret a pleno lactis diluta fluento.
Haud aliter Rhodopen nivibus canere videmus:
Lactea per riguos vernant ſic lilia campos.
Ex illo, populi cunctis e finibus orbis
(Quæ nimium pollent inter medicamina) glebas
Lacteolas quærunt, nam præſentiſſima terra eſt,
Quæ morbi emendet quodvis genus, unde laborat
Implicitus vigor, unde jacet mortalis; at una eſt,
Quæ citet excuſſum pignus, dum nititur alvo.
Id vice non una noſtræ ſenſere parentes,
Et niveæ acceptam glebæ retulere ſalutem:
Quodque fidem eſt ultra; defectus inſcia terra eſt;
Quo magis inde petunt, tanto ſeſe illa reponit:
Hauſtus ineshauſtam reddit, ditemque rapina.
Hoc ex conſenſu famæ retulere prioris
Indigenæ nobis: Hominum mendacia riſi,
Nec durare tamen potui quin indice dextra,
Judice quin oculo præſens facerem ipſe periclum.
Acceſſi, & juvenum junxit ſe plurimus ordo,

Mens illis eadem eſt commentum illudere gentis.
At ſecus evenit; ſiquidem ſimul antra ſubimus;
Neſcio, qua riguere comæ formidine, terror
Ingruit, injuſſusque micat ſub pectore pulmo.
Cedit & obſequio faſtus, neglectus honori.
Sic quos contemtus duxit; cum dia, repenſque
Relligio incuſſa eſt, timidos humileſque reduxit.
Si Virgo aſpectu muti conterruit antri
Stipatos telis juvenes, potuiſſe negamus
Agminibus quando tantis, tali uſa Magiſtro eſt?
N.18. Neve hæc vana fides, linguæ aut cōmenta loquacis.
Hoc fuit, Auſtriacis quod vidimus orgia caſtris
Concentuque lyræ, tormentorumque fragore
Rite coli, & noctis flammas ardere per umbras,
Binos ante dies, quam ferrea martis inivit
Alea; communi proh nobilis alea damno!
Sic porro retulit noſtro, ſic transfuga Regi
Aſſeruit, tum ſolem illum, cum deinde ſequentes
Exitium Thracum genti protendere: donec
Summus & octenus clauſtris exiſſet olympi.
Hinc poſtquam croceos Aurora perendina currus
Extulit, Eugenius conſertum prælia movit.
Lux ea Biſtoniam picea caligine Lunam
Involvit, nobiſque anno volvente recurret
Feralis: proh lux cæcis obſcurior umbris,
Impia lux! quando compertum eſt ſanguine noſtro,
Quod nimium vere tum Regi transfuga dixit.
Heus homicida fides, pietas heus impia gentis!
Cum ſacer illuxit natalis Virginis illi,
Tunc opportunos morti nos eſſe putavit;

Et

Et tumulo pene Europes, Aſiæque litavit
Virginis ad cunas; huc ſe nunc efferat ergo,
Quisquis it inficias Jeſſæam id poſſe Puellam;
Cui belli eſt ſtudium, & tali ſe crimine purget.
Diluat is quicquid dixit Muftius, & ipſe.
Ipſe ego, quid reliqui dicam, nil ſuppetit: unum
Hoc precor, hoc moneo magnam reverere Parentem
Thracia tum propria Carolum virtute, ducumque;
Quos præter reliquos, magni terrore Sabaudi
Expalle: quippe ille ſuo quam marte timendus,
Tam ſimul ac Matris redeunt jam feſta, colendus.
N. 19. Hæc ubi, conticuit, tum ſic Rex Thracius inſit.
Quidquid id eſt, nil me tangit, nec pectora noſtra
Quid ſit, quid fuerit, mæſtum novere timorem.
Hoc eſt, quo moveor: ſi talis ad omnia menti
Dexteritas Carolo, virtus tam ſtrenua dextræ:
Vivat, amicitiæ noſtræ lætatus honore.
* Eſt decus Heroum, natique ad grandia cordis
* Heroas colere, & ſimiles virtute tueri.
Non tamen idcirco ceſſandum, aut martius ardor,
Qui Thracum invaſit mentem marceſcere debet,
Ite viri, rapite arma; Heneto ſubducite Grajos
Imperio aſſertos noſtro, ſic jura piumque eſt.
Fert meus hoc animus, qui ſancit jura piumque.
Pernicies Venetùm, deprædatæque puellæ
Pabula dent nobis; queis duplex ardor alatur
Tum Veneris, tum Martis, ait. Dant nomina claſſi,
Quos Aſia imbellis juvenes, quos ſtrenua paſcit
Europe: queis ſtructa acies contendit ad Iſthmum,
Quo ſimul ac venit; nullo devicta pudore,

Nil

Nil Cœli memor ; & priſcorum oblita malorum
Græca fides ultro Geticos deſcivit ad hoſtes.
N.20. Infelix nimium infelix , quis terror adegit,
Aut quæ deſidies dextram protendere inermem?
Aude animis, ſtringe arma : * fides ſi nulla Gelonis;
* Quos timor incuſſus faciles , confeſſus iniquos,
* Obſequium infenſos , mites jubet eſſe ſimultas.
Thracis in adventu quid ficto gaudia vultu
Componis deluſa ? * habitus dum proditor oris
* Arguit internos ſenſus , & detegit iras:
* Frontis & in ſpeculo reddit ſe mentis imago.
I crotalis , fidibuſque Getas , hoſtisque triumphos
Excipe, quô poſſis Turcis imponere tali
Deceptis ſpecie ; fruſtra commenta feruntur:
Quos tu mentiris plauſu Thrax ſentiet aſtus
Se ratus illuſum ; falſoque a carmine flammas
Concipiet ; veſtris ergo ſic nænia tectis
Occinitur : projecto animo , fictæque litabunt
Lætitiæ abſtracti cenſus , & rapta puellis
Zona pudicitiæ Danais . neu vana timoris
Nomina prætexas , cauſasque a viribus hoſtis
Quæſitas , quas ſola negas avertere poſſe.
* Quod potes , hoc aude ; poteris ſic nempe quod audes.
* Eſt decus adverſæ ſortis diſcrimina ferre:
* Qui renuit miſer eſſe, miſer tunc incipit eſſe.
Deſidiæ in ſimiles ſomnos an rere ſolutum,
Cui maris Adriaci regnum, cui cura, Leonem?
Eripe te paulum portis , ubi ſigna moraris
Thracia ; & oblatâ credis te clave redemtam:
A portis ſupera turres , pro clavibus arma

In-

Intenta, & Turcas abigas; ſi vincere curas,
Ne Venetis ſubeant Turcæ, Dominoque Tyrannus,
Servitium obſequio: muri de vertice ſpectas?
Incubuere mari, & prætexunt Tethyda remis
Delatæ Venetum naves; a milite claſſis
Ipſa occulta latet, tectuſque eſt miles ab armis:
Nec cadit, a velis Sol interceptus in undas.
Si minus his fidas, oculos intende, mariſque
Proſpectum metita petas, qua Phœbus habenas
Laxat, & occiduum cedit devexus in æquor.
Aſpice, cæruleas en Luſitana per undas
Seſe aperit, dorſoque maris ſupereminet alta
Claſſis & æthereis infert ſua brachia nimbis.
Aſpice, ut æquatæ, lunatæque ordine frontis
Procedat metuenda phalanx; verſumque laceſſant
Æquor, & inſultent adverſis roſtra procellis.
In latera illiſus diſcedit pontus, & unda
Perpetuo canens ſulco convulſa dehiſcit.
Quæ monſtrum hoc premit, & proprii veſtigia faſtus
Fluctibus inſcribit; longos ubi tramite calles
Deſerit, hæc eadem magno ſub flore virorum
Claſſis onuſta gemit: turritis puppibus extat
Vaſtâ mole cohors, animo quæ devorat hoſtes,
Pluſque ſuis votis, quam velis corripit æquor:
In venti obſequium nautæ explicuere ſecundum
Lintea, & excuſſos laxant ſine lege rudentes,
Omniaque obverſis intendunt brachia velis,
Excipiant omnes animas ut protinus alæ:
Quotquot habet pelagus, quot tellus adjicit auras
Excepere ſinus; ſtridenti ſuppara cornu

In-

Intumuere: jacet, noſtro ſiqua hoſpita ponto
Prægreſſa eſt navis, raptis & ſupplicat Auſtris;
Has ubi vix ſequitur, quæ puppes impulit aura.
Et latet, & tanta pelagus ſub claſſe renidet.
Fluctibus inſtantes immani mole carinas,
Velorumque ſinus, & carbaſa paſſa per auras
Non ſua, & antennæ Cœlo capita alta minantis
Joniæ mirantur aquæ; divulſaque credunt
Et nemore, & ſolitis veſtita Ceraunia nimbis
Ire per æquoreos campos: tu lumine mentis,
Atque oculis ceu capta tuum nil Græcia ſentis,
Præſidiumque vides? timidos age collige ſenſus,
Hanc paulum opperiens, Venetis hæc addita claſſis
Aut fuſum aſpectu, aut ſola formidine victum
Thracem abiget: major numero ſit barbara claſſis;
Exiget afflictam: terrâ cumulatius agmen;
Perculſum avertet: prorſum intractabilis agger;
Exciſum evadet: virtus ea maſcula virtus
Eſt Venetæ genti, Luſitanæque juventæ:
Atque opus exantlat ſolitum, dum flore virorum
Exiguo immenſum Turcarum disjicit agmen:
Nec niſi myriadas pugnæ dignatur honore
Condictæ: tenues acies evertere luſus.
* Martia vis numerum, vires induſtria penſat.
N.21. Hanc porro, occidui Solis quæ venit ab oris,
Hanc tibi Joannes, cui Luſitania paret,
Auxilio miſit claſſem; qui nomine, & armis
Nō modo junxit Anam Nilo: verum Africa quotquot,
Quotquot & Ammerice, & fluvios Braſilia fundit.
Qui ſi non pedibus, laudum veſtigia terris

Omni-

Omnibus impreſſit: viſuſque inſignior illis
In populis, unde ipſe procul ſubmotior extat.
Ille idem major meriti faſtigia propter,
Quam vaſti imperio regni: doctæque Minervæ,
Gratus & armigeræ, Phœboque aut ſpicula tendat,
Aut cytharæ aurato pellat cum pectine nervos;
Et cui fons Pymplæ Martis non invidet ignem.
Nam ſimul accepit Grajæ diſcrimina gentis,
Quam Pallas, Phœbuſque ſuâ primum imbuit arte,
Et cui tot vates olim initiaſtis Athenæ
Pieriis ſacris; ſubitas conceſſit in iras
Rex honor Aonidum, cultæ Rex cura Minervæ.
Et ſatis ad Danai columen, populique ſalutem
Hos caſus noviſſe fuit; quin nomina mille
Ille licet laudum jactet, titulisque decorus
Millibus incedat, ſolum ſibi vertit honori,
Dum præſto eſt, Danaum damnis occurrat ut ultor.
Nec jam lætatur, quod regni invexerit artes
In ſolium, non rettulerit: vegetæque juventæ
Quod rite accedat ſollertia pene ſenilis;
Utraque ſed vitiis exors utriuſque, maliſque.
Sive quod aſtrorum dotes animo imbibit alto,
Dum faciens aliis, expers vult eſſe quietis:
Hinc in honore ſibi eſt & claſſe & milite Grajum
Adſtruere impenſis operis; inopesque tueri,
Et ſimul infenſos Danais percellere Turcas.
Quo facto eniteat pietas, & bellica virtus;
Dum miſeros fovet illa, domans premit iſta ſceleſtos;
Exigit & pœnas; quis enim, quis Cæſare demto,
Promtior auxilio miſeræ ſervivit, & unâ


N Suffe-

Suffecit gentis, quam Turcæ perdere vellent?
Quid loquimur, ventis quid ludimus irrita verba?
Ut parcant oculis, Luſitanaſque carinas
Non videant Graii, Getico lux edita ferro
Evicit, viſusque hebetes avertit: itemque
Ne monitum accipiant noſtrum, quæ claſſica, quique
Obſtrepuere procul litui fecere Geloni.
Jam ſe projecit, jamque intra clauſtra recepit
Territa gens hoſtes, palmaſque in vincla tetendit.

FRAN-

Digitized by Google

Digitized by Google



Alligat in Turcas sacro se fœdere rursum
Cum Venetis [2] *CAROLVS, turmas tum luſtrat* [3] *Equeſtres.*

Digitized by Google

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER IV.

N.1. *AUguſtiſſimus Carolus Cæſar accepta Venetorum, & Religionis jactura dolet, & furore pio ardet; tum renovat cum Venetis in Turcas fœdus: qua vero nocte hoc fœdus rurſum ſanxit, hac illi filius natus eſt. Ad natum Infantem auguria, & lacrymæ.*

N.2 *Mira Caroli conſtantia in morte Regii Infantis vertici Olympi comparatur. Ad futurum Infantem vaticinium.*

N.3. *Carolus ſuas omnibus e regnis legiones revocat, & novas contrahit, ut in Vianæ campis collectas luſtret: venuſta Caroli majeſtas pro viribus exprimitur.*

N.4. *Effert ſe prima acies luſtranda, ejuſdem deſcriptio: ſubnectitur Tribunus Carapha: hujus præconia, & ſigniferi Cajetæ efferuntur.*

N.5. *Succedit acies Luſitana (il Reggimento Portogallo) cujus Dux Princeps Emanuel laudatur, quod patrias opes caſtrenſi paupertati poſthabuit: ejuſdem prudentia commendatur.*

N.6. *Subit legio Emanuelis Sabaudi: extollitur laudibus Dux, quod patrui Eugenii dotes ſic expreſſerit, ut ejuſdem typus potius, quam exemplar dici poſſit.*

N.7. *Sequitur acies Norica: (di Baviera) precox Caroli Bavarici Ducis virtus memoratur, a Turcarum ſalſis vatibus prædicta: exoratur Princeps Carolus, ut vera Turcarum reddat vaticinia.*

N.8. *Excipit Merciaca. Mercii Ductoris conſultus fervor canitur, igni & Leoni componitur.*

N.9. *Infert campo ſe Vittembergiaca. Vittembergicorum Fratrum virtus celebratur ſupra Atridas, & Tyndaridas: robur baliſtis, & arieti præfertur.*

N.10. *Palphiaca junior: Palphius Dux Patri, & Pater Filio committitur: Juvenis Palphii mors deploratur: vindicta Patris de Nati morte recolitur.*

N.11. *Palphiaca ſenior: Genitoris Palphii ſtudia, vivida ſenectus, & ſollertia canitur; ejuſdem deſultores equites referuntur.*

N.12. *Darmeſtattiaca: Dux fulmini, a curſu, a metu incuſſo, & ab excidio comparatur.*

N.13. *Althana (Reggimento d'Althan) paulo fuſius variis comparationibus exprimitur. Ductoris virtus nullius auxilii indiga, & ex ſe tuta celebratur.*

N.14. *Subjiciuntur Michaelis Vuolphanchi Althani, Neapolitani Proregis aliquot dotes, quæ ſunt: quod Turcicus Tyrannus idcirco abſtinuit Melitam*

tam invadere, quia norat a Michaele ſubmiſſos commeatus & arma ad Melitæ ſubſidium, & quia timeret majora mittenda ſi ipſe Inſulam invaderet. Præterea adſtruitur Michaelis legum peritia, bonor purpuræ auctus, ejuſdem æquanimitas, animi demiſſio, qua efficit ut aliis adſcriptam rerum gloriam velit, quas ipſe ſolus expedit ſuo marte.

N.15. *Sconbronia (di Sconbron) Dux à vigore, & mentis ſollertia commendatur: attexuntur nonnulli alii Duces legionum, & laudibus efferuntur.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Excidia ut Venetum referat graviora Gelonis
Auſtriades jurat: Nato lætatur, ademtum
Nil queritur: revocat turmas, luſtratque coactas.
Inde equites, equitumque duces canit ordine vates.

LIBER IV.

UT vero Caroli delatus rumor ad aures
N. 1. Accidit, imperio Veneti ſibi fœdere juncti
Inachios, templa Inachiis, altaria templis
Altari ereptos cultus, cultumque Tonanti,
Et tibi quæ Virgo es pariter, Materque Tonantis:
Tum primum lacrymas oculis concepit, & illas
Tum primum expreſſit pietas, tum pervia fecit
Pectora relligio, nuſquam permiſſa dolori,
Relligio Getici furias ſat paſſa Tyranni.
At poſtquam inſolitos ſenſus, & vulnera Cæſar
Expertus, ſeſe collegit; & excita virtus
Occupat, inſeditque animo; lacrymiſque coortis
Suppeditat furor, & glutit vindicta querelas.
Haud mora; cum Venetis rurſus ſeſe alligat ille
Odryſio bello, juratque in fœdera rurſus,
Seque ſacramento cæptis abſiſtere nuſquam
Obſtringit: Venetûm referat quin damna Gelonis.
Multum noctis erat, ſacrum cum fœdus inivit
Auſtriacus Cæſar: Cœlo nox illa Latino
Purior argento, Solis fulgentior igne
Omnibus illuxit terris, tractuque ſilentis
Aeris, inſolitis arſerunt ſydera flammis.
Aurea nox! Thracum quando conflata ruina eſt.
Aurea nox! Carolum proles cum nata Parentem
Fecit, Avi proles referens & nomen & ora.
Flos puerûm, Europæ riſus, charitumque venuſtas,
O ſalve Leopolde puer! ſi gaudia ducis,
Et riſum impulſæ querulis vagitibus aulæ:

Jam

Jam riſu indulge, & læto blandire Parenti:
Qui tibi ab Iſmariis armis noſtrum aſſeret orbem.
O age, vagitu Matris ſolare dolores,
Dum linguam in gemitus, Matris de pectore luctus
Tum ſolves, luctus ſterilis quos attulit ætas.
Et vos, o Pueri, quorum cuſtodia ſorti
Accidit ad cunas, cunis inſternite flores
Et lauro Infantis palmis præludite avita.
Quot metet is palmas, quoties Thracum atteret arma!
Si modo, ſi reliqui Getico de nomine quicquam
Effugiet Caroli fulmen; nam funditus omne
Si delet genus ille, Scythas Leopoldus adibit
Sub juga compulſum, plenis ubi firmior annis
Jam bello maturus erit, patienſque laborum.
Ibit, & Auſtriacas Aquilas Aſiæ inferet oris.
Ibit & in Solymis Crucis alta inſignia figet,
Ibit. at augurium mors eſt fruſtrata: caducus
Non ibit puer: aſt abiit, aſt lumine caſſus
Ecce obiit, patrii ſedes & adivit olympi,
Nactus ubi imperium, nullus quod terminet annus.
SOLIS ab æterni radiis ubi lumen adeptus
Jam potis eſt noſtro tenebras offundere Soli.
N.2. Tu Cœlum Puer alme petis, tu gaudia Divum
Concipis, & Superos inter lætaris ovantes.
At nos projecti in luctus tabeſcimus, atque heu
Lætitiæ exortes triſtem, & ſine lumine vitam
Ducemus: nos, non Genitor tuus, ille ſereno
Pectore mœſtitiam ſupra eſt, nulloque dolori
Obſtrictus; quo nempe ortus, quo lumine cunas,
Imperturbatus vidit mortem atque pheretrum.

Qui-

Quique ad jacturas Venetum compeſcere fletus
Non potuit, nunc ecce poteſt ad funera Nati.
O ſuper humanos humano in pectore ſenſus!
Dum pius utroque eſt animus, vel fortis utroque,
Prodigus aut fundit lacrymas, aut parcit avarus
Ad Veneti damnum, Puerique ad fata caduci.
Quid mirum? Imperii moli conſtantia cordis
Par data, Cœlicolum dono eſt; me judice, Cæſar
Culmine ceu rerum, ſic culmine mentis Olympo
Eſt ſimilis: dorſo montes hic eminet inter:
Ille inter Reges: nullis hic obvius Euris,
Nec tempeſtati, vicibus nec temporis ullis:
Caſibus adverſis animus non obvius illi eſt:
Hic caput: ille animum nubes ſuper æthere condit.
Excute, ſiqua ſubeſt, ſi clandeſtina recurret,
Excute Rex curam, & certas ſpes concipe Cæſar
Cura Dei: conſtans animus dum pignus ademtum
Non urget lacrymis, ſuperos in vota ſecundos
Promeritus, multo referet mox fœnore natos.
Et quod, perpetuis poſtquam indulſere querelis,
Accipiunt alii; lacrymis quia parcis, habebis.
Auguror, augurium pietas ſpectata Tonantis
Ingerit, augurioque fidem: numeroſa Parentem
Te proles faciet. feſſis ſuccurrere rebus
Solemne eſt Superis, ubi conclamata videtur
Jam domus Auſtriadum: nonos quæ viſa per annos
Difficilis Mater, partus & ſegnis ad omnes,
Non fuit; hos annos rerum Natura creatrix
Haud temere impendit, puerum quo fingere poſſet
Ingenio Patri ſimilem, ſpecieque Parenti.

Non

Non ſemel experta eſt omnes ſeſe illa per artes,
Ut tali gremium fœtu turgeret Eliſæ;
At quoniam caſſo ſemper fruſtrata labore eſt:
Continuo aut fœtum Matris ſubduxit ab alvo,
(Hinc noſtras ſpes, viſa gravis ter Eliſa, fefellit)
Aut quia deterior non arriſiſſe Pronææ
Bis viſus genio fœtus, parſura labori
Tam longo, geminas hinc protulit illa Puellas.
Atque animæ corpus, tituliſque ingentibus æquum
Quod non reſpondit, formantur Amazones inde.
Hæ modo diſcretæ ſexu, ſed cætera porro
Sunt pueri, & pulcro fallunt errore tuentes.
Et quarum facies, ac lactea copia fandi,
Ut redimunt nomen, puerique inſigne rependunt,
Sic etiam invidiam faciunt, nam lumina levem
Dum vultum aſpiciunt, dum voces accipit auris;
Protinus hæc oculis, oculus ſimul invidet auri.
Collectum at formis tantis, quibus illa labori
Præluſit, noſtris lacrymis Natura remittet
Sortita ex genio Puerum: gaudete Latini,
Rurſus io gaudete: diu velut ante rogaſtis,
Ut rata vota forent, Infanſque exiret in auras:
Sic lacrymas iterate, diu ſit ſoſpes ut infans.
Eſt merces lacrymis, hæ gaudia noſtra fovebunt,
Hæ pacem Europæ: qui deſinet anxius eſſe
Per Puerum, incipiat Puero pro ſoſpite rurſus
Sollicitus fieri, & Numen per vota fatiget,
Ut puerûm flori longos det Neſtoris annos.
Fallor: an is puerûm juxta, Regumque futurus
Prodigium eſt; illum precibus ceu pacta recepit:

Prodigio enitens ſic fundet Mater in auras.
Quid mirum eſt igitur ſi nondum natus in Orbe
Notus erit: referent auguſta crepundia terris
Bellorum tonitrus; qui fœderis arrha futuri
Non jam terrifico crepitu, ſed murmure fauſto
Lætitiam Europæ tum feſta per oppida ſpargent,
Cum nondum Genitrix partus experta dolores.
Et quamquam haud infans utero prodivit; ab Urbe
Boemi. Diſcedet patria, & Bojos peregrinus adibit,
Conceptus documenta ſui tum certa daturus,
Invehet & reliquis præſens eum gaudia regnis.
Anguſtam credet ſibi ſcilicet eſſe Vianam,
Delitet exigua qui circumſcriptus in alvo:
Quique pedes queritur naturæ compede vinctos
Plaudet inire viam, patriis digreſſus ab oris.
Et qui nudus egens, clamydem, Regiſque decoram
Adjiciet pariter, ſumetque a Matre coronam.
Coronatio Eliſabettę in Reginam Boemiæ. Sic poſtquam a Bojis patriam concedet in Urbem,
Gaudia non capiens, Puero redeunte, Viana,
Lætitiâque minor, queis circumſcribitur, altos
Jam muros tranſgreſſa, feret ſeſe obvia contra.
Felix illa dies, redimet quæ tędia, quæque
Ingeret æternum Lethea oblivia menti:
Luctus ut annorum, & ſterilis tandem excidat ætas.
Cum vero æthereas infans erumpet in auras,
Ut typus Heroum eſt Genitor, ſic Natus imago
Viva typi fiet: Patris conſpectus, abacto
Verborum ſtrepitu, Puerum viſusque, videnſque
Inſtituet; viſus menti ſua grandia facta
Objiciet; Puer illa videns, relegenſque Parentis
Ex-

Digitized by Google

Exhibita in vultu, ſimiles injuſſus ad artes
Se ſenſim erudiet; tacito nam pectore Natus
Dum ſecum evolvet quicquid geſſitque, geretque
Armipotens Genitor, tam rara exempla ſequendi
Excellens inoleſcet amor; quæ grandia quamvis
Sint proprio merito, fient majora Parentis
Ob ſtudium, ut Nati poſſint intendere amorem.
His porro ominibus proprio Sol adſtituit igne,
Alta Cleonæi tetigit qui ſigna Leonis,
Dum gravis infantem gremio concepit Eliſa. Dum Sol in Leonis aſtro elect. conceptus eſt Puer, futurus eſt Leopoldus.
Imperio princeps, princeps virtute Leonem
Ergo Puer referet, referet vel nomen avitum
O felix Leopolde tuum; quin Patris, Avique,
Quæ non hiſtorici poſſunt perſtringere facta
Ingeniis majora ſuis, hæc inclytus Infans
Hiſtoria ut vivens referet non ſcripta, ſed actis.
Utque ope barbarica fretos, & viribus auctos
Inſolitis afflixit Avus jam Biſtonas, utque
Dia triumphanti jam riſit adorea Patri:
Poſt ubi bis fractos ingenti clade Gelonos Corona triumphalis.
Contudit: Iſmarios Infans ſic æmulus hoſtes
Sternet agens, robuſta virum cum fecerit ætas.
Et tantum in Ciconum pectus deſcendet adactus
Auſtriadæ gladius, tantum ſpecus atra cruoris
Reddet; ut in pelagi morem refluetque, fluetque,
Et patiens claſſes ſanguis feret. Auſtrius heros
Per mare velificans illud tum Seſton adibit,
Ordine mox curſus mutato, ut tendat Abidum;
Hoc interſtitium pelagi non ponte, ſed armis,
Et ſtratis junget clypeis, cæſiſque Gelonis,

Ne vero aut ratibus deſint ſua vela, vel axi
Orbita, dum tendit puppi ſpectandus ab alta,
Dumque iter ingreditur curru ſublimis eburno:
Velum Aquila Auſtriadum, quæ latius explicat alas
Sufficiet, ſubmiſſa rotas Fortuna perennes.
Sic puppi invectus per terras ille volabit:
Per mare procedet, Solymas ut tendat ad oras.
Nec labor elumbem reddet, feſſumque gravabit
Longum iter, infractis ſed viribus integer ibit:
Haud ſecus æterna volvit vertigine Cœlum
Vis ſua, nec curſu teritur, ſentitve laborem.
Et Cœli ingenium eſt, miſeris mortalibus ingens
Quod labor, atque operum ſeries cumulata putatur.
Quin Juvenis gradus omnis erit victoria conſtans;
Nam pennis Aquilæ motis tela incita mittet,
Ut jam Symphalides quondam torſere volucres.
Ergo ubi deveniet, Solymas tunc aſſeret arces,
Leo de Tribu Iuda Chriſtus Ieſus. Auſtriacuſque Leo voti damnatus, ad aras
Et tumulum Iſacii ſuſpendet tela Leonis.
N.3. Sed quid ego hæc: quando Caroli patientia miro
Prodigio haud meret tumulo tam præcoce Nati,
Nec tam dilatis cunis: miracula Regis
Si minus aſſequimur, qua poſſumus arte, ſequamur:
Bella canam; ſiquidem Carolum modo cura remordet,
Urgeat ut bellum, curas intendit & omnes:
Quo bellum exornet, pœnas ſumturus ob aras,
Et templa a Ciconum manibus violata protervis.
Nulla mora, edicit, coeant ad ſigna frequentes,
Queis mea Parthenope turmis eſt hoſpita, quaſque
Eridanus paſcit; pinqui quas fluminis alveo
Rhenus

Rhenus alit, validis tellus vel Belgica pagis
Dividit, Iſmariiſque inhians Germania bellis.
Adjecit mox ille, ſtatâ ſub luce Vianæ
Arva petant, latis arva extentiſſima campis.
Addit ad hoc: adeat varias Quæſitor ut oras,
Perque ſuas, ſocias & ſupplementa per urbes
Contrahat, antiquas mox expletura cohortes,
Delectuſque novos juvenum decernit habendos.
Teſſera quâ belli eſt, ſtrepitu quâ buccina rauco
Increpuit, præſto eſt juvenum fortiſſima pubes.
Nomina dant alacres, nulluſque cupidine belli eſt
Immunis: juvenum nec tantum copia, quantum
Flos ſeſe effundit, vel robora lecta virorum.
Et ſacramento paſſim denſo agmine dicunt.
Inde ubi collectus ſubiit exercitus agros
Edictos: oculis legio ſe quælibet offert
Auſtriacis luſtranda. ſedet Rex Auſtrius albo
Vectus equo, clamys auratis interlita ſignis
Ex humero cadit, & phaleras obnubit, & armos
Quadrupedis; ſacro ſpirat Mavortius ore
Terror neſcio quis, ſpecieſque admiſta timore.
Hinc placet, & turbat; nam quantum parcere terror
Luminibus, tantum jubet indulgere venuſtas.
Illigat in Regis vultu ſe terror amorque
Tam bene, tam conſtat cum majeſtate decori.
N. 4. O mihi ſi rauco robuſtior ære tubarum
Lingua tonet: pectus lorica firmius ærea
Suppetat: inſolito menti furor incidat æſtro,
Ut numerum, meritique quota pro parte phalanges,
Ductoreſque canam, fractis nec viribus hiſcam.

Ecce

Ecce infert prima ante alias ſeſe ardua campo,
Quæ legio Auſtriacas acies antiquior inter,
Martia vis, veterana cohors, & robur equeſtris
Ordinis: ærata clauſus ſub caſſide vertex,
Lorica obtegitur pectus, ſuræque cothurno.
Hos terræ inſultans pedibus, glomeranſque ſuperbos
In numerum greſſus,crurumque volumina jactans
Excipit in validis, feſtiſque ſtatarius armis
Portat equus; quales tellus Germanica firmôs,
Non quales vel Threſſa agiles, vel paſcit Ibera.
Olli crus ingens, vaſto pro corpore latum
Pectus, & immenſis reſpondent artubus armi:
Argutum caput, atque breves capite erigit aures.
Nec tantum cervice, jubas ſed calcibus effert;
Quas fundunt talo tenus internodia crurum,
Atque ibi lemniſco ſimilis coma grandior exit.
Idem habilis venientem equitum cohibere procellã,
Aut obluctantes irrumpere multus in hoſtes.
Nõ itidem præſens curſu premere agmen adeptum:
Cum jam disjectus pedibus ſibi conſulit hoſtis:
Palanturque equites per inania rura viritim.
His merito eſt turmis dictus Carapha Magiſter
Judicio Caroli; nec tali milite Ductor
Dignior; aut tali miles Ductore repertus.
Ille animo eſt præſtans:animus cum ſanguine porro
Transditus heroo; ſed victis caſibus idem (eſt
Amplior evaſit ** normæ nam ſæpe periculum eſt,
* Audeat ut virtus, & tendat ad ardua niti;
* Formaturque animus functi diſcriminis uſu.
Dumque ſuis flammis, virtus quas maſcula ſubdit,

Ob-

Obſequitur Carapha; ſuos dum temperat ignes
Et vigor ingenii, & ſollers prudentia rerum;
Vividus occurrit, cautuſque pericula vincit.
Nec modo majorem patrio ſe germine fecit;
Sed Proavum antiquo melius decus auxit honori,
Non heres tantum, at meriti cumulator aviti.
Non ergo titulis tumet ebrius ille ſuorum,
Sed gladii mucrone, ſibi qui teſſera certa
Vincendi eſt, idem titulus victoris, honorque:
Utque honor hic ſemper maneat, tutela triumphi eſt.
* Extincta proavum jactent virtute ſuperbi
* Seſe alii, & falſis carpant ſe laudibus ultro;
* Nam ſimul ac recolunt atavum præconia dictis,
* Se male degeneres linguâ teſtantur eadem.
Quod ſtricto Carapha micet, dum dimicat enſe
Gaudet, & adverſos proceres quod morte ſuperbos
Reddat, ab invicto lætantes fulmine vinci.
Quin & ab externis ſi quicquam adſciſcit honoris,
Hic illi eſt potior, laudis faſtigia credens
Sub Duce quâ cauto, quâ contemtore malorum
Quod meret Eugenio: & ſortem quod nactus eandem
Audet agens, audens egit: nec diſcolor uſquam
Exitus aut auſis, aut grandior accidit actis.
Ille quater centum junctos ad mille regebat
Invictos Equites: quorum par eſſet ut omnes
Aſſequerer metro laudes, ni deſerat annus
Me prius, ac laudes: patriæ at communis honore
Non durem, quod te miſſum Cajeta relinquam.
Quem pietatis amor, meriti quem digna cupido
Ad bellum rapuit pro relligione ferendum.

Ma-

Maturat celer ergo viam; ſecumque volutat
Pro Thracum exitio Cœli decus ire redemtum.
Alter ab hoc ardor titulos geminare ſuorum eſt.
Quippe genus quamvis ſpectando a ſanguine ducat:
Curia cui multum, multum toga prima decoris
Aſſeruit: non hoc uno contentus, ab armis,
Et petere a ſagulo nomen juvat: inde profeſſus
Militiam, haud ſimplex miles, ſed in ordine dictus
Signifer, ac quamvis nuſquam ſtipendia fecit;
Indolis erectæ titulis, animique capacis
Præſidiis annos ſupra, quin gentis avitæ
Jure cooptatus fuit inter ſigna ferentes.
Magnus honor, ſi ſit tantum reſpectus honoris;
Aſt infra meritum, ſi mentem attendere mavis
Cajetæ ad meritum: dextrâ qui promtus, & æque
Ingenio pollet: nec obeſi corporis ingens
Officit pondus, quin belli ad munia dexter
Quâ membris, quâ mente foret; verum ipſa lacertorũ,
Et moles membrorum ingens aptiſſima bellis,
Sic celer ad motus, ſic firma infligere vulnus.
Macte animis, quem non Fratrum potuere querelę,
Aut expugnandæ fletus revocare Parentis.
Ne Fratrum gemitus poſſes audire, tubarum
Qui ſonus obſtrepuit tibi gratior, obſtruit aures.
Officitque oculis, lacrymas ne cernere poſſent,
Odryſius ſanguis ſumto ſpargendus ab enſe.
His ducibus, magniſque animis elata ſuperbit,
N.5. Precęditque acies. Quondam Gronsfeldia dicta
Turma ſubit; Princeps cui Luſitanus & omen
Reddidit & nomen, poſtquam viduata Magiſtro

Illa fuit: validis omnes ſunt viribus, omnes
Audentes, cataphracti omnes, quos ſubdita Phocæ
Cæruleæ pellis ſubter thoraca tuetur:
Ad ſclopi thorax, pelliſque fidelis ad enſis
Vulnera; nam cedens elidit cuſpidis ictus.
Te penes imperium eſt Hiſpanæ gloria gentis
Emmanuel: poſt fata ducis tibi jura Tribuni
Addixit Carolus: nimium virtutis honori
Qui tribuens, generique tuo (nam ſanguine junctus
Auſtriaco es) validam permiſit ducere turmam.
Cujus ego audentes animos, interque furendum
Compoſitos, mirerne prius? non ſuppetit; an quæ
Tum mage regalis mens eſt, cum temnere faſtus
Regales potuit? felix, cui gentis avitæ
Gloria poſt illam eſt, quæ ſtricto hic quæritur enſe:
Felix, cui tenues menſæ, breviorque ſupellex
Deliciis Regum, & tectis prælata paternis.
Quâ Puer illecebras, & luxus hauſerat omnes
Articulos: verum longe felicior idem,
Qui Getici faſtus Regis ſubvertet, opeſque
Paupertate ſua; nam quamvis inſtar egeni
Militis, a cenſu qui ſponte averſus avito eſt;
Haud quaquam eſt virtutis inops, ſed dives abunde
Dotibus eſt animi cunctis: quarum altior una
Excellit, meritumque gradus prudentia primi
Vindicat: Hiſpani potior laus nominis iſta
Præ reliquis: hujus ductu documenta priorum
Excutiens rerum, confert ſecum; inque futuras
Pectore præcurrit, conjecturiſque ſequentes
Res tenet Emmanuel: tum quæ volvuntur in horas

Digerit hac norma, atque argutæ lumine mentis
Prævidet: hac caſus ſeſe componit ad omnes,
Temporis & vicibus, diſpar ſibi, ſervit: an idem
Uſque manet? variiſque unus ſe caſibus aptat.
* Naturæ ſtabiles diſcors concordia curſus
* Sic agit, & rerum vicibus tenor unus in orbe eſt,
* Sic eadem eſt ſemper: quamvis ſe dextra ſolutam
* Explicet in palmam, pugno vel contrahat arcto.
Pauca ſed adſtruxi: quis laudibus efferat æquis
Submiſſos animi ſenſus? quibus eminet auctus
Regalis Juvenis: Juvenum ſi dicere fas eſt,
Huic quando aut juvenem ſeſe prudentia, ſive
Maturum exhibuit Juvenis ſe Regius illi.
Hinc licet inſignis meritis habeatur, & actis;
In pretio nil ipſe ſibi eſt: tam ſimplice cultu
Incedit, facilemque adeo ſe projicit: inde eſt
Hoc mage diſſimilis, ſimilis quando omnibus eſſe
Affectat: ſimili ſtudio quam pectore claudit
Virtutes, quibus ille nitet, tam detegit auctas
Luce nova, duplici reddunt quam fœnore ſenſus
Submiſſi: hos unos tenebris involvere nuſquam
Ille poteſt, reliquas dotes quibus abdere tentat.
Hos matutino poſſis committere Soli,
Qui nebulas trahit igne, ſuos obnubat ut axes:
At nebulæ augeſcunt Solem, dum cætera condunt.
Sed pudor infecit vultus jam Principis, & jam
In laudes (quoniam tali putat indice prodi)
Detegeret, virtus innata ſed abnuit, iras.
Adjiciam hoc ſed pace tua: quod viceris hoſtem
Magnus es, at major quoniam te viceris ipſum.

N.6.Poſt

N.6. Poſt hunc alter adeſt nomen, pariterque vigorem
Emmanuel nactus; patriâ, vel germine diſpar,
Non impar: validaſque manus ad prælia ductat.
Hunc patria Heroum fœcunda Sabaudia miſit,
Qui conſanguinei ſic hauſit pectore mores,
Et ſic Eugenii ſeſe exploravit ad artes,
Et normam: ut dubium moresne expreſſit, an idem
Eugenii in mores ſenſim immigravit? imago,
An typus? exemplarne,an tanta exempla ſecutus?
Æmulus evaſit ſiquidem, dum venit alumnus.
Qui quantum eſt animis audax, audacia præceps
Tam procul eſt animis: neve idem interritus audet,
Quod vitam averſus ſpernat, virtutis amore
Sed ruit: in pretio præ vitâ eſt gloria belli.
Hoc ſibi vult porro; quod caſus ante nec audax,
Neve eſt ille loquax; veluti pleroſque videmus.
Nec medios inter caſus ſuccumbit & hæret.
Ac quantum validos audax irrumpit in hoſtes,
Tam timidus; parvi maculam ne forte timoris
Contrahat ad ſocios: nec cura eſt noſſe, quot hoſtes,
Aſt ubi verſantur (neque enim formidat, at iras
A numero Lea ſæva trahit) ſi forte rogabis,
Quot ſecum Emmanuel turmas ad prælia ducat?
Excipiet: quot ſat, dejecto exolvar ab hoſte,
Si ducis imperium, ſi dextræ exempla ſequantur,
Intrepida cum mente potens cui dextera conſtat.
* Ramoſa exertat fruſtra nam cornua Cervus,
* Cui jacet ad rixas animus, quem deficit ira.
* Centenos Scolopendra pedes duplici ordine fruſtra
* Ad curſus adiget, cum juſti eſt roboris expers.

N.7. Horum equitũ inſiſtit gradibus generoſa juventus
Vindelicûm, ſeque ante ſuos generoſior affert
Vindelicus Carolus: noſtris o verſibus eſſet
Aonius fervor bellacis Principis æquus
Ignibus, aut linguæ tam lactea copia fandi,
Quanta ſubeſt animo juvenis candoris imago.
Si numeras annos, leves ſi forte tueris,
Impubeſque genas, juvenem: ſi lumina mentis
Inſinuas ſpectatum animos, jam Neſtora dices.
Præcocis ætatis flores hos duxeris eſſe,
Quod jam maturis prævenit ſenſibus annos:
Si vero eventus rerum, quas edidit ille
In Thracem expendas: jam flores eſſe negabis.
Maturique canes fructus Herois, & artes.
Ecce tibi Princeps, quem dudum oracula gentis
Odryſiæ fraudata fide, nunc denique vera
Excidium Getici regni cecinere futurum.
Spero equidem eveniet, perdas ut funditus hoſtem
Dux bone, & aſſertor Solymæ jacteris ut Urbis.
Nec vero eveniet, Thracum quia præcinat error
Hanc cladem;at quoniam virtus tua prædicat ingens.
Si timet auguriis vatum gens acta, timori
Fallax cauſa ſubeſt, veræ formidinis horror
Eſt ea lux, fulgorque tuo qui fulgure prodit:
Eximiis Domini fulgur nam ſplendet ab actis,
Atque ardet glomeratum animo, dextraque furentĩ.
Hoc Thraci augurium verax, certuſque cometes.
Quippe ea præ reliquis potior te cura remordet
Inclyte Dux, Patris cæptas abſolvere palmas.
Hoc ubi contingat, titulos tunc abdicat omnes

Mens

Mens tua,nec ſtudium eſt peregrinum aſſumere faſtū.
Continget, tua dextra fidem, tua maſcula virtus
Commentis Ciconum faciet, verumque loquutos
Mendaces olim vates cumulata docebit
Biſtonidum clades, fidei ſubſcribet & amnis
Sanguineus campo exundans: aude inclyte Ductor
Quod tua promittit virtus, Thraceſque verentur,
Fallanteſque animas, falſasque extrude ſub Orci
Errores; vanis narrent ut vatibus illic:
Quod duce te commenta fides jam vera ſequuta eſt.
Ipſe tuus Sonipes, ceu rerum conſcius ardet
Impatiens pacis; Domini nam martia virtus
Bellacem ingenerat flammam; viden? ecce minatur,
Dum caput offenſat: dum Cœlum hinnitibus implet,
Ad pugnas animata tuba eſt, quæ provocet: & dum
Effodit alterno terram pede, comparat altas
Pangendis foveas palmis, quas ſanguine flumen
Irriget, obtendant queis ſepes oſſa Getarum.
Aude age, qui propria, & magni es virtute Parentis
Terribilis Princeps: durant veſtigia durant
Cladis adhuc, toties quam Thracibus intulit olim,
Conſeruit quoties bellum cum Thracibus heros:
Ille, inquam, Ciconum ille timor, vis Martia, Martis
Fulmen, ab humano non eluctabile niſu:
Ille tuus Genitor, qui vindice tectus ab enſe
Semper inoffenſus, ſemperque infenſus in hoſtes
Irruit, & Geticas Urbes Præſteris ad inſtar
Perpetua flamma callem ſignantis aduſſit.
Vade age, quæ meritis incendia miſcuit arvis
Jam Pater, indigenûm rivis extingue cruoris:

Quæ-

Quæque rubet tellus diluta a ſanguine Thracum,
Fac cinerum cumulo, & ruptis incaneat olim
Oſſibus, hæc porro dextrâ pro fulmine ſtringas
Oſſa; tuâ telum nullum nam vile, minuſque
Vulnificum in dextra eſt: galeas his contere Thracum
Oſſibus, his pugnæ circumlaturus es omen:
Et memor aſpectu Ciconum gens dira jacebit
Territa, cognatis fugiens velut oſſibus icta:
His Patri emeritos poteris numerare triumphos,
Quos a[illegible]o innumeros retulit, cumulatus ut ipſe
Officiat famæ numerus, ne dicere poſſit;
Dum late impexas miris ambagibus Urbes
Pervadi potuiſſe docet, cum fulminis inſtar
Pervadit: dum victa fugat ſæpe agmina Thracis,
Ne ſemel occiderent, cæſos ne vinceret hoſtes
Ipſe ſemel: graviorque labor ſpoliare caducos,
Quam fuit obſtantes armis ſuperare Parenti;
Dum ſegetem palmis potius, quam bella Gelonus
Intulit. Hæc Patris teneas exempla, daturus
Inclyte Dux, Geticum perdas ut funditus hoſtem;
Nam potes; haud quicquam ſiquidem tu præcipis ore,
Quin bene percipias animo, quin protinus actis
(Miles ut id faciat) præſtes exempla, manuque
Inde facis: ſecum conſtant, ut Turcica frangas
Arma, & conſenſu conſpiravere fideli
Pectoris os index, actus, exempla, manuſque.
N. 8. Ardua Merciadæ ſuccedunt agmina turmis
Vindelicis: at quis ſe nobis obtulit Heros!
Scilicet hic ille eſt: cujus diſcrimina menti
Arrident tantum, quæ non vulgaria credit.

Ergo

Ergo ubi inacceſſus pendet locus arte ſituque,
Quique ſupercilio conſurgunt oppida montis,
Acer ab ingenio ſe Mercius ejicit illuc.
Detrahitur merito tituli, ſi dicitur audax;
Quippe aut ille parens, aut ipſa audacia, ſeque
Indignum vita, vitæ niſi prodigus ultro eſt,
Credit, & adſcribit famę, vertitque decori
In caſus ruere, & pugnando arceſſere fatum.
Quandoquidem hoc illi gravius diſcrimine quovis,
Si timor impulerit mortis vitare periclum.
Hunc ſimul edomuit, reliquas quaſcumque ruinas
Negligit occurrens; mortis neve ille timore
Admonitus ceſſat: virtuſque erecta periclis
Acrior invehitur, ſeſeque in cote furoris
Procudit: famæ non indulgentior alter:
Nam ſimul Heroi palmæ ſors detulit anſam,
Projicit in caſus vitam, ſit ut integra fama.
Huic ubi conſultum eſt: vires tum conferat hoſtis,
Claudat iter, ducat latis munimina foſſis;
Objicibus virtus creſcit ſic Mercia, qualis
Ingeſtis alitur violentior ignis ariſtis.
Neve inconſultus ſtupor, aut audacia præceps
Depreſſi hæc animi eſt, novit documenta furoris
Ille ſui, ſeſe toties expertus & hoſtes
Inter, & adverſos caſus: ubi bellica virtus
Merciadæ ſeſe explicuit defuncta periclis.
Hinc ſimul ac ſtrictis bellum recruduit armis:
Eſt illi ab genio corpus nudare remiſſa
Lorica, retegitque exutam caſſide frontem.
Utque Leo, ſolitis ſe tantum viribus armat,

Ir-

Itque ope virtutis propriæ, tutuſque furore:
Tunc alacer ferrum dextrâ capit:.* unde petendum
* Præſidium putat ille viro: ſecurus ab omni
* Ut ſeſe expediat, quemcumque offenderit hoſtem.
Seu ſit amoris honos invicti Cæſaris ergo,
Seu ſit honoris amor, cui votum effundere vitam eſt
Ante dies audax, quam cautus inerſque tueri;
Et mavult offerre animam, quam tradere morti.
N.9. Vittembergiadæ Fratres tum pone ſequuntur.
Par juvenum felix, animi quam dotibus æquis,
Quam paribus laudum ſtudiis rapiuntur utrique,
Diſparibus tam nunc curis ad bella trahuntur.
Eſt alter peditum, qui Maximilianus: & alter
Eſt equitum ductor: geſtis & nomine magno
Æquus Alexandro, diſpar ſi copia regni,
Grandior at ferme queis pollet viribus idem eſt:
Nam nullo attritas uſu, vel ab igne recentes
Quadrupedis frangit ſoleas, ſuſpendit & aure
Pendentem, ingentis quamquam ſit molis, ephebum.
Cunctaturque diu, verſatque hinc inde cadentem;
Nec dextra interea defluxo robore torpet.
Hos ſi conſpicias ducentes agmina Fratres,
Dixeris Atridas, ſi vero in bella ruentes
Alipedis dorſo, & luctantia colla prementes,
Tyndaridas jures fratres: duo fulmina belli
Scipiadas, vero propius, mihi dicere cordi eſt.
Si ſatis eſt illis veniſſe, ut vincere poſſint;
Nil adeo invictum quippe eſt, quod frangere vires,
Quod valeat cautos eludere pectoris aſtus.
His geminas turmas turrita Melagia miſit:

Una

Una acies pedes, altera eques meret. ibat uterque
Ante equites, humeroque tenus ſupereminet agmen.
Sed non tam dorſo reliquis, quam robore præſtant,
Atque habitu vultus, qui majeſtate verendus
Adverſam ſortem ſpecie flexiſſe decora
Eſt habilis, virtutis opem ni ſentiat illa.
Quamquam adeo Heroum virtus mavortia pollet,
Sortis ut alterius ludo non ceſſerit uſquam.
Tam bene reſpondet menti conſtantia dextræ,
Sic vigor expertus ſequitur quocumque jubentis
Impulerit fervor mentis, ſive ardor honoris.
Quid mirum eſt ergo, ſi cum ſe cætera pubes
Jam revocat perculſa metu, certamina rurſus
Reſtituant? quique ante ſuis inſederat, hoſti
Incuſſo terrore fugæ ſe credere cogant
Vittembergiadæ? quorum violentia tanta eſt,
Bellantum ut furiis ſi forte occurrerit agger
Invius a fovea, et contis inſtructus acutis:
Eſt gracili ſimilis telæ, quam ducit Arachne,
Non volucrem, at tricis breviora inſecta moranti.
Miſſilium in juvenes nimbum gravis ingerat arcus,
In tecta a ventis impactæ eſt grandinis inſtar,
Quæ minus imbricibus, verum ſibi noxia caſu eſt.
Tam chalybe invicto defendunt pectora, tamque
Vittembergiadum pectus robuſtius ære eſt.
Quis porro expediat contra, quam multus uterque
In gladium ſublime elatum aſſurgat, & ictum
Quam male lethiferi vi fulminis arietet hoſtem.
Baliſtis levius contorta phalarica tendit,
Mitius adverſos aries quatit impete muros.

N. 10. Poſt hos agmen adeſt, juvenis quod Palphius egit.
Hic quem te memorem juvenum flos inclyte? dicam
Felicem? an potius miſerum? juvenemne, ſenemne
Puberibus malis? felix qui flore juventæ
Aut animi, aut dextræ maturis frugibus effers
Autumnum, ſive alta ſtruis, ſive ardua tentas.
Nec quicquam redoles (annos modo præter) acerbum.
Sic rerum expertus, natis ſic utere rebus,
Sic tete exolvit functum mens illa ſenilis,
Ut raptum implicuit juvenilis caſibus ardor.
Quod ſi mente ſenex incedis, & integer ævi es:
Haud ſatis expediam quod quadret nominis omen.
Cumque ſenem nequeam, juvenem nec dicere: dicam
O ſimilem Patris Natum, Natique Parentem!
Firmus hic eſt vires, animi maturus: & ipſe
Es vegetus vires, animi maturus & æque:
Diſſimilis ſed ſorte: cades ineunte juventa
Ah miſer, an potius felix; qui millia Thracum
Attrivit: qui dum cecidit, cecidiſſe putandus
Sponte ſua, quando majorem haud edere ſtragem
Unus in innumeros poterat: nec & ipſe placere
Jam ſibi de buſto, & pompa meliore feretri,
Quam quod Biſtonidum viduo de corpore membra
Palphiadæ ſubſecta manu, ſtruxere ſepulcrum.
Nobilior Pariis ſaxis, fulgentior auro
Eſt ea, quam ruptæ pharetræ, truncique galeri,
Signaque Threicii maculis infecta cruoris
Inſtituere pyram: flebit gens barbara flebit
Fata hoſtis: quotque hic referet non pectore plagas,
Sed laceris humeris (nam tergo infligere vulnus

Vix

Vix raptim poterat, quod circumfuderat hoſtis)
Ad riſus totidem, totidem ad præconia ſolvet
Guttura, magnanimos dextræ dictura triumphos.
Felix morte tua Juvenis, qua gaudia vitæ
Pactus es, & Cœli rides regione receptus.
At tua te propter pubes ciet Auſtria luctus:
Te nemus Æmonium, querulo te murmure Dravus,
Te latices flevere Savi, te ſanguine Thracum,
Et proprio flevit gemitu turgentior Iſter.
At Genitor, non jam Genitor; verum orbus & ultor
Abnuat ut Nato fletus vectigal ademto.
Tam bonus at miles, proprio dum ſanguine faſſus
Obſequium in Carolum, parcos licet, exprimet imbres.
Et Pater officio lacrymis ſubſcribet avaris,
Quod Natus largo conſcripſerat ante cruore.
Haud multum effuſo lacrymis æquare dolorem
Stat Patri: guttis dederat quæ cauſa ſcatebras,
Obſtruet hæc pariter; fletus de milite tali
Elicuit jactura, eadem deterget obortos:
Dum ſibi vindictam, gemitus non poſcet inanes;
Sic Caroli damnum citat, atque intercipit imbres.
Quandoquidem lacrymæ ſtagnare in pectore juſſæ
In flammas abeunt furiis alimenta daturas,
Sanguinis Iſmarii quas una extinxerit unda.
Nec mora, confertos ruet ilicet igneus hoſtis
In cuneos, ſenſitque prius, quam viderit enſem
Fatalem ignivomum gens barbara: cuſpis in orbem
Horrificâ glomerata manu formidine Thracum
Pectora, pectoribus terram, Cœlum impulit armis:
Quæque ſtrues Ciconum juvenis fortiſſime dextrâ

Structa tuâ eſt, eadem gladio cumulata Parentis
Creſcet in immenſum, & greſſus inhibebit euntis.
Majori ſiquidem Patri certamine ſtabit
Te circum extinctos, quam Thracum evadere denſos
Pugnantum cuneos, gladioque, arcuque ruentum;
Quos curſu, quos ille oculis, quos enſe repellet
Ad terram afflictos, ſtupidos, in frusta reſectos.
Ut pelagi furor, ut Milvus, præcepsque Leæna
Fluctu algas, viſu volucres, hamiſque capellas.
Ille furens animis uno pro funere mortes
Mille dabit, ſolvetque ſuis tibi juſta trophæis,
Non triſti gemitu, non fœmineo ululatu.
Ter felix Juvenis, fœda dum ſtrage Gelonos
Sternis agens, cumuloque ſuper cadis ipſe, metumque
Incutis extinctis; mortis felicior idem,
Quam Pater exegit, pœnâ: nil fortius uſquam
Jam poteras audere, tibi vel fortiter ergo
Mors obeunda fuit, patrare minora negabas,
Non poteras majora, cadens de morte triumphum
Poſt funus referes; quamquam cecidiſſe negandū eſt,
Dum caput arrectus moreris: nec conſtat, an ipſe
Viceris occumbens, vincenſve occumbis: ut omnes
Intendis niſus defendere pectore plagas;
Sic te nil tanget, ſi ſaucia terga dehiſcant;
Nam quâ diluvium poſſes prohibere Getarum
A ſcapulis: tibi quondam uni vertetur honori
Pectus & integrum, & lacerum per vulnera dorſum,
Quod culpæ reliquis duxit carioſa vetuſtas.
Et ſatis ut tantæ fuerint ad funera plagæ:
Sponte ſua, & proprior cunctanti ſpiritus, uſque
Ob-

Obluctans morti, & tuta ſtatione receptus
Pectoris, aut irâ vivet, vel ſubdat ut iras.
Seu primum huic fuerat per terga exire pudori,
Seu quia non cernet tam grandis ſpiritus aptum
Vulnus, ut inde viam ſuperas tentaret in oras.
Verum ubi comperiet Getico trabeata cruore
Pectora, & a proprio dilutum ſanguine tergum,
Et male ſucciduo fulciri poplite corpus,
Cedet, & exanguem te ſpiritus ante relinquet,
Quam prorſum exanimem; vivo tunc impete corpus,
Pugnantiſque habitum referens, propriuſque minanti
Iſmaridum ruet in denſum, non corruet, agmen:
Ceu quoque ſuppeteret ſanguis, virtuſque furori,
An furor explebit partes utriuſque ſuperſtes?
Ille aget invalidum, corpuſque impellet in hoſtes.
Haud aliter, quamvis ſileat jam ſpiritus Euri,
Quo prius impulſa eſt, priſco volat impete navis.
Hic ubi te jactum cernet conterritus hoſtis,
Viventemque ratus, rurſuſque urgere parantem
Attonitus monſtris retro veſtigia flectet:
Et tua mors abiget ſaltem, ni vulnerat hoſtem.
Quin Turcæ licet aure tuo ſub funere plauſum
Accipiant, oculiſque probent, vix teſtibus iſtis
Threſſa manus credet, metuetque attingere corpus,
Pallebitque oculos, vultuſque in morte minaces.
Neve ea vana fides: vives poſt funera facti
Egregii famâ, vives in Patre ſuperſtes,
Cui tuus accedet gelido de corpore migrans,
Evadetque furor duplex, & bellica virtus,
Ut duplici afflictos evertat clade Gelonos.

Ec-

N.11. Ecce iter ingreditur legio, quâ plurima Turcis
Palphiacus Genitor molitur damna, feretque,
Militiæ vetus, & meritus ſtipendia dudum:
Utque ſenex, placitis nuſquam ceſſavit ab armis:
Quippe ubi compoſitis rediit pax candida terris.
Confecto a bello pacem eſt, non otia nactus.
Nam ſe venatu ſylvas exercuit inter,
Virque feris fuit ille, viris fera: ſive ruebat
Militibus, magnave canum ſtipante corona:
Seu tubicen rauco clangorem intenderet ære,
Seu paſtoritiâ ſtrepuiſſent cornua voce,
Palphius in Martis pariter, Phœbique palæſtra
Eminet aut gladium, aut dextrâ venabula tractet.
At ſimul in Thraces reſpexit Cæſaris ira,
Et bellum indixit ferali buccina cantu:
Haud citius ſerpens ad prima tonitrua veris
Emicat, ardenteſque auro ſibi mutat amictus,
Quam quod Palphiades, ubi primum claſſica Mavors
Concinuit, frontem crinita caſſide texit,
Thoraca induxit membris, campoque refulſit
Arduus, erectuſque, ſeniſque oblitus, & ævi.
Sic Leo, qui cicuri didicit ſervire Magiſtro,
Si tuba diſſiluit, ſi contra effulſerit enſis,
Explicat ille jubas, hirtis & inhorruit armis,
Depoſitaſque minas revocat, primoſque furores.
Quæ vero irrepſit menti dementia? vel cur
Te potui dixiſſe ſenem? maturus es annos,
Non vires: ſenio canus, ſed robore ephebus.
Magne Pater, tu quas adimit longæva ſenectus
Inſtauras vires animi virtute redemtas.

Ca-

Canitiem quamquam referat frons alta, niveſque,
Spiritus ignipotens menti eſt, ætate remitti
Impatiens: vigor ille, vigor tuus: ille ſenectæ
Suppeditat, roburque novum parat: ille labores
Tam contra invaluit, vires ut duxerit inde.
Sic ingens annoſa arbos, qua pervia ventis,
Firmior hac parte eſt, libroque injuria prodeſt:
Hac ſeſe obdurat, callumque obducit ad Euros.
Fronte nives ſic Ætna, ſinu ſed poſſidet ignem.
* Plurima quin crines quæ nix infecit, ab uſu eſt:
* Scilicet ut poſſit flammas inhibere ſubortas,
* Impete quas primo fert inconſulta libido;
* Nempe animi invicti ſenſis ſua fræna ſenectus
* Injicit: incautum ne forte novitius ardor
* Occupet, hæc eadem generoſo e corde timorem
* Exigit, unde ſtupet vel forti in pectore ſanguis
* Injuſſus, nolenſque; addit fomenta ſenectus
* De ſene ne tiro fiat: tum plurimus uſus
Tot bella experti, fecit quod calleat artis
Articulos omnes, *indemnis mulcta futuri eſt,
* Qui ſæpe admonitus priſci diſcrimine caſus.
Palphiaco pernix miles meret, ille Liburna
Egreſſus terra (quæ dicta Croatia nobis.)
Palphius his Heros ſiquidem moderator in oris.
Hinc venit deſultor eques, qui ſæpe recenti
Inſilit ex feſſo, geminos ad prælia quippe
Cornipides plerique ferunt, in corpore parvo
Verſantes ingentem animam, paribuſque potentes
Viribus: ad curſum ſeſſor ſi laxet habenas,
Sic fugit increpitus, ſonipeſque volaticus ibit

Per-

Perpetuo curſu, rapidis ut prendere telis
Poſſe neges, fugiatque oculos pene ille ſequentes.
Si medio in curſu placeat revocare lupati,
Imperio aut vocis; ſub puncto temporis ipſo
Suſpenſo pede ſiſtet iter, verſusque feretur
Ad lævam, ad dextram; divertet & agmine recto
Tam ſubito, ut nequeat digreſſus ſenſus haberi.
At melior longe eſt, qui primis miles ab annis
Huic ſtudio incubuit, ſic translatitius ille eſt;
Ut pecudis collo totos pene occulat artus,
Ne ſit conſpicuus, neu ferro obnoxius hoſtis.
At contra hoc hoſtem fallunt errore ſolutum,
Qui ratus alipidem viduum ſeſſore vagari,
Obvius it ſponte, ut raptis abducat habenis.
Ergo ubi jam ventum eſt, ſuperis ceu lapſus ab oris
Erigitur miles, plantâque exceptus utrâque
E dorſo alipedis procerior extat, & harpen
Complectens utraque manu ferus incutit ictum
Ingenti inflictum niſu, quo ſæpe vel hoſtis
Decutitur caput, aut medium diſcedit utrinque
Diſſectum corpus; nec vero defluit ullam
In partem interea, & parili ſe pondere librat:
Donec ab inſolito contuſas verbere coſtas
Sentit, & inviſum ſonipes onus excutit armis
In caput aſſurgens, atque aëra calce laceſſens.
Ad fera nec quadrupes cunctatur monſtra Liburnus
Opperiens caſum, ſed ſponte irrumpit in hoſtem,
Obtenditque novum gladio ſeſſoris adeptum.
Sæpe etiam miles furis complectitur unis
Tergus equi, & reliquo projectus corpore, pendet

Su-

Suſpenſus cadit: inde ſolo dimiſſa reſumit
Arma, nec idcirco dirimit, curſumque remittit.
Si foveam offendat, ſeu forte ſit obvius agger,
Saltu illam jungit, librato & corpore vallum
Tranſilit; inque pedes rectus decurrere pergit.
Tam docile ingenium pecudi natura creavit,
Tam recte inſtituit, mileſque exercuit uſu.
Cyllaron haud illis auſit conferre vetuſtas,
Neve Hippogryphum Tuſcus committere vates.
N.12. Excipit hos equites legio campeſtris, & alto
Et firmo ſublimis equo, cui pectora thorax,
Caſſis obit crines: hanc Darmeſtattius Heros
Ductor agit; quem ſi cernas, ubi laxat habenas,
Alipedique adigit cum calcar: ab impete fulmen,
Fulmen & a gladio (fuga tanta in cuſpide) credas,
Fulmen ab excidio; nam quoquo inceſſerit ille,
Incendit, penituſque ruit: formidine fulmen,
Tantus ab aſpectu eſt, ſic tentat pectora terror.
Sed timor hic varius variis pro ſenſibus hoſtis
Segnis, & intrepidi: fugit alter, it obvius alter.
Æquus utrique metus, ratio diverſa timoris.
Segnis abit, metuens geminæ ſuccumbere morti,
Quam feret aſpectus, quam fulminis inferet ictus:
Atque obit invitus non eluctabile fatum.
Sed contra intrepidus quamquam formidine victus
Succidat, incumbit morti tamen obvius ultro,
(Darmeſtattiacum nam neutri evadere ferrum eſt)
Quod juvat invictæ vitam permittere dextræ,
Quodque ignominiæ maculas evadere cordi eſt:
Dum cadit heroæ trajectus cuſpidis ictu.

Sic unguem Accipitris Caſſita expallet, & undis
Inſilit, & flammis: hominem quin ſupplicis inſtar
Vel mortem exorat, manſueta hæc mortis imago eſt,
Qua datur inviſi fugiat prædonis ut hamos.
Sic Leo venantum cernens hinc inde coronam,
Vividus in telum gravius ſeſe induit ultro,
Et timet infrendens, ipſaque in morte ſuperbit.
N. 13. Quæ vero hæc legio? vel quæ tam ſtrenua pubes?
Cujus ab aſpectu nimia formidine fixi
Stant oculi: at trepident quantumvis lumina, pulcher
Ille horror, ſpecieſque placet formidinis illa.
Si capita aſpicias, turrito in vertice pelles
Depoſuiſſe Lupos credas: ſi videris ora,
Aut iram, aut ſetas Urſum appinxiſſe putabis
Complexas ſuperum cirro breviore labellum.
Si gladios, totidem Cœlo veniſſe cometas,
Qui caudâ ignitâ Lunæ ſuprema minantur
Excidia, & noſtris pluſquam felicia Regnis
Omina portendunt; furias meditator equorum,
Jurabis totidem ſub equina pelle furentes
Tygridas, his moles eſſet ſi corporis æqua.
Dicite felices juvenes feritate remiſſa,
Dicite, quis vobis Ductor, num maximus ille eſt
Althanus Princeps? ille eſt, o gloria magnæ
Europæ, o noſtrum columen: diſcedite turmæ
Nunc reliquæ, hic ſolus Geticos contendat in hoſtes.
Hic ubi pugnabit, nullos obſiſtere Turcas,
Cum propugnabit, nullos irrumpere dicam.
Unus is in Turcas numeroſi eſt agminis inſtar.
Hujus dextra loco valli eſt, evertite ſepta:

Hujus

Hujus dextra loco ſepti eſt, ne ducite vallum.
Quocumque hic perget, validum munimina pectus
Inſtituet: perque hoc ſtabit ne plurima Thracum
Diluvies penetret, ſtructos evertite muros:
Martia concipitur dum pectore flamma, cietque
Dum pugnas Althanus, opis nil indigus idem
Præſidium muris præſtat, non debet: & omnis
Tuta per hunc fiet, non tutus at ille per arcem eſt.
N. 14. Tu furiis polles, quas Martius ingerit ardor
Et præter reliquos Princeps Althane coruſcas.
At tibi cognatus Michael licet inclytus armis
Jam foret, Althanas alio vult lumine gentes
Evehere ad Cœlum: ſupra quam tendere poſſint
Invidiæ aut dentes, aut lumina victa ſtuporis.
Si quippe impubes, florentiſque integer ævi,
Et vix imbutus dubia lanugine malas,
Raptus ab innatis flammis, ſtimuliſque juventæ
Indulgens, iſſet venatum a marmoris unda
Inſtabili ſtabiles palmas; ſic nomine pontum
Althano impleſſet; ceu terræ quicquid ubique eſt
Obſtrepit, extollitque tuas ad ſydera palmas.
Id bene perſpectum novit pius iſte Magiſter,
Qui Solymos equites Melitæ moderatur in arce.
Nec dubiis ſtuduit rebus, ſervitque timori
Incuſſo a Turcis, equitum dum ſcribit in albo
Vuolphangum, magnæq; crucis dum teſſera miſſa eſt;
Conſiliis ſummi nam paruit ille Tonantis,
Dum proprio obſequitur genio, Procerumque recepit
In numero, ut ſummis foret ille in rebus ab uſu:
Non ut palantes, prædatriceſque carinas

Disjiceret, pelagi late purgaret & arva.
At Melitam certe Melitam tueatur ut ipſam.
Dum belli molem, vires avertit & omnes
Odryſii Regis, Melitæque exegit ab oris.
Imminet ille ferox, & dudum incumbere terris
Jam ſtuduit: verum metuit ne forte ſubiſſet
Auxilio Michael, regnis quem ſenſit adeſſe
Præfectum Euboicis, placidæ Syrenis & Urbi,
Unde patet facilis Melitæ trajectus ad arcem.
Unde ille & Cereris numerum, Bacchique Falerni
Vim magnam, lectoſque viros ſubmiſit & arma.
Abſtinuit cæptis Rex barbarus ergo: fuitque
Præſidio Michael, nutu qui nempe Tonantis
Eſt inter Proceres Solymos adſcitus, & alba
Indutus trabea, nitidaque a caſſide comtus,
Et gladio accinctus, tituli potioris ut actus
A ſtimulo Frater quæſitis Fratribus olim,
Liber adoptivæ poſſet ſuccurrere Matri.
O pia vis ſtimuli! felix o fœderis omen!
Quo Deus excudit damnum, Thraciſque timorem.
Area ſed brevior, quæ grandior omnibus eſſet,
Hæc quoque Volfango: cujus ſive inſita virtus,
Seu quæ perpetui ſtudiis adſcita laboris,
Poſt ubi Romanis idem ſeſe intulit oris,
Atque foro fuit, atque aulis, ariſque decori.
Hinc tamen Althani pietas ſubmiſſa fatetur
Omne hauſiſſe decus: meritis cum purpura ſera,
Ætati feſtina caput ſimul ambit, & artus,
Haud ſtudiis optata viri: gaudetque galerus,
Belligero capiti quod honor ſacer auctus honoris

Nil

Nil prorſum amiſit, geminata at luce refulſit.
Cum capiti armato vidit, ſtupuitque galerus
Purpureus cultas artes, floremque ſubeſſe
Juris, & evinctos crines quâ germine doctæ,
Quâque triumphalis lauri, cinnoque decoro
Addere, & acceptos mox reddere rurſus honores.
* Nam doctæ aſpectu laurus ſic bellica vernat:
* Vernat ab appoſitâ palmâ ceu palma, gemitque
* Ponderibus frugum. Quid vero hæc laurea frontem
Althanam implicuit? quando nil ille coronæ,
Serta ſed Althano debent, procul unde renident?
Si tirocinium Michael cum juris inivit,
Tunc erat emeritus: legumque exercita norma
Ante fuit puero, quam leges diſcere cœpit:
Nec porro offendit juris ſub codice quicquam,
Quin vitâ exegit: quid enim ſunt ſingula facta,
Quam vivæ exemplum legis? quo tendet honorum
Spiritus hic demum? ſi primo in limine metas
Pervaſit, Romæque foro præluxit in ipſo?
Aſt ibi præluxit: tali ut ſub judice legum
Conſtaret pudor, atque fides: quo denique functus
Munere, majori longe prælufit honori:
Parthenopen adiit, ageret quâ Præſes habenas
Imperii, Regiſque obitâ vice ſceptra teneret,
Et leges, & jura daret, quæ mente tegebat.
Salve iterum, ſalve: o quali te nomine dicam?
(Sis tamen interea columen Syrenis, & ultor)
Miles, an Antiſtes? Princeps, an Præſul? in armis
Si fulges, ſuper arma nitens inſtratus amictu
Purpureo, cujus murex quod clarior ardet,

(Dum

(Dum meritis longe præſtas) tu cauſa, pudore
Ingeſto, pudor iſte novo vetus inficit oſtrum.
Es Pater, an Cenſor? ſi culpam everteris æque,
Ac pœnas, pœniſque facis miſeratus obortas
Per lacrymas pretium, blandaque tyrannide cogis,
Quos reſti addicis, morti quos dedis, amare.
Ergo vocandus amor, dubiũ eſt, an amatus, amanſque.
Cum juxta impendas, juxta ſis pactus amorem
Officio, quo nemo odii pervadere flammas
Jam potuit: dici debes projectus, an altus?
Si minus (ut Soli eſt ritus ſolemnis) inumbras,
Quo magis erigeris meritis, meritiſque parato
Munere: pacis amas fœduſne, an prælia Martis?
Si pacem revocas nobis, qui natus ad arma es:
Es pius, an rigidus? reliquis ſi parcis, & uni
Nil tibi connives: noſter popularis habendus,
An Præſes? citra faſtum faſtigia nactus?
Nec jam te populo, populum ſed providus æquas
Conſilio meliore tibi, moreſque verendos
Transfundens noſtro ſenſim ſub pectore, Præſes
Præſidibus totidem, quotquot moderare, videris
Junctus: in Euboicis, quâ nil mirabile, terris
Mirus es? an ſuperas factis, meritoque ſtuporem?
Unus es? an potius centum diſcretus abiſti
In capita: eventis rerum, quas ocior exples,
Es centumgeminus; tamen unus es omnia, ſolus
Sufficiens cunctis: tibi ſoli inſignia facta,
Quæ peragis, debes: at ſoli debita multis
Dum defers, famæ lituos dum ſubtrahis, unus
Haud pateris dici. Princeps ergo inclyte ſalve,

Qui

Qui rerum eventus aliis adſcribis: agendis
In rebus ſolus curas impendis, opuſque.
O columen noſtrum; noſtris laus addita terris
Salve iterum, ſalve Althanæ lux altera gentis,
Altera, ſed dubium eſt, dicendus, an unica gentis?
N.15. Ecce tibi poſt hunc ſeſe Schonbronius infert.
Spiritus eſt ingens, mens illi arguta, futuri
Præſcia, præſentiſque capax; vigor inde coortus
Plurimus in dextram, & reliquos exuberat artus.
Ut quondam e vaſta fornace reverberat ignis,
Majoreſque ſuis flammas, quâ pertinet, edit.
Quodcumque offendit, quodcumque offendere poſſit,
Conſilio eludit præſens, & præcavet inſtans.
Arbitraque ut rerum mens eſt, ſic fida ſatelles
Et manus: exequitur nutus hæc mentis ad unguem
Cum pugna ingruerit: nec mentem dextera fallit,
Sed neque mens dextram, neve alea ſortis utramque.
* An ſibi ſors quiſque eſt, timido mala, proſpera forti?
Quis reliquos, apiceſque Ducum, roburque virorum
Ducentes equitum turmas? quis dicere ſperet
Poſſe Steinvillum, Lobcovitzumque potentem?
Quis valeat Croiſi virtutem abſolvere dictis?
Aut Falchenſteini mentem, roburque Veleni,
Sulzbachiique artes; & magnanimum Rabutinum?
Quis potis Hautoiſum, Condrecourtumque ferocem?
Quantum armis, animo tantum, qui fortior, armis.
Non ego Barreithi chordis intendere ſperem
Magnam animam, veluti nec contra tendere ſperet
Iſmarius numerus; cum vix ſpectare furentem
Suſtineat: pluſquam annus erit, ſi grandia facta
Pa-

Patheidæ evolvam, cujus ſi forte recenſes
A palmis, factos ſeclis, non menſibus annos
Credideris:referant magnum magna acta Viardum,
Qui ſæpe expertus timidæ ſuccumbere morti
Se poſſe, at nuſquam mortis ceſſiſſe timori.
Te tua Velhenide recolat numeroſa cicatrix
Centeno velut ore: ſalus cui credita ſemper
Non pedibus, ſed miſcenti certamina dextræ eſt.
Haud Nidaſtiaden, caput intractabile bello,
Hic auſim, aut ſperem numeris attexere dignis.
Sunt merito illius præconia quæque minora,
Ejus ut inferior virtute eſt quilibet hoſtis.
Lingua ſile: ni rite velis temeraria credi,
Erbergeniadæ recolas ſi carmine laudes:
Non illi haſtarum, teli nec miſſilis uſquam
Aut ſeges, aut imber dextra contortus, & arcu
Terrorem incutiet: ſunt illi obnoxia membra,
Non animus; ſectis potis eſt erumpere venis,
Haud potis eſt riguiſſe cruor: cuſtodia cordis
Eſt furor, (immineant ſi certa pericula mortis)
Non ſanguis: ſanguis validos effuſus in artus
Protinus omnis abit: vireſque in prælia reddit,
Bajulus exitii præſens, & follis ad iras.
Inde duces alii ſubeunt, aliæque cohortes
Sectantur: quod ſi procerum mihi texitur index,
Annus erit; ſeclum fiet, compendia laudum
Si forte expediam dictis, & ſingula ſtringam.

FRAN-

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER V.

N.1. *EQuitatui legiones peditum ſuccedant: quarum in fronte ſelecti procedunt milites (qui vulgo Granatieri) eorum deſcriptio, & præcipuè pilarum ignearum (Granate.)*

N.2. *Primæ peditum legionis Dux Sigisbertus Heiſterus celebratur: quod omni ſtudio milites ſibi ſimiles reddere enitatur, & eo nomine omnibus diſſimilis ſit, ac major.*

N.3. *Subit Starembergica legio: Maximiliani Ducis nobilitas gentilis commendatur, & maxime quam is mutuatur a Guido: Guidi excellens virtus quod Vianam, adeoque Europam defendit; quod Italiam & Hiſpaniam meritis luſtravit, quod Carolum e mediis aſſeruit hoſtibus,*

N.4. *Oratio Guidi ſuadentis Carolum, ut paucis acceptis turmis prægrediatur, nec ſe periculis objiciat: monitus Rex felici eventu ad amicas terras ab hoſticis evadit.*

N.5. *Maximiliani Starembergici fervidus vigor, et æquanimus literis conſignatur.*

N.6. *Sequitur legio Principis Bevereni: ejuſdem imperterrita, & invicta audacia commendatur.*

N.7. *Inde Harrachia: Dux inſignis ſago, & toga: & miles ejuſdem liberalitate devinctus.*

N.8. *Excipit Daunia; Virrichi Dauni Proregis Neapolitani præconia appinguntur, dum urente bello Siciliam, ab omni belli vindicavit timore Neapolim. Subnectuntur deinde Tribuni Dauni laudes ab ejus ſtrenua æquanimitate petitæ.*

N.9. *Ingreditur Bonnevalia: Ducis bellica tolerantia effertur, & virtus.*

N.10. *Succedit Vallia: Vallis egregia facta obiter recoluntur, & æqualis victoria.*

N.11. *Infert ſe Braunia: Dux Samſoni, & Herculi comparatur: robur excutitur, quod omne telum lethale reddit.*

N.12. *Claudit alias Marulli Hiſpana legio. Hiſpanæ gentis virtus attexitur, & Ducis caſtrenſis pietas: qua militans Deo, Deum ſui vindicem habet, & qua ſui victoriam in Turcas extendit.*

N.13. *Ad has & alias legiones luſtratas Caroli Auguſti oratio.*

N.14. *Ejuſdem Cæſaris ad Eugenium oratio.*

N.15. *Eugenii ad Cæſarem reſponſio, militum omnium plauſus.*

N.16.

N.16. *Iter exercitus. Vianenſium admiratio. Eugenius ad Futhachios campos metatur caſtra, & cuſtodit ne quiſquã militum incurſu violet cum Turcis ictũ fœdus.*

N.17. *Infinitus Turcarum exercitus a toto pene orbe collectus, & Tauruno (Belgrado) aſſidens ſummatim refertur.*

N.18. *Collectas ab Europa acies, & inter Prætorianos adſcriptas (qui vulgo Giannizeri) Roſtanus ductat, hujus feritas perſtringitur. Algizal equeſtres (li Spaki) agit, Ducis truculentia exprimitur. Inde aliæ referuntur acies, & unde contractæ fuerint.*

N.19. *Deſcribuntur Ægyptiæ legiones ab Albanis (Malamuchi) originem trahentes: deinde Scythicæ (Tartari) gentis mores, & Ducis truculentia adumbratur.*

N.20. *Apoſtrophe ad Viſirii inanem ſuperbiam contemtim Iſtrum tranſeuntis, & Petrovaradinum occupare tentantis, quò Cæſareos ad pugnam eliciat.*

N.21. *Eugenii ſollertia fomenta Viſirii audaciæ addit, dũ per ſpeciem ſugam affectat, ut eo aſtu Turcas in anguſtiores campos deducat: quo facto minorem ſuorum numerum Turcis æquavit.*

N.22. *Deceptus Viſirius petulanti convicio Muftii timorem, & ſimulatam Eugenii fugam inſectatur, donec Eugenius pertractis in deſtinatos prælio campos Turcis offert ſe verſo agmine, & pugnæ copiam facit.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Poſt Equitem Auſtriacus luſtrat peditũ agmina Cæſar:
Inde acies acuit dictis, & laude Sabaudum.
Gratibus hic actis, Turcas deducit in arva
Æqua ſuis; numerum ſollertia mentis ut æquet.

LIBER V.

N. 1. **A**St ubi jam campos acies tranſmiſit equeſtris,
Et populi undantis mentes convertit & ora,
Bellaceſque hauſit conſpecto a Cæſare ſenſus:
Succedunt equiti pedites: quorum ante phalanges
Ingreditur miles numero delectus ab omni
Non modo virtutis meritis, ſed corpore magnus:
Evulſas radice putes procedere quercus
In numerum, ſic lati humeri ſpatiantur, & altum
Sic caput in Cœlum erigitur, ſic cætera moles
Membrorum ſpectanda ingens procurrit in auras:
Sic ſeſe extollit ſpecies cuneata thiaræ
Circumplexa caput, quam ſetis hiſpida pellis
Finxit: ut ante feræ ſpolium, nunc facta ferorum
Velamen juvenum capiti; verum horrida criſtis
Sit pubes quamvis, præſtantior eminet armis.
Nam præter ſclopum, juvenum qui ſarcina tergo
Inſidet alterno; & cujus de vertice culter
Prominet adnexus, mira commiſſus & arte;
Alter ineſt brevior lateri, lateriſque ſiniſtra
Parte cadit balteo demiſſus acinacis: inde
E lumbis fluit, inque nates latiſſima pera
Illudit: gravis illa pilis tumet: ærea porro
Eſt pila, quæ ferri fruſtis, quæ pulvere farta
Ignivomo; prodit terebrati alteris hiatu
Sulphure contuſo, & viſcoſa uligine lychnus
Oblitus: hic vero quem princeps concipit ignem,
Tuberis in gremio raptim tranſmittit habendum.
Neve id momento, at veluti diſtantia metæ

Exi-

Exigit, exiliat ne protinus irritus ignis,
Nec vomat exitium, luſus ſed fiat ad hoſtes:
Sic pro re nata brevior, vel longior extat
Lychnus, & irrepens lychno cum glandis adeptus
Mulciber eſt gremium (tunſi quâ copia nitri eſt)
Partituſque faces: tunc æreus ilicet orbis
Diſſiliens crepat, & reſonis clangoribus auras
Impellit, turmaſque inter fruſta ænea torquet
Afflictura aciem, & fœdas latura ruinas:
* Tormenti genus, & moles excuſa caminis
* Ditis: an eſt ſtygiis mens noſtra nocentior antris?
N.2. His ubi præteriit telis metuenda juventus.
Per juga digeſti, formoſoque ordine tendunt
Tum reliqui pedites: nec latum prominet unguem
E verſu quiſquam. Primæ eſt in fronte cohortis
Ille Sigisbertus, dici qui gloria gentis
Dignus Heiſteræ, ſed Dux, an miles habendus
In dubium revoces: titulo Dux, cætera miles.
Providus armatis, tractandis vividus armis
Maturans ruit: & quantum furiatus in hoſtem
Dux eſt, & miles, tantum cum milite comis
Dux ille eſt; quin ſæpe minor fit ſponte, ſuique
Immemor imperii paret, ſed major habetur,
Cum potior titulis ſe ſubjicit ille minori.
Hæc una ambitio magno ſub pectore regnat,
Major ut exemplis, meliorque incedere poſſit,
Quam titulis, quorum nuſquam lætatur honore.
Cumque Sigisberti ſervit ſors proſpera votis,
Arripit oblatam, multaque incumbit opum vi:
Miles ut exemplo revocet ſub pectore flammas,

De-

Dediſcatque metus, & tantum polleat armis;
Ut non jam ſimilis, verum duce fortior ipſo
Impiger ad mortes, & vitæ prodigus inſtet:
Hoc decus, hoc credit decoris faſtigia veri:
Cum nihil ipſe ſuper proprio molitur honore,
Militibuſque ſuis multus ſtudet: auctior inde
Gloria majori rediens cum fœnore cedit.
Hoc ſibi vult porro, quod cum certamina fervent,
Martius ille furor, qui pectore plurimus ardet,
Erumpit, ſeſeque aperit, turmaſque ſequentes
Invadit, paribus ſuccendit & agmina flammis.
Sic etiam Titan primos ubi detegit ortus,
Aurea lux nubes croceo velamine veſtit,
Et totidem Phœbo ſimiles ardere videmus,
Quot matutino palantur in aëre nubes.
Aut excors, ſaxo ſimilis vel miles habendus
Si jaceat, quando furiis impulſus in hoſtes
Fertur Heiſterus: fallor, ſaxa ipſa ruentis
Perſtringit ſenſus; ſiquidem gratantur eunti,
Auſtria ſi fuerint, ſi vero Thracia, pallent.
Quæ non militibus viſo Duce martia virtus
Incidet, & caſu raptos involvet eodem?
Inde Sigisbertus pugnas ubi conſerit, omnis
Unanimi aſſenſu pubes, uno impete tendit:
Et ſibi tam concors, paribus tam niſibus æqua eſt;
Omnibus ut juvenum manibus juraris ineſſe
Unam animam, cujus nutus ad bella ſequantur.
Objicite his Thraces factâ teſtudine ſcuta,
Arma aptate armis, lorica obtendite pectus,
Haud dabitur tantam belli tolerare procellam,

Nec

Nec conſpirantis nixum fregiſſe cohortis.
N.3. Excipit has turmas acies veterana feroxque:
Starembergiades Dux Maximilianus: avitis,
Inſigniſque ſuis meritis; nam ſanguine cretus
Ex illo, qui tot claros Heroas in armis
Protulit & profert: in millibus exerat unus
(Unus is incedit reliquis ſi millibus æquus)
Invictum caput: ut nitida tot fronte coronas
Exhibeat, variis quot Roma e frondibus olim
Implicuit, meritos queis cingere poſſet alumnos
Urbis ſcandentes muros, Urbemque tuentes,
Sternenteſque hoſtem, civem vel ab hoſte tegentes.
Exere multiplici ſeptum caput, exere ſerto
Tu Guide; Auſtriaci populi, laceræque Vianæ,
Et pavidæ Europæ, & ritus tutela Latini.
Hæ laudes eſſent aliis faſtigia rerum,
Sed gradibus veluti primis hinc orſus es ipſe,
Ad ſummos apices ut graſſareris honoris.
Virtutiſque tuæ ſpecimen, documentaque prima
Non unam a furiis Ciconum aſſeruere Vianam,
Aſt omnem Europam, cujus caput illa, potenſque
Munimen: caſus Urbis fortaſſe ſequuta
Jam foret infelix, & circumfuſa Getarum
Diluvio: anguſta ni circumſcriptus in Urbe
Europam, Thracum dum proteris arma, tegebas;
Queis victis, campo erumpis bellator aperto:
Europamque ſtudes, quo tutior iret ab armis
Turcarum, invicto Caroli ſubmittere ſceptro.
Et fines Italos, fines metitus Iberos,
Non acie, ductis paucis ad prælia turmis,

Vir-

Virtutum at titulis, & fama nominis imples.
Ac niſi ſolviſſet Regina Britannica fœdus,
Te Duce, devexos Solis jam flecteret axes
Auſtriades dextrâ, ut lævâ nunc dirigit ortos.
At quamquam, ſociûm juſſis ſecedere turmis,
Haud ſteterit Regina fide: tibi gloria major,
Ut minus accedat meriti: potiorque triumphus,
Quem tu Guide refers, fuit expugnaſſe minacem
Ardorem Caroli, dum tendere vellet in hoſtes:
Et nihil eſt penſi; ſoluſne, an milite ſeptus
Irruat, invictæ dextræ modo robore fretus.
Hunc ipſe a dubiis inhians revocare periclis,
Et propriæ ſenſus memores excire ſalutis.
Sic ultro alloqueris, ſic mulces pectoris iras.
N.4. Inclyte Rex: veniam noſtris precor annue dictis,
Queis moror audentem; ſiquidem clementia præſtat,
Qua nimium polles, ut noſtra audacia conſtet
Tutior in verbis, ac eſt tua martis in armis,
Si ruat, & tantis ſit circumventa catervis.
Quo raperis? cur in medios te projicis hoſtes?
Cur ſpem Germanæ gentis, vitamque, futuras
Soſpite te tutas, rapis in diſcrimina tecum?
Ah niſi per ſtrages aperis cum fulmine callem,
Totius Europæ penitus fruſtrabere vota.
Quid tibi cum noſtris vicibus commune? * jubere
* Regis opus: miles Regis mandata faceſſat.
* Et fato cujuſque ſuo ſit copia pugnæ,
* Cui vel vincendum, muta vel morte cadendum.
Tu vero, a cujus vita fata omnia pendent,
Secedas, Rex alme, precor; teque ipſe periclis
Sub-

Subtrahe, ut eventis iterum fauſto omine reddas.
Sperò equidem, firmatque fidem tua plurima virtus;
Conſita tot fluviis, tot circumfuſa maniplis,
Auſpiciis, ductuque tuo tranſibimus arva.
Sed tamen interea gravior diſcriminis horror
Pectoribus ſuberit noſtris, quam gratia palmæ,
Si nobis comes objicias caput ipſe periclis.
Ergo age quingentos Equites tibi delige: vades
His modo præſidium, quos clandeſtinus amicas
In terras referes: nobis ſubſiſtere detur,
Hoſtileſque minas in nos convertere, donec
Extuleris greſſus extra diſcrimina martis.
Id ſimul ac tentas, caſtris non amplius unis
Te ſequar, atque palam relegam veſtigia ſigno
Vocali: hic aſtus contra nos excitet hoſtes,
A quibus expediam tutas te ſoſpite turmas.
Noſter erit labor iſte: tuus ſi plurimus ardor
Abnuit avelli, ſortique occurrere geſtit,
Ut ſocios tueare: nimis diffidis amicis,
Et nimium contra tribues hoſtilibus armis,
Agmine ſi toto ſtudeas incedere ſeptus.
Ne nobis timeas, ſorti nos annue noſtræ;
Ibimus in caſus omnes, quæcumque malorum
Ardua ſe quondam facies feret obvia, quævis
Alea tentanda eſt belli, tentabimus ultro:
Si nil ſolliciti pro Rege in bella ruamus.
Fac pateat, quantum propriæ ſit quiſque ſalutis
Prodigus, at quando Caroli formidine liber,
Nec memor ipſe ſui, pro Rege in prælia fertur;
Si ſecus, evadet duplex jam cauſa timoris,

Cum tibi, cum nobis veriti fera bella ciemus.
Hinc ſi conſultum ſociis placet eſſe: rogamus,
Ut bene proſpicias nobis, tibi proſpice ſoli.
Annuit invito ſimilis, Regiſque reſedit
Ardor, & ereptus ſocias conceſſit in Urbes.
Inſequitur raptim Guidus, medioſque per hoſtes
In ſe converſos tutum tandem expedit agmen:
Mentiturque fugam certans, pugnamque ferendo
A pugna: hoſtiles terras, non jam effugit hoſtes.
Fugerit aſt illos: Guido fuga capta decori eſt
Mille per adverſas acies, terraſque maligni
Ingenii, aut clivis, aut intractabilis amne.
Nec laudes tantum, at meruit fuga ficta trophæum
Præ reliquis longe præſtans, ſpoliumque triumphi
Effugio parti, ſpolium quo clarius ullum
Haud fingi poterit, Rex ipſe receptus ab hoſte eſt.
O Ducis excelſi titulos! qui magnus es Urbem
Propugnans, major pugnans, ſed maximus idem
Dum fugis: an vero propius, re maximus omni?
Sed ſatis hæc: repetat Proceres digreſſa Camæna.
N. 5. Prominet ante alios major meritiſque graduque,
It ſua collectus dum Maximianus in arma.
Is frontem auguſtam, ſublimiaque erigit ora
Arduus, arma tenens; acies convertit & omnes,
Sic oculi, ſic ora faces ſpirare videntur,
Aut potius ſpirant: hoſtes concedite palmas
Huic ſemel aſpecto; quamvis ſpes integra pugnæ eſt;
Nam vigor ille ferox, qui prominet ore minaci
Roboris experti, atque invicti eſt pectoris index.
Sed quantum invictos aperit vigor ille, furorque,
Tan-

Tantum compoſitos innata modeſtia ſenſus.
Scilicet hæc inter flammas, vultuſque minantes
Enitet: ut piceis ridens in nubibus Iris:
Negligit invictus dubii diſcrimina belli:
Compoſitus vero non dedignetur obire
Quod pronum eſt, habituque animi raperetur eodem
Myriaden contra, aut Thracum de millibus unum.
Ni pietas animi pro relligionis amore,
Ut Geta ſit multus, collectæque agmina gentis
Cuncta velit; cum jam tempus ſuccedere pugnæ,
Ut pugna ex una patrato denique bello
Biſtonas affligat, quin tantæ in pectore flammæ
Starembergiaco flagrant, ut tarda putetur
Luſtrandi mora, jamque animus ſibi præcipit hoſtem:
Jam furit in campo, jam Lunæ affligere ſigna
Ardet, & optata ſe paſcit imagine rerum.
Ter felix Legio, tali quæ tuta Magiſtro
Non legio incedit ſed pene exercitus alter!
N.6. Poſt hunc invictus Princeps Beverenus in armis,
Iſmaridum clades, & bello vivida virtus
Agmen agit, redditque audax audentior ipſe.
Si Thracem hic videat truculenta in imagine mortis,
Aut mortem eluſis procedere Thracis in armis,
Aut conjuratas in eodem corpore formas,
Irruat, objectoſque manu diverberet hoſtes
Intrepido conſtans animo, conſtantior ore
Thraci illaturus mortem, mortique timorem:
Tantus in ore furor, tam multo turbine ferrum
Torquet agens dextra, & tanto ruit impete cuſpis
Horroremque ferens, & ineluctabile vulnus.

N.7. Hunc pone Arrachius ſequitur trabeâque togâque
Inſignis; plaudas acies hunc nacta Tribunum:
Tam mens eſt illi facilis, tam prodiga dextra,
Ut mente huic ſimilem vix poſſet fingere miles,
Quærere vix votis; nimio devictus amore eſt
Hinc Ducis, hinc gravior fervet cum pugna, ſequutus
Arrachium, aut nullos ſentit ſub corde timores,
Aut quos Dux nimium ſecuro pectore fecit,
Et timet hoc tantum, ne ſit fiducia fraudi;
Non jam diffidens animo, dextræque fideli,
* Sed forti, quæ virtuti ſæpe æmula certat.
N.8. Sed jam Daunus adeſt: non is, qui gaudia pacis
Parthenopæ potuit media inter bella tueri,
Qui ſolo infeſtas avertit nomine puppes
Euboica e terra, Siculas & adegit ad oras,
Quâ claſſem non Scylla biceps, rabiesque Charybdis,
Sed partim abſumſit, partim depreſſit in undis
Ignea vis: totidemque Phari, quot in æquore naves
Arſerunt. at parce loqui; quid lingua retractas
Vulnera? dicamus qui Thracia contudit arma,
Non alios: jam Daunus adeſt, Daunum ergo canamus
Compoſitæ exemplar mentis, ſecumque morantis.
Palmæ obnitentis, ſolidique adamantis ad inſtar
Hic animo infracto eſt ſemper, quocumque fluat res:
Nec minor, ut partas adimat ſors altera gazas,
Nec major, gravido duplicet ſi copia cornu.
Idem habitus vultus ridet ſociiſque, ſibique;
Nec lætus, ſpoliis redeat ſi Thracis onuſtus;
Nec triſtis, Thraci victus ſi cederet herbam.
Si qua tamen, ſi qua eſt vincendi copia Turcis,
Dum

Dum Carolus ſceptrum tractat, gladiumq; Sabaudus.
Quod ſumma: in Dauni corpus ſors mobilis, inque
Res habet, in ſenſus animi nil juris eidem eſt.
Quandoquidem aut ſupra ſortis revolubilis orbem
Eminet, aut axem dextrâ tenet: ille vel Indos
Exul adit, ſævoſque Scythas, Sinaſque repoſtos,
Hic patriam obtinuit, cum ſedem elegit ibidem.
* Res operoſa quidem eſt, ſe vincere poſſe, ferendo
* Digna, indigna, prius quam vincitur hoſtis agendo.
Res operoſa fuat, ſibi ſe ſubjecit, & hoſtem,
Nil ſibi ſollicitus vitæ, ſcit vincere bello.
Certus enim eſt fato potius, quam cedere campo,
Conſulteque audax quoquo vocat alea Martis
Irruit, haud odio vitæ, ſed mortis adactus
Contemtu, mors in pretio eſt, ubi gloria fulſit.
N.9. Hìc Bonnevalius ſubiens Dauni excipit agmen,
Naturam ſupra patiens tolerare labores,
Indolis illecebras ſupra, vel parcere menſæ
Vel ſomno; quicquid dederit ſors obvia, vitæ,
Quæcumque occurrunt, fient alimenta ſoporis.
* Ipſa fames multo dudum quæſita labore,
* Seu pecus in ſylvis, hoſtem ſeu poſcit in armis,
* Dat parcis epulis pretium, pretioque ſaporem;
* Dives enim eſt, quisquis contentus paupere menſa,
* At pauper, ſi quis nec menſa divite gaudet,
* Fomes egens dites, dives nos reddit egentes.
Hinc Bonnevalium nuſquam indulgentia ſortis
In luxus rapuit; rectis nam flectit habenis
Ille animi flammas, quas inconſulta libido
Subjicit; at contra quos plurimus ingerit ardor
Mar-

Vulnificum, infligens alieno vulnere mortem.
Ille vel extollat nodoſo robore clavam,
Maxillaſque leves, armis metuendus utriſque eſt.
Proteret, ingenti ni ſubſecat impete membra,
Duriùs incutiens obtuſo vulnera telo.
N.12. Tu quoque, quā caſtus, tam ſtrenuus agmina ducis
Armipotens Marulle, meret tibi fortis Iberus,
Qui bello hoc docuit, dum Thracia firmior arma
Suſtinet, avertitque; prior dum mœnia ſcandit;
Quod ſibi non animi virtus, ſed cauſa triumphi
Defuit in bellis aliis; quin omnia poſſet,
Quæ vigor innatus ſtuduit ſuperare pericla.
Quam vero hæc acies propria virtute ſuperbit,
Tam nitet auſpiciis Itali curata magiſtri.
Tu porro es ductor Superum tu cultor, & ultor
Pro Superis Marulle; tui eſt cuſtodia Numen.
Nec tantum affectas Cœli ſtraviſſe rebelles,
Quam Cœlo ſtudium eſt artus texiſſe clientis,
Ne clandeſtinæ fixi ſint cuſpidis ictu.
Dux ergo Hiſpani juxta es, mileſque Tonantis,
O bone Dux, melior miles; cui cauſa furendi
Eſt Deus; ille Deus, pietas cui juncta furore eſt.
Invidiæ flammas, Thracem averſeris ut omnem,
Inviſumque Deo jugules, dedit ignis amoris
Divini, & pietas ſævum te plurima fecit:
Ergo tuus furor iſte pius, furiata vocanda eſt
Hæc pietas; ſileat, ſileat, qui caſtra ſequutos
Et fidei exortes canit, & pietatis egenos.
Non tantum in caſtris pietas tua multa, fideſque eſt,
Sed viget, & creſcit ſtrages licet inter & iras.

Quæ-

Diverſi tantum ſtudiis, & partibus hoſtes,
Non ritu, intactæ nec religionis honore.
Parva ſed exegi: ſiquidem ſi martia virtus
Hæc olim exhibuit tam facta inſignia nobis:
Quid mihi non pietas, notus non ſpondeat ardor,
Nunc ubi Religio duplicat ſub pectore vires?
Spero equidem majora, fides nec vana ſequetur
Spes noſtras: Deus ecce, Deus ſua ſoſpitat arma,
Non mea, vel mea ſunt titulo potiore, Tonantis
Cum fuerint? nullis tunc ibunt obvia damnis,
Aut ipſo in damno melius ſunt noſtra futura,
Quæ mihi centeno reddet cum fœnore Numen.
Numinis i miles, Geticos i tutus in hoſtes:
Quo res cumque fluet, palmæ es ſecurus: olympi
Si ſternes hoſtes, victor. ſi ſternere, vivus.
Victor eris mihi, vivus eris tibi, Numinis ergo
Cum victus, vitæ fueris cum lumine caſſus;
Nam cæſus, plaudes Cœli redivivus in arce.
N.14. Tuque o Imperii cuſtos, columenque Sabaude
Ceu pede, ſic late terras metite trophæis,
Queis ego te ſtimulis acuam, queis laudibus uſquam
Excipiam: ut ſolitis edas majora Gelonûm
In gentes documenta tui: ſed multa parantem
Dicere me prohibet virtus, quæ plurima cordi,
Quæque tuo eſt animo pietas: prima indiga noſtri
Ut moniti, laudum ſic altera temnit honores.
Vade age & Iſmarias fœda cum ſtrage catervas
Obtere: nil ſiquidem eſt, cur ipſe ad prælia pectus
Belligerum accendam, aut meritis præconia texam.
Si nimium inſtigem, videor diffidere dextræ:

Si recolam, magnis forſan laus detrahet actis,
Et tibi, qua polles virtus calcaris ad inſtar,
Inſtar & eſt laudis pietas averſa canentem.
Hoc unum adjiciam, non ſtratum Cæſaris ibis,
Virginis at magnæ, diros at Numinis hoſtes.
Dixit, & amplexus dulci cervice pependit.
N. 15. Quem ſic excepit ſubmiſſa voce Sabaudus.
Maxime Rex, Latiæ Præſeſque & gloria gentis:
Et decet, & ſtudium eſt talem componere factis,
Me qualem auguſti nuper vox pectoris index
Dignata adſtruere, & potior tu maxime Cæſar
Es cauſa, ut mecum indigner, ſi conſulis arte
Sum minus inſtructus, quæ cura potiſſima menti eſt,
Ut tibi tam dignus meream, velut ipſe mereris:
Quiſquis at incedam, ne dedignare laborem,
Si tibi pro meritis diſpar impenditur, infra
Si ſtudium eſt animi: noſtris tu nixibus æquus,
Non operam dextræ, ſed curas accipe mentis,
Cui tibi parenti ſedet omnem evolvere caſum:
Nec facile eruerim dubio de pectore, mortis
Ambitio ſubeatne animum, vitæne cupido,
Et Getico in bello num gratior accidet utra;
Dulcis quandoquidem mortis me provocat ardor,
Ut Cœlo vivam; vitæ ſed ducor amore,
Ut tibi, vel Cœlo vincam; plus vita decoris,
Mercediſque minus referet; ſed funus honori
Ut tenui cedat: merces tamen ampla cadenti eſt.
Quid mihi perſuaſum ſtudia in contraria ſciſſo
Novi equidem: belli ſtudium, caſuſque viceſque
Sic avide arripiam: ut Turcas affligere multus
Vel

Vel nitar, vel obire diem; quid deinde futurum
Scit Deus: illius placitis ſubſcribere votum eſt.
Hos mihi conſtantes ſenſus ut Rector Olympi,
Utque velit Virgo, precibus contendere nitar.
Dixerat: idque loco fauſti lætique receptum eſt
Ominis,& plauſu unanimi cecinere cohortes.
Cæſar, io vivat Thracum horror, ioque Sabaudus
Vivat: io vivat, qui nutu Cæſaris arma
Induit; Eugenii ductu qui dimicat armis.
Icta repercuſſis clamoribus aſſonat echo,
Hæc reticens alios, modo verba noviſſima reddit:
Et nemorum aſſenſu, vel opacæ murmure vallis
Cæſar io vivat, reſpondit, ioque Sabaudus.
Clamores ſequitur molli cum flamine ventus,
Qui ſigna intendens Aquilas inſcripta, Crucisque
Effigiem in Thracum vertit recto agmine terras.
Aëris & parcens campis infraque, ſuperque
Adjectis, ad ſigna coit, juxtaque coactus
Oſcula nunc Aquilis libat, nunc pronus adorat
Signa: Crucis ſignis ſenſus hauſiſſe putares
Erectas Aquilas, & jam librare per auras
Si niſu alarum, jam Thracibus ungue minari,
Et roſtro, & pedibus jam velle apprendere Lunam.
N. 16. His iter ingreditur miles felicibus uſus
Auſpiciis: ſequitur votis, precibuſque Viana
Vadentem, gaudetque tuens, gaudenſque tuetur
Fulgentem haſtarum ſylvam, pelleſque Luporum
Has inter ſylvas; armis quæ tegmen equorum,
Et juvenum capiti longos fixere galeros.
Cum vero campis paulo exceſſere Vianæ,
Progreſſæque viam celerant denſo ordine turmæ;

Turribus ex altis cernunt, aut cernere credunt
Indigenæ ſpiſſo veſtitos milite campos
Vadere, convulſamque ſolo procedere terram.
Sic ubi ſuſpicimus nubem per inane volantem,
Luminibus falſis divulſam ex æthere partem
Tendere conſpicimus: pelagi ſic ire per undas
Inſula ſpectatur, juxta ſi marmor aramus.
Nec mirum, eſt pubes oculis ſi capta laboret
Proſpectum ob varium; quando mens fallitur ipſa:
Et neſcit, placeatne ſibi, dubiumne timorem
Concipiat ſecum vario de milite, deque
Exuviis variis: varia dum buccina voce
Diſſilit, & variæ ſurgunt de caſſide criſtæ,
Et varios referunt vento variante colores.
Haud ergo aſſequitur variarum in imagine rerum
Mens bene, conſpicuus procul ille, horrorne venuſtus
Anne venuſtatis ſpecies horrenda vocetur?
Jamque iter emenſi campos tenuere manipli
Futhachios: hic metatur ſua caſtra Sabaudus.
His bene compoſitis Princeps cuſtodit, & acer
Intendit ſtudium, ne quiſquam incurrat in agros
Iſmarii juris, primusque in fœdera peccet.
Dum ſibi propoſitum eſt, prius arma adverſa morari,
Quam bellum inferre, & culpâ diſſolvere pacem.
* Nam potior bellis, eſt belli cauſa gerendi,
* Quæ ſi juſta ſubeſt, felix erit exitus armis.
N. 17. Parte alia vero, magnum quâ Savus in Iſtrum
Influit; & vaſtas arces, turresque, minaſque
Murorum aëreas Taurunum nubibus infert:
Iſmaridum pubes vaſtis conſederat arvis,

Nec

Nec ſola Iſinaridum: quando ſe infuderat illuc,
Et late incubuit, campoſque obduxit amictos
Indigenis exhauſta ſuis pene Africa tota:
Pene omnis populus ſub ſigna infeſta coactus
Hic Aſiæ: ad Taurum Trojano a litore quanta
Illa patet, quantam diverſis amnibus ambit
Tigris, & Euphrates, alter memorabilis unda
Præcipiti, tardis metuendus fluctibus alter:
Et quantam Euxinus piceo cum vortice lambit.
Cujus ego ingentem potius conabor inire
Undarum numerum, qui vento alliditur oris:
Hanc quam colluviem populorum abſolvere cantu.
N.18. Ac prima ante alias ſubmiſit Græcia gentes
Infelix: natos quæ matris ab ubere raptos
Avelli queritur, diriſque addicier armis
Exortes ritu patrio, Geticumque profeſſos.
Dira ſuperſtitio, qua cogitur inſcius infans
Et patrias leges, ipſum & dediſcere patrem,
Et contra ignotos olim ſævire parentes,
Poſt ubi maturis ætas adoleverit annis.
Hi partim pedites: quæ Thracum inſignior una
Militia eſt; latio dici Prætoria ritu
Poſſet, ut ad Turcas eadem Jannizera fertur,
Hos ductat Danaum cognato e ſanguine cretus
Roſtanus, at ſævis diſcretus moribus idem:
Et qui, ni feritas eſſet, foret omnibus æquus:
Omnibus eſſe feros virtus ſolemnis habetur.
Queis jocus eſt alios temere demitter morti,
Aut inconſulte propriam profundere vitam
Regis in obſequium; ſiquidem gens funere credit
Mer-

Mercari æthereas (proh dira inſania!) ſedes.
Ille quater decies peditum Dux millia raptat,
Sexaginta equitum ſub barbara ſigna coegit
Horridus Algizal, quo non truculentior alter,
Et cui ſi vultus adimas, eſt cætera Tigris:
Quamquam adeo exuperans animi furor eminet ore,
Sic oculis torvus, torva ſic fronte minatur:
Humano ut credas mentitum Tigrida vultu.
Quis vero hic auſit, quamvis ſint guttura mille
Ænea, & æratæ totidem ſub gutture voces
Uſque ſtrepant, tenui complecti ſingula cantu
Agmina: quis referat quas Troja invita cohortes
In genus Æneadum miſit: domus Auſtria ducit
Inde ſuos ortus, & Julo Cæſare clara,
Clara tot Auguſtis, Caroli clariſſima ſceptro eſt.
Quis recolat turmas quot Idumes terra coegit,
In Dominum infelix, inque hoſtes dives Idume
Palmarum, & Carolo palmas latura, pioque
Eugenio; hos contra ſiquidem contendere bello,
Sponte triumphales eſt illis tendere palmas.
Tu quoque, tu juvenes vetitis Solyma inſtruis armis:
Inque tui columen, aſſertoremque movere
Arma potes? tuus ille, inquam, tuus ille futurus
Ultor, ab Iſmario qui raptam vindicet olim
Servitio? Salve tellus, ſalvete cruore
Numinis aſperſi montes: ubi vincula Ditis
Jam Deus, hic Carolus Turcarum vincula franget.
Quique modo in Thracum gentes tonat arduus: ille
Thracibus attritis ſtabit ſubmiſſus ad aras:
Poſt ubi, delubris Turcarum ſanguine lotis

Sa-

Sacrilego, reddet voti damnatus honorem.
Quis potis eſt Arabas, Cilicum vel dicere gentes:
Rhomphæamque Syros,& amantes ſpicula Medos.
Innumeroſque alios, quorum vel nomina ſenſus
Belligeros reſonant, quorum ipſa vocabula poſſent
Incuſſiſſe metum, quamvis ſit copia parva:
Quæ tamen ad Caroli ſic raptim adolevit honorem,
Sic poſt acceptas Leopoldi a fulmine ſtrages
Inſurgit recreata, ſuis videatur ut illa
Irritata malis, non clade infracta priori.
N.19. Omnia ſed reticet, reticet ſi lingua cohortes,
Quas Pharos inſtruxit: ſunt hæ terquina virorum
Millia, qui quondam ſervi de Colchide ducti
Ægypti in Reges abiere: ſed inde ſubacti
Turcarum imperio, in ſervos recidiſſe queruntur.
Vaſta mole viri, latiſque immania membris
Corpora, tam reliquas inter ſurgentia turmas,
Ut peditum in cuneis, laterum tenus,altius extent,
Et criſtas equitum lunatis frontibus æquent.
Omnes loricis, æratæ caſsidis omnes
Præſidio tuti: procerus acinacis arma
Omnibus, & ſclopus præſtat majorque, minorque.
In dubio eſt, tellusne omnes Ægyptia miſit,
An ſupplementum ſubmiſit ſubdita Colchos.
Certa fides: regimen dirus Solimanus in omnes
Hos habet, ut membris, animo ſic amplior, & ſic
Barbarie reliquos idem inſuperabilis inter.
Proceras quercus, aut aërias cypariſſos
Ire putes, tam ſublimi cum vertice ſurgunt,

Tam

Tam vaſtos humeros, & brachia longa, lacertoſque
Exertant, latoſque ferox manus erigit enſes.
Sic olim Numen vidit, riſitque Gigantes
Ad Cœlum audentes gradibus conſcendere turris.
Quos non Inarimes depreſſa extruſit in antra,
Unius aſt adimens linguæ commercia, fudit.
* Tam Cœlo facile eſt opibus nos perdere noſtris.
Quis demum hic ſileat, vel quis tibi temperet uſquã,
Quin genus adjiciat, genus inſuperabile bello,
Aſſuetum a teneris omnes tolerare labores,
Et promtum adniti, caſus ſuperare vel omnes.
Hanc Latii dixere Scythas, nunc Tartara pubes
Eſt nobis eadem, numero vicena virorum
Millia, quos totidem furias juraveris eſſe
Tartareo egreſsas antro: nec nomine tantum,
Tartaream aſt etiam factis inferre ruinam.
Tam citus eſt illis ſonipes, tam præpete curſu
Hic volat, ut medio credas Delfinas in alveo
Fluminis, in campis Damas; ſic concitus amnem
Trajicit, aque fuga ſic præterit alite campos.
Hos equites Regis proles agit, iſpida barba
Cui riget in mento, & ſuperum complexa labellum
Eſt propior ſetis, quales aper erigit armis.
Horrida majeſtas olli, forma horrida vultus,
Turbinea vertex ſpecie, ſed deſinit idem
Depreſſam in frontem, geminis frons ipſa cavernis
Subſidit: caveas inter tum cæſia flammis
Lumina ſtant, cirri illudunt per lumina colla
Promiſſi: cervice jubas ſic excutit, & ſic
Ignitis oculis horret Leo, cedere juſſus

Con-

Contemtim: dum multa canum vis urget, & ille
Reſtitat, arrectisque jubis, oculiſque minatur:
Et ſibi præſidii eſt aut cerni, aut cernere torvum,
Et fugiens fugat, & terret deterritus ipſe.
Præterea juvenis talos obnubit amictus
Diſcolor: hinc humeris arcus cadit, inde pharetra.
Supra humeros variis illudit faſcia nodis,
Faſcia nam fingit, multa vice ducta, galerum.
Præ latere eſt harpe: geminos in pectore ſclopos
Portat equus: celeres Dux ipſe celerrimus inter
Haurit iter; quod ſi magnis committere fas eſt
Parva mihi: rapidi ſic fulminis inſtar, ab aſtris
Lucifer, Aligeros inter, ruit actus ad orcum.
N.20. Viribus his, fretuſque aliis Viſirius armis
Præripit innumeras vano jam pectore palmas,
Devorat Auſtriadæ ſecum jam regna, Vianam
Jam tenet, & Lunam Romanis arcibus infert.
Ah miſer, ah demens animum ſpe paſcis inani,
Nec latus Eugeniâ fodiendum a cuſpide ſentis,
Nec pede belligero Lunæ vexilla terenda.
Cur indignantem ternis cum pontibus amnem
Jungis, & effuſus vetitum dum trajicis amnem,
Non tantum Eugenium ſperas, ſed vincere jactas
Naturam: gaudeſque tumens calcare fluenti
Inſtabiles undas firmo pede: flumina præter
Aut equitum, aut peditum lætus traſmitte catervas:
Tempus erit, cum non fluvii tantum objice tectus,
Sed medio Oceano cupies ſubmotus abeſſe
Eugenii a caſtris, & hianti obtrudere terra
Te procul abreptum, aut Cœli ſuccedere nubes.
Ergo ubi conſedit vaſtis Viſirius arvis,

Contulit Auſtriacis caſtris ſua: quôque Latinas
Ad pugnam eliciat turmas: ter mille coactas
Continuo expediit tentatum mœnia ſcalis
Petrovaradini, quod primum deſtinat armis,
Quo coram Eugenio placet omni invadere niſu:
Unde ſibi pugnæ fieret ſeu copia, ſive
Dedecori Auſtriacis, prædæ ſibi cederet Urbis
Præſidium, victas juſſum recludere portas.
N.21. Senſit, & audaces ſenſus acuiſſe Sabaudus
Inſtituit, finxitque fugam, vanoſque timores
Mentitus revocat turmas, ſenſimque recedit:
Ut foret in tumido major fiducia Thrace,
Inſtandique ſibi plus curam intenderet idem.
Noverat invictus Princeps, & callidus æque,
* Quod cœca in timido quovis audacia creſcit;
* Cum ſeſe a forti deprenderit hoſte timeri,
* Nec quis ſit, reputat ſecum, ſed qualis habetur.
Haud vero id temere, ſed magni Principis aſtu
Artifici factum eſt: voluit juviſſe receptu
Magnifico exiles turmas, & Thracis ab auſis
Conſilium arripuit, numerum præſtaret ut arte.
Hic timor ad ſpeciem, ſpecies formidinis illa,
Quæ concinnavit ſtolidis mendacia Turcis:
Illa fuit momentum ingens, ut vinceret hoſtem.
Ergo abit Eugenius:ſequitur propero agmine Thracũ
Cœcus ad has artes Ductor, ſeque eripit agris
Credulus effuſis, ultroque anguſta locorum
Obtinet, ad pugnam quæ legerat ante Sabaudus.
Hic ubi planities brevior, quæ conſita ſpiſſis
Collibus attollit faſtigia multa jugorum,
Queis paullum aſſurgens rurſus deſcendit in æquum,
Et

Et redit in campos nectendis aſtibus aptos.
Nam quia quadruplo noſtris numeroſior hoſtis,
Ne circumventus tanto foret agmine Princeps
Cuſtodit, legitque ſitum, quo ſcilicet unus
Quatuor in Turcas adverſo at pectore poſſet
Tendere, ſecurus tergi: nil ille quaternis
Objectare unum veritus; ſed præcavet, unus
Dum tergo metuit, ne quatuor hoſtibus iret
Obvius, & pugnam dubia cum mente cieret:
Et minor in bello diviſus ſpiritus eſſet.
Nec vero interea ſubmittere negligit arci
Subſidium: ſubeunt juvenum ter millia muros,
Queis bene firmatus Dux Loſſeloffius, urbis
Præfectus, muros Thracum defendere ab armis
In ſe ſe recipit, Geticoſque eludere niſus.
Parte alia nudam cernens Viſirius Urbem
(Dum procul Auſtriadum eſt acies)ſibi cedere prædam
In facilem credit, nec cauti Principis aſtus
Aſſequitur: quando ille fugâ, ſpoliiſque petendæ
Urbis adeſcatum voluit deducere in arva
Æqua ſuis turmis, magnis ſed iniqua Getarum.
Omnia reſpondent votis, mentique Sabaudi
Argutæ: catus ille fugam mentitur, & inde
Intumuit cœci furiata ſuperbia Thracis,
Urbis ab aſpectu crevit: movet ergo, nec ulla
Interjecta mora eſt: quin ſcalas applicet arci
Pars Tracum: & reliquis turmis Viſirius inſtet
Agmina noſtra ſequi, nam quo magis illa recedunt,
Hòc Ducis Iſmarii tumidâ velut ebrius irâ
Spiritus excandet flammis, & adulta ruit ſpes
Urbis in excidium, quam credens ille ſubactam,

Et ſenſim Auſtriacas acies excedere ſpectans
Subſtitit arrectus frontem, dein pectore claudi
Indociles ſurias in talia dicta reſolvit.
N.22. Inſtitor Iſmarii decoris, Procerumque Magiſter
O ubi nunc ille, & pellax timor ortus amore:
His utinam in campis noſter Muftius adeſſet
Virtutem Eugenii coram viſurus, & artes:
Dum fugit, intutas nobis dum deſerit Urbes
Ille ferox miles, belli ſuus ille Magiſter.
O bellatoris virtus, o conſulis aſtus!
O animi invicti dotes, o dextera pollens!
Aſt ubi in inſidias tractos, ultraque receptum
Progreſſos vidit Princeps, placitiſque Gelonos
Jam circumſcriptos campis: tunc abdita virtus
Se ſe aperit, tunc perſonam deponit, & hoſti
Eximit errorem falſo. ſubſiſtere ſigna
Imperat, & faciem verti: mora nulla, videres
Temporis in puncto non tantum pectora flecti,
Ordine ſed certo digeſtas undique turmas,
Firmarique gradum, ſtringique in vulnera ferrum,
Aptatoſque genis ſclopos, ſclopique ſub ore
Sole repercuſſos gladios ardere minores,
Inque hoſtis frontem tormenta curulia volvi.
Non tamen idcirco defecit Thracius ardor,
Quin animo invicto vellet præſtare, quod ante
Jam ſibi propoſitum; numero plus nempe ſuorum,
Virtutique ſuæ tribuens, quam fraudibus hoſtis.
Sed neque ſi ſtudium eſt, illi jam copia detur
Trans fluvii ripas acies revocare reductas.
Quippe ubi tranſivit, pontes abrupit in amne,
Quo foret Iſmariis pugnandi audacia major,
Dum ſibi ſpem reditus cernunt cum ponte reciſam.

FRAN-



1 Rex CAROLVS *monitis* [2] *acies, acuitque* [b] SABAVDVM
Laudibus, [4] *hic* [5] *Turcas* [6] *campos trahit inter iniquos.*

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER VI.

N.1. *Eugenii juſſu Palphius mille & quingentis equitibus vadit exploratum vires Turcarum: omnis horum equitatus in Cæſareos invehitur, ſed fruſtra eſt. Mira Palphii virtus quatuor horas Turcarum equitatum ſuſtentantis: & ſæpè excedentis a verſu agminis; ut audaciores quoſque hoſtes affligat: & a duobus interfectis equis citra ſenſum comitum in recentes duos inſilientis.*

N.2. *Eugenius timens laſſitudini Palphiacorum, duo equitum recentium agmina ſubſidio mittit, Ducibus Bereitto, & Condrecourto. Horum excelſa virtus pervadentium per Turcicos equitatus, & auxilio ſociis ſubeuntium. Junctis ab armis Turcarum cædes. Inſtante nocte ſe, & ſuos per medium hoſtis equitatum inaudito effectu agit Palphius.*

N.3.

Digitized by Google

N.3. *Poetæ gaudium ad diem ſacratam Feſto' S. Mariæ ad Nives: qua die accidit prælium, & Turcarum cædes.*

N.4. *Viſirius præteritæ cladis ſtimulo exulceratus, dum ſtudet ſuo furori obſequi, Mariæ Virginis ſervit imperio. Hinc ad pugnam ruit. Pugna inita a tormentis bellicis, & ſclopis aera fumo occulentibus.*

N.5. *Deinde ad gladios virtute utriuſque partis pertinacior pugna venit: nam media acies Turcarum deſertoribus Latinis, & Jannizerorum flore conſtabat: inibi curante Viſirio, & Agà Jannizerorum. Ordo exercitus Auſtriaci, & Duces.*

N.6. *Venalis hæc Latinorum acies acri, & ſtabili certamine incumbit Cæſareis, & bis ſuſtentata, tertio invecta Cæſareos convertit: Quorum pugnacem fugam animadvertens Eugenius opem a Maria Virgine expoſcit.*

N.7. *Mox ad commilitones ait: vel tecum moriar miles, vel mecum vincas oportet: & in dicto projicit ſe inter hoſtes. Militum reſponſum, & iiſdem ardor a Ducis exemplo incuſſus.*

N.8. *Hinc acerrima pugna: qua ſeſe adeo implicant acies, ut diſcernere non ſit quiſnam utrius partis miles: unus livor Turcas, & deſertores Latinos ex timore, & culpæ conſcientiâ diſtinquit: Cæſareos vero ex ira, & pudore ſeræ victoriæ diſcriminat rubor. Ad Cæſareos porro tantum valuit exemplum Eugenii, & proprius dedecoris accepti ſtimulus, ut ſine artis reſpectu, furore excæcati irruerint, & magna ſtrage, profligarint Turcas.*

N.9. *Nec verò deſunt ſibi impii deſertores, & Turcæ: maxime addente vires Erynni: inde atrocior pugna, et clades utriſque pervicaci furore adnitentibus.*

N.10. *Utut alibi obſtinata recruduerit pugna; diverſa tamen*

men eſt ubi Eugenius decertat, qui latè profligata hoſtium acie debacchatur inſtar torrentis. Varia ejuſdem bellica facinora.

N.11. *Unde morte, & mortis metu obeunt, aut abeunt perculſi Turcæ, inde area in campo aperitur: aut potius pro ſtrage immenſa theatrum: inibi Turcæ ſunt patiens perſona, Eugenius agens: ejuſdem multiplex perſona, ſæva, minax, ſerena in acies repugnantes, inermes, ſupplices. Idem eſt inſtar Elephantis ſævientis in feroces belluas, parcentis imbellibus: & inſtar Larvæ, quam viator nollet videre ne terreatur, vellet videre, ut ab illa caveat ſibi.*

N.12. *Quamquam exermis, & timidis parcat Eugenius: non parcit ſuus miles, qui ſtratam ab Eugenio viam inſtar retenti fluvii percurrens obvios trucidat Turcas. Hinc clades inter paucas memorabilis.*

N.13. *Poſtquam Eugenius peditatum, Palphius Turcarum debellat equitatum: qui licet primum obſtiterint, incumbente acrius Palphio ruptis tandem ordinibus in fugam conjectus, & ingenti profligatus ſtrage. Quo facto Palphius partem equitum permittit, ut fugientes hoſtes carperent: reliquos dilatatis alis agit in terga peditum; eo enim nondum pervenerat pedeſtris Eugenii acies, nec poterat tam cito tam immenſas acies trajicere uſque ad ultimos triarios. Hos præſidio ſuorum equitum nudos adortus Palphius fœdiſſima trucidat ſtrage. Quod idem Eugenii acies a fronte præſtat.*

N.14. *Accisis jam rebus, & plane perditis Viſirius vindictæ ardore raptus quærit, & adeptus Eugenium aggreditur, hic hoſtis ictu eluſo in tempora, et in inguen ferit.*

rit. deinde Jannizerorum Agam interficit.

N.15. *Tam fœda Turcarum clades, quam parva Auſtriæ gentis interfectæ ſteterit jactura.*

N.16. *Eugenio in prædam cedit tentorium Viſirii, ubi quinquennis puella inventa.*

N.17. *Hujus victoriæ fama Corcyram (Corſu) a Turcarum obſidione liberat.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Auſtria convertit primum Thrax agmina: Divæ
Præſidio fretus Princeps incurrit in hoſtes:
Miles & id præſtat, Turcasque affligit: equeſtrem
Palphiades aciem ſternit, peditesque trucidat.

LIBER

Digitized by Google

LIBER VI.

N.1. POſtquam Cæſareis, Thracique evadere pugnam
Non erat, Eugenius Proceres accivit, ut illo
Articulo rerum, quæ ſit ſententia noſſet;
Conciliumque frequens, conſenſu prorſus & uno
Non modo commendat, precibus ſed prælia poſcit.
Qui vero Auſtriacæ compertas gentis habebat
Eugenius vires, ſortem certaminis ante,
Ante & collatis ineat quam prælia ſignis,
Vult Ciconum & vires, qua convenit arte, tenere,
Et veluti excurſu tenui libare ſuorum
Quæ foret, & Geticæ quæ confidentia pubi.
Palphiadæ id facinus Princeps adlegat, opuſque.
Palphiacus vadit Genitor: quâ barbarus hoſtis
Suſtinuit ſigna, & ſubſedit ab aggere ſeptus.
Exiguas equitum turmas ſibi legerat Heros,
(Mille & quingentos vix ſumma expleverat omnis)
Turcæ exploratum pergens vireſque ſituſque.
Vix ſtetit ex hoſtis Getici regione Latinus,
Omnibus e caſtris cum ſeſe equitatus in illum
Thracius effudit, dilatatæque cohortes
Palphiacum amplecti diductis cornibus agmen
Contendunt, magnis & circumfundere turmis,
Obruta ut extemplo tenuis, protritaque prorſum
Copia Teutonicæ gentis foret: exitus impar
Pro numero immenſo Thraci proceſſit in armis.
Nam nil Palphiades conterritus inſtruit agmen,
Ut ſpatii mora paſſa brevis; porro agminis ordo
Quadratus fuit, & conferto milite denſus.

Vix bene Palphiacus turmas direxerat Heros,
Cum Turcæ urgentes reſonis clamoribus auras
Partibus e variis, magno certamine nixi
Irrumpunt, iterumque petunt, iterumque laceſſunt
Cæſareos: omnis vero conatus in auras
Irritus evaſit: conſtat Germana juventus
Denſis ordinibus, nullaque a parte dehiſcit.
Palphius huc illuc rapitur, firmatque jacentes,
Inſtigatque animos audentum ad bella, metuque
Hoſtibus incuſſo, quo Thracum incumbere vires
Aſpicit adnixas, illuc contendit, obitque
Victor ad aſſultus omnes: quin agmine ſæpe
Excedens ſolus, Geticum adventare Tribunum
Acrius audentem, & propius ſe ferre parantem
Sicubi conſpexit, tantum hunc ſibi deſtinat hoſtem:
Non modo quod credat communi ex nomine dignum
Morte, ſed audacis culpâ, temereque ruentis
Exigit ad cædem, nec cædem evadere Thraci eſt.
Impete præpropero ruit acrior ille, feritque,
Et capite excuſſum madidâ reſupinat arenâ.
Segni tum greſſu recipit ſe victor ad agmen.
Dumque acies repetit, vertit ferus ora ſubinde,
Inſtanteſque hoſtes abigit, ceditque prementes.
Sic Leo venantum jaculis obſeſſus in orbem,
Mortalem aggreditur, cujus venabula ſenſit
Vulnifica: hunc contra ſaltu inſilit, unguibus illo
Diſcerpto, pugnæ tardus ſe ſubtrahit inde
Multa fremens, tollitque jubas, & torva minatur,
Quæſitoſque ſua catulos cum morte tueri
Ut valeat, ſiſtit ſe cunctabundus ad antrum.

Tum contra Edoni furiis, parilique pudore
Suffecti vultum excandent, nec ſecius urgent
Cæſareos equites, ſummaque ope perdere tentant.
Dumque repugnantes cernunt, ſtragemque cientes,
Quos opera exigua peſſundare poſſe putabant;
Unanimi incurſu cuneos diſſolvere tendunt,
Inque hoſtem admittunt fixis calcaribus ictos
Quadrupedes, rurſumque ignitis glandibus imbres
Effundunt, ſtricta irrumpunt & cuſpide rurſum
A latere, a tergo, rectaque a fronte ruentes.
Nil tamen evincunt; noſtræ nam copia gentis
Haud quaquam inclinat, nuſquam compulſa faceſſit
A capto dimota loco; fruſtraque petentes
Diluvie aut plumbi, aut ſtricto mucrone petitos
Non modo ſuſtentat ſemper, ſed ſæpe retundit.
Si vero his paulum cedit, qui terga laceſſunt,
Id facit, ut pellat Turcas a fronte ruentes.
In quos Auſtriacus miles violentior urget
Invectus, miræque refert ſpectacula pugnæ:
Qua parte inclinat ſiquidem Germana juventus,
Adverſa de parte fugam maturat & hoſtis.
Haud aliter nimbus, gravidus quâ grandine, quâque
Fulmine, diverſis ſi forte inceſſitur auris,
Nil ille aut cedit, vel cedere ſponte videtur;
Ut quâ contendit flammis, & grandine bellum
Inferat, & pœnas adverſo a flamine ſumat.
Palphius interea Thracum vim ſuſtinet unus,
Quo minus in tergum poſſint incumbere gentis
Auſtriacæ, rectâ miſcet dum prælia fronte;
Ergo unus manet ille, Getaſque obnixus in omnes

Obſiſtit; donec convertant Teutones ora.
Et ſeu quod veriti contra concurrere Turcæ,
Seu ferrum timuit tanti perſtringere corpus
Herois, nullo prorſus violatus ab ictu eſt.
Quodque fidem excedit: quamvis equus unus & alter
Glandibus occubuit, ceciditque in vulnera præceps:
Liber ab extincto, rapiduſque in terga recentis
Palphius inſiluit: gemini jacuiſſe videntur
Cornipedes: verum cum deſilit impete raptus,
Et tergo alterius cum ſeſe Palphius aptat
Quadrupedis, penitus ſpectantum lumina fallit.
Quod reliquum eſt horas tenuit per quatuor ardor
Aſſiduus pugnæ, nil hinc nil inde ſeneſcens.
Germanis ſiquidem virtus, numeruſque miniſtrat
Iſmariis vires, ne pugna incœpta remittat.
N.2. Auxilium donec ſociis ſubmittere viſum eſt
Eugenio, laſſis nimium, pauciſque timenti,
Et ſatis experto vires, animumque ſuorum.
Ipſe quidem irruerit, Procerum ſed cætera turba
Non tulit, haud decori vertens ni vinceret omnes,
Atque omnes prorſus certamine funderet hoſtes.
Ecce tibi geminæ; geminas nam juſſerat ire
Eugenius; vadunt acies recto agmine raptæ.
Vadere ſi dicas, quando non jam alite curſu,
Alituum at pennis equitum ſe ferre procellam,
Pulveris aut dorſo liquidas properare per auras
Duxeris, aut nimbum prævertere pulveris ipſum.
Ergo ubi tempeſtas equitum jam Thracas adepta,
Impete tam gravior, quam turbinis ocior alis
Incidit, incubuitque Getis: patet area late,

Quà

Quà ſe cumque rapit, denſuſque abrumpitur ordo
Iſmarius; quoquo illa ruit, membra, arma, cruorque
Tractu perpetuo ſaliunt, fulgentque, rubetque.
Ante aciem ſe quiſque ſuam Bereittus, agitque
Se Condrecourtus, celerique volumine ferrum
Primus & alter agit: fruſtra denſa agmina, fruſtra,
Hoc ut par abigat, ſepes opponitur haſtis
Educta, & Ciconum gladiis: neve obtinet illa,
Quo minus ingenti diſcedat tramite campus
Armorumque virûmque, & ſtrage inſtratus equorum.
Haud ſecus alterem moles ubi martia torquet,
Quà celer ille fugit, ſtrages unde unde videtur
Plurima, ab armatis pariter conflata, vel armis.
Ut vero Auſtriadum turmæ venere recentes,
Laſſus ubi urgebat miles, gratantur utrinque,
Et voce, & nutu ſeſe exhortantur in hoſtes.
Tum bellum exarſit, feſſis manus addita vires
Reſtituit, feſſi ſtimulo meliore recentes
Exacuunt acies, quas provocat æmula virtus,
Et monet, affligant ſimili cum ſtrage Gelonos:
Nec fruſtra: eventus belli reſpondet utriſque:
Obnixis adeo Germani viribus urgent:
Atque adeo obſtupuit timidi mens Thracis ab omni
Conatu, furias ultra tolerare negantis
Auſtriadum ſtabiles, conſtantique impete nixus.
Ac niſi per tenebras eſſet tum pugna diremta,
Pugna die medio, & toto digniſſima Sole,
Perdita res forſan, vel maturata fuiſſet
Pernicies Thracum, cæſuſque equitatus ad unum.
Nam ſimul involvi Cœlum caligine vidit

Pal-

Palphius, indixit litui clangore receptum;
Quod puduit timidos in noctem ſternere Turcas,
Quod morem voluit juſſis geſſiſſe Sabaudi.
Excedunt equites, recipit ſe Palphius ipſe
Invito propior; nam diſciplina, pudorque
Ni revocent, rurſus perfectum bella rediſſet.
Tandem ubi perſuaſum eſt equites in caſtra referre
Palphiadæ; medios placet irrupiſſe per hoſtes,
Nec juvenum reſident animi; ſed concitat omnes
Ex Ducis exemplo veluti lymphaticus ardor
Ad pugnam: vires furor ipſe æquavit, an auxit?
Auxit, ubi inceſſit gelidus timor agmina Thracum;
Tam torpent, tam nec pugnæ meminere, fugæque,
Nulla nec arcere eſt, nec bellum inferre poteſtas.
Per medios ergo ſic vadit Palphius hoſtes
Præcipiti curſu, damnoque immunis ab omni.
Haud ſecus ac Tygris ſegnes innoxius undas
Trajicit Euphratis: nec vaſto in flumine guttam
Perdit aquæ, & totus transmiſſo emergit ab amne.
Plauſibus exceptæ repetunt hic caſtra cohortes:
Ipſe autem in primis retulit præconia laudum
Palphiades, queis & Princeps effuſior effert
Ad Cœlum, & Procerum collecta frequentia tollit.
N.3. Poſt geminos demum Soles lux illa refulſit,
Quæ nuſquam a Latiis faſtis delenda recurret.
Hæc erat hæc, inquam, Gentis matura ruinis
Iſmariæ: hæc eadem palmis adſcripta Latinis.
Salve ſancta dies, non uno nomine quondam
A nobis recolenda, dies fauſtiſſima ſalve,
Et noſtris redeas ſemper ſolemnior aris;

Nam

Nam quæ ſolennis nivium candore nitebas,
Sanguine quod Getico rubeas, ſolennior olim
Evenies. aras niveis operite liguſtris
Lacteoli pueri, nam quamvis Syrius agros
Torreat Auguſti nonis, ea copia florum
Suppetet: humorem ducet, canumque colorem
A nive, quæ magnæ juſſis effuſa Parentis,
Ejus & illimem referens candoris honorem,
Induit Exquilii collis peregrina cacumen.
Aſt ubi jam ſparſis incanuit ara liguſtris,
Funde roſas puer alme: roſas uligine Thracum
Sanguis alet, vivum reddet cruor ille colorem,
Virginis auſpiciis fuſus cruor: inclyta ſalve
Lux iterum, quantum nivibus, tam ſacra cruore
Thracis, & æternum noſtras recolenda per aras.
Tu potius ſalve æternum pia Virgo Parenſque,
Quæ nivis inditio ſcribis veſtigia templo,
Sanguine quæ Getico niveis ſolemnia templis
Adſcribis, faſtoſque novos indicis ad aras.
N.4. Ut primum adverſo perculſos marte recepit
Odryſios in caſtra equites Viſirius, irâ
Percitus, & rabidis eructans faucibus ignes,
Auſtriadum ſtrages flammato pectore volvit:
Lucis ut exactæ maculas obliteret, utque
Perniciem referens majori fœnore penſet.
Eluit at cœno ſordes, oleumque camino
Addidit imprudens: fallor vel Virginis ille
Conſiliis; tumidę menti dum ſervit & iræ;
Subſcripſit: tenui voluit nam Virgo triumpho
Pręludi nivium feſtis, ſolemnia feſti

Mox

Mox penitus toto placuit cum ſanguine Thracum
Rite coli: votis ergo pia Virgo Sabaudi
Annuit, ad palmas Geticos ubi detulit hoſtes.
Arripuit donum Princeps, operâque locatâ
Fortiter; ultorem Divæ, Divæque miniſtrum
Se facit, evertens inviſam a Virgine gentem.
Mirus amor, mira o pietas! Virgo obtulit ultro,
Vincere quem licuit; mentem, qua calluit hoſtem
Fundere, ſuffecit vires, queis ſternere poſſet:
Obſequiique loco victore a Principe facti
Exhibitas operas habuit, magnoque Sabaudo
Arrha fit ad Cœlum detrudere Thracas in orcum.
Jam vero portas erebus, jam pandit olympus,
Pro meritis ut quiſque ſuos in clauſtra receptos
Æterna, ad pœnas dignos, aut dona repoſcat,
Atque alat innocuos, nocuos & torqueat igne,
Quem vel dius amor, vel vindex excitat ira.
Ignis ab injectu tòrmenta ubi bellica, pugnæ
Nuntia, murales librant magno impete moles,
Quarum ictus magni juſſis edocta Sabaudi
Cæſarea eludit pubes, aut cernua prono
Ore cadens; aut diſcedens in tempore, laxis
Ordinibus, contra tales Thrax cœcus ad artes
Obvius eſt flammis, & glandibus occidit ictus.
Nec tantum agminibus muralis machina bellum,
Sed movet & Cœlo picei cum turbine fumi.
En volat undatim, & cœca caligine fumus
Aëris involvit campos, luciſque nitentes
Furatur radios: vixque umbras emicat inter,
Triſtibus immiſtas flammis lux horrida, flammæ

Læ-

Lethales: * cæcæ ſplendor fallacior umbrâ
* Noctis: hyperboreâ brumâ crudelior ignis.
* Impia lux, flammæ inviſæ: non allicit illa
* Purpureis oculos radiis, nec conſulit, ictos
* Aſt hebetat, terretque ſimul: nec tetra calore
* Flamma fovet, verum miſeris admota vel urit,
* Vel conſpecta procul gelidos formidine reddit
* Mortales: mortem ſemper latura, metumque:
* O lux, o flammæ generis certiſſima noſtri
* Peſtis, & æthereo ceu neutra a lumine creta:
* Utraque ſic Erebi piceis educta tenebris.
* Sed jam ſuccedit ſclopus, qui glande refertus
* Plus habet exitii, minus & formidinis affert;
Nam poſt tormenti furioſa tonitrua turmæ
Hinc, atque inde ruunt,& quantum pergit ad hoſtem
Quiſque ſuum, tantum ſpatiis decreſcit ademtis
Campus, & ad Cœlum revoluta volumina nimbi
Pulverei adglomerant: fugit atri pulveris unda,
Non modo quod pedibus diſcuſſa effertur equorum
(Excurſu quorum tellus movet excita fundo)
Sed fugit, ardentis metuit quod militis iras.
Ergo ubi ſubvectus conceſſit pulvis in auras,
In fumi offendit nubes, tenebraſque tenebris
Addit, & hunc ſuperis depellere tendit ab oris,
Colliſuſque ciet pugnam cum pulvere fumus.
Huic it ſuppetias ſclopi vapor editus ore;
Nam ſimul ad metam miles pervenit utrinque
Contiguus, pyrio diſploſum pulvere nimbum
Grandinis ignitæ torquet, cœlique per auras
Glandibus urgentur glandes, alteribus alter.

Hinc inde innumeros adverſo pectore ſtratos
Cernere erat juvenes; ſequitur de vulnere ſanguis:
Quæ vero inflixit vulnus, vel funera duxit,
Glans homicida latet, nec acutis obvia tendit
Luminibus, celeri cum præterit impete: cæſos
Aſpicis, at cædi vix credas poſſe;* fideſque eſt,
* Quod quæ contigunt, contingere poſſe putamus.
N. 5. Miles id ut credat, nulla formidine fixus
Hæret, at extincti ſpatium capit: integra rurſum eſt,
Quæ male plena cohors fuerat, populataque flammis,
Jamque expleta furit, cultroſque cacumine ſclopi
Ad cædem intentat, flammiſque inſtincta furoris
Lymphatur, rabidiſque animis graſſatur in hoſtem
Multa furens. ſimilis ſuccenſo in pectore flamma
O foret, Aonii flammâ ſuccendar & æſtri,
Militis ut poſſim furias æquare canendo.
Ferrea vox utinam reboet ſub gutture noſtro,
Ut ſic cædentum plauſus, gemituſque cadentum,
Tympanaque, raucaſque tubas, lituoſque crepantes
Aſſequerer, mediiſque canens audirer in armis.
Dum res tranſigitur gladii cum cuſpide, dumque
Prima acies Thracum ſtricto certamina ferro
Conſerit: an falſus dixi prima agmina Thracum?
Quando ex colluvie conſtabant illa Latinæ
Gentis, cui potior ſcelerata pecunia Cœlo.
Hæc porro gens jam noſtris exercita bellis,
Ad ſtabiles eadem jam pugnæ aſſueta tenores,
In juga, vel verſus mire digeſta ſubibat
Ordinibus diſcreta ſuis, ſic ore minaci,
Pectore tam firmo: ut lectam de flore Latino,

Non

Non tantum ex habitu, qui diros induit artus,
Aſt etiam ex habitu truculenti intelligat oris
Noſtra acies: ardent oculi, ſuffuſa veneni
A maculis tabet facies, * & plurima rumpit
* Perfidia a malis, angit quæ pectus anhelum.
* Quin hos impietas, & mens ſibi conſcia culpę
* (Non ut ſæpe alias) timidos facit, ipſa furorem
* Excitat, & ſtimulos inſana in pectora vertit.
* Unde & debuerat gens ſenſum hauſiſſe timoris,
* Concipit ad flammas irritamenta rebelles,
* Quo ruat in furias; norat ſe quippe repoſci
Ad laquei pœnas, ſi capta remitteret iras:
Hæc porro pedites inter conſcripta merebat,
Hæc media eſt acies, vis & flos Thracius inde
Pone ſubit, ſeſeque infert Prætoria pubes.
Omnibus incedit Ductor Viſirius ipſe,
Quì cum partitur curas, & munia belli
Dux alter: vernis dictus ſermonibus Agâ.
Hæ medium, reliquæ componunt cornua turmæ,
Millia quot nuſquam Mæſi videre coloni.
Agmettus lævam, dextram Solimanus & alam
Curat, uterque potens, miles veteranus uterque.
Auſtriacos ſimili inſtruxit ratione Sabaudus.
In medio pedites, peditum Dux ipſe, ſimulque
Fortis Heiſterus, quique ortu eſt grandior Heros
Vittembergiacus: præfectus Palphius uni,
Mercius eſt alii, validuſque Nidaſtius alæ.
His fretæ Ducibus, tali ratione cohortes
Inſtructæ. Pleno conſertum prælia greſſu
Feſtinant Geticæ contra, ſed bella morantur

Auſtriadum gentes, ne primæ fœdera rumpant.
N.6. Nulla mora eſt,tacitæ obluctans in vulnera mentis
(Religio mentem quippe ejurata remordet)
Venalis pubes ſeſe properantius infert:
Quin vel certa mori, vel vincere certa, furori
Acrius indulget, rapidi torrentis & inſtar
In noſtras acies effunditur: inter & arma,
Inter & armatos ſeſe ejicit, impetit, urget.
Nec minus eſt acer, quam conſtans impetus hoſtis;
Et non arte minus, quam viribus adjuvat ictus,
Edoctus noſtris pugnis, & corpore toto
Obnixus, gladioque ſimul perrumpere tendit
Cæſareas turmas: primum bene reſtitit illi
Auſtriacus miles, ſeſeque ferociter infert,
Et rabiem retudit rabie; ſed major ab hoſte
Vis rurſum incumbit, nec jam tolerabilis inſtat.
Tum vero Auſtriadum jam vinci neſcia pubes
Miratur, vigor unde viris, tamque ardua virtus,
Qui ſeſe indocilem ſuccumbere niſibus ullis,
Non modo ferre queant, verum percellere tentent.
Ut vero invectos ſenſere audentius hoſtes,
Et ſpatium inſtandi, reſpirandique negatum
Auſtriaci trepidare, viamque optare ſalutis.
Nequicquam repetunt ſecum, quos ante triumphos
Rettulerint, fruſtra parti jactura decoris
Succurrit menti: præſens impreſſio major,
Quam quæ præteriti curâ vincatur honoris.
Ergo pedem referunt, circumſpiciuntque receptus
Cæſarei ſpatium, & capta ſtatione recedunt
Submoti; nec aperta fuga eſt dicenda, nec illa

Pu-

Pugna: gradu preſſo, non curſu præpete cedunt.
Atque indignanti propior, ſimiliſque minanti
Quilibet ex oculis flammas, ex ore furores
Spirat, & ut cedat, ferro nova bella retentat:
Sed cedit tamen: a ſcopulis rejecta procella
Ceu fugit, & ſpumâ, & numeroſo murmure bellum,
Irruptura iterum gremio perferre videtur.
Sic ſe Cæſareus recipit, vultuque fatetur
Bella, manu fert bella, fovet ſub pectore bella:
Ut dubites, utrum citra mendacia dicas
Pugnacemne fugam potius, pugnamne fugacem?
Ut vero Eugenius vires reſidere ſuorum
Senſit, & expreſſo jam jam inclinare receptu,
Non timuit; gelidum neſcit quippe ille timorem:
Aſt hæſit, tunc ad Cœlum ſua lumina tollens,
Sic ait: ergo ſines noſtrûm ſpes unica Virgo,
Auſpiciis cujus, cujus pugnamus honori,
Hac in luce, tuis fuerat quæ lecta trophæis,
Nos vinci, ſternique tui mucronibus hoſtis.
Non ita: ſed victus quamquam, te Præſide vincam.
N.7. Mox hæc ad ſocios, partim placiduſque, feruſque:
Vel tecum moriar, mecum vel vincere debes
Miles: & in dicto Thraces ſe projicit inter.
Dum vero hæc peragit, fit majeſtate verendus
Inſolita, novus ore vigor, nova lucis imago
Effulſit: Virgo illa, jubar ſeu Virginis: unde
Ex oculis, oriſque habitu, vel corpore toto
Neſcio quem referat, pluſquam mortalis, honorem.
Quo viſo inſolitis invadi pectora flammis
Sentit, & audentes peregrino robore vires,

At-

Atque animos, vireſque novas mirata juventus
Conſenſu unanimi, clamore excepit & uno,
Quas bonus Eugenius voces emiſerat ore.
Solve metus, tecum Princeps vincemus: Olympus
Excepit, vincemus: aquæ, vincemus, ab Iſtro:
Pulſa ſono offenſæ vallis, vincemus, imago
Perpetuo aſſenſu, nemorumque reciprocat echo.
Echo ſed melior, quæ vocem expreſſit ad unguem
Dextra virum eſt: quoſque illa canit, tulit iſta triumphos.
Continuo irrumpunt omnes uno impete, & omnes
Conſpirant denſi cuneum diſſolvere Thracis.
Nam quæ militibus ſpecies horrenda pericli
Viſa prius, nunc plana eadem, faciliſque videtur.
Quique animis nuper trepidis inſederat horror,
Jam cadit: invadenſque ſubiit audacia mentes.
Tantum conſpicui poſſunt exempla Sabaudi
Vibrantis gladium, & media inter tela ruentis!
* Uſque adeo verum eſt, quod plus bello obtinet enſis,
* Quam lingua, in morem linguæ dum ſibilat, & dum
* Obſtrepit, exilemque ſonum ciet, & metit hoſtes:
* Neu jubet incaſſum, ſed tranſigit ipſe jubenda.
N.8. Tum vero immanis facies ſæviſſima pugnæ
Surgit ab integro: pubes Germana pudore
Percita, & exemplis, ac Principis acta timore
Immemoris vitæ, & medios properantis in hoſtes.
Hoſtis at eventu pugnæ, vitæque periclo
Admonitus, belli in ſumma ni protinus eſſet
Profectum: incurrunt ſignis utrinque frequentes
Pugnæ avidi, & palmas, aut ultima fata mereri.
Atque ita ſeſe inter coëunt; ut partis utrius
Qui ſint, non facili poſſis diſcernere pacto;

Ex

Ex habitu neque enim quemquam ſignare facultas,
Diſcordique ſono linguæ: quando obtinet auras
Cæſi, & cædentis concors,& flebile murmur.
Nec ſaga comparent, ita ſecum hæſere cohortes:
Pes pede collatus, conſertaque dextera dextræ,
Enſe enſis, totoque obnixi corpore pugnant.
Vix gladii, & capita, & vultus extare videntur;
Ac vultus (ſi qua eſt) ſpeciem diſcriminis effert.
Iſmariis livor, noſtris rubor inficit ora:
Degeneri ex animo natus, terroris & index
Livor: at inditium flammæ, natuſque pudore
Eſt rubor; utroſque hos fecit victoria ſenſus,
Poſt ignominiæ maculas, & ſero paranda.
His ergo ſtimulis incumbit totus in iras
Cæſareus miles, quarum indulgentia late
Luxuriat, ferrique inſana licentia ſævit.
Non ibi dexteritas, agilis nec quæritur uſus
Corporis inflexi, curvi, retroque reducti:
Jus furor unus habet, vitam qui negligit ipſam,
Non modo quas artes belli docuere laniſtæ.
Obſtinat ille animos, conceptaſque efferat iras,
Nec niſu artifici librat, dextrâve magiſtrâ
Vulnera ſed cæco infligit conamine fulmen.
Audires medios ſtridere occurſibus enſes
Enſibus impactis, flammas prodire videres
Æris ab attritu: ſed longe ardentior ignis
Emicat ex oculis Germani militis: una
Lux ea per fumi, ſublati & pulveris umbras
Irradiat; cui ſi confers, manſueta ſagittæ
Ira fremit, brevis iſta, nitet diuturnior illa.

Tum

Tum bene perſpectum eſt, quid noſtrûm ſaucia virtus
Dedecoris ſtimulis, quid deſperatio poſſet,
Quid ſpes vindictæ, quid rara exempla Sabaudi:
Qui ſimul ac propriæ vitæ contemtor in hoſtem
Inſiluit, vitæ eſt factus, dominuſque ſuorum
Sanguinis, arbitrium proprio diſcrimine pactus.
N. 9. Præterea Virgo, quæ vires addidit, & quæ
Conſilium Eugenio denſos incurrere in hoſtes,
Immunemque Ducem mediis quæ texit in armis:
Illa eadem vires timidis ſuffecit, & iras
Militibus: vadit miles lymphatus, inopſque
Mentis in adverſos hoſtes, nec ſegnior hoſtis
Ardorem excepit pugnæ, cui robur Erinnys
Sufficit, immittitque ignes: pugna aſpera ſurgit:
Fallor, an eſt clades? non fallimur horrida clades
Illa fuit, ſi non ullus cadit irritus ictus.
Hinc inde undatim juvenum ſe copia confert:
Nulla fugæ prorſus facies, & nulla timoris;
Nam quæ quiſque ſemel preſſit veſtigia miles
Obtinet immotus greſſu, & victoribus ultra
Tendendi ſpatium prohibet, niſi cæſus, itemque
Calcandus: verum quamvis hic concidit, alter
Succedit vegetus, ſimilique occurrere morti
Ambitio eſt, dum tergo inſtat, dum prælia poſcit;
Quodque iter a ferro jam ſtratum, intercipit hoſti.
Qui ſegnes jacuere, ruunt, audere coacti:
Utque negent, turmæ ſubeuntis ab impete rapti
Ad pugnam, invitâ miſcent certamina dextrâ:
Nec tantum ad gladium, at capulos res venit ad ipſos:
Nec ceſſiſſe gradu cuiquam eſt, inſiſtere greſſu

Eſt

Eſt opus, & reliquam ſolo ſpem quærere ferro.
* Nempe viam, quam ſternit honos, ea ſola ſalutis
* Eſt via: ſe mortis debent offerre periclis,
Queis vitæ ſtudium eſt: a fronte offunditur hoſtis,
A tergo impellunt ſocii, coguntque negantem
Cædere, vel cædi; nec cuiquam in caſtra receptus,
(Ut mos fert alias), mutilus ſive ille laboret,
Seu plagæ obtentu, atque exhauſti ſanguinis optet
Regreſſum, totus venienti incumbere morti
Cogitur, ut tandem plagis reperire levamen
Poſſit:ad hoc:*quoniam vulnus calidumque,recenſque
* Non dolet; ut truncus miles, vel debilis arma
* Tractat, & inſtigat mentis laniena furorem,
* Et furor adjungit vires, quas vulnus ademit;
* Et ſpes vindictæ fuſi vice ſanguinis inſtat.
Ergo nulla mali facies, nulluſque pericli
Terror abeſt: armis campus conſternitur omnis,
Sanguineis ſparſa arma notis, cum ſanguine ſudor
Miſtus, at a primo concretus pulvere ſanguis;
Nam poſtquam largo tellus diluta cruore,
Haud habilis fuit inde novi dare pulveris hauſtus.
Fatalis tellus, qua ſe conjecerat omnis
Cæſaris, & Getici collecta potentia Regis:
De regno Europæ, & ſummo de cardine rerum
Exiguo in campi ceu decretura theatro,
Viribus allidens vires, & robore robur.
Has vero partes tam fervidus implet uterque
Miles, in adverſum tanto certamine tendit,
Ut prope conſilio, ſortis non caſibus hoſtem
Oblatum legiſſe ſibi tum quiſque putandus,

Aa Qui

Qui gradus ad mortem fiat, titulusque tro phæi:
Quemque ſuis odiis, non jam communibus actus
Exigat ad cædem, ſtudiis nec ductus honoris:
Quo demum extincto, tum morti occumbere gaudet,
Et propriâ vitâ placet hoſtis fata paciſci.
N. 10. Hæc pugnæ facies adeo contenta, feroxque
Eſt alibi, ſpe ducta pari, vel viribus æquis.
Quâ vero Eugenius pugnat, felicior illac
Res vertit; coëunt ceu belli ad claſſica ducti
Primores, qui poſt illum ſeſe ordine denſo
Conſtipant; ſequitur miles confertus, & omnes
Principis exemplum ſuccendit, & ardua virtus.
Ipſe ſed in primis, oculis confeſſus & ore
Quas flammas, quaſque irarum ſub pectore nubes
Colligat; in denſi cuneos ruit acrior hoſtis
Torvus, iniqua minans, celerique volumine ferrum
(Cujus vibrandi eſt excellens arte Magiſter)
Nunc rotat aſſiduus, nunc fervidus impete librat.
Id vero peragit tali molimine, tantis
Succenſus furiis, ut Thraci quicquid ademtum
Roboris, atque iræ eſt, hoc acceſſiſſe lacertis,
Eugeniique animo credas: potioris at artis
Mox ope tractandum, melioris & alite fortis.
Seu metit is cæſim, ſeu punctim confodit hoſtem,
Fulgetri eſt inſtar gladius ſplendore, fugâque
Fulmen, & eſt tonitru immani cum murmure; quando
Adverſo offendit ferro, atque in fragmina centum
Comminuit; lapidis ſic diſſilit ilicet ictu
Styria; diffugiunt Cœli per inane minutim
Fruſta abrupta enſis: capulum complexa retentum
Dex-

Dextra ſtupet Ciconum, & ſeſe miratur inermem:
Nec liquido conſtat, quæ vis attriverit enſem.
Tam ſtupor in miſeros valuit, tamque altius horror
Mentibus inſedit, conſternavitque Gelonûm
Perculſos animos: & non modo pectora, verum
Dextera, & in dextræ digitis ferrum tremit ipſum;
Eugenii ſiquidem vel parte hac exhibet enſis
Fulmen, & incuſſos a fulminis igne timores.
Omnibus eſt certum flammas caviſſe triſulcas,
Omnibus in voto eſt; hominum ſed nullus in orbe,
Qui ſciat, aut poſſit fulgetri evadere damnum.
Sic quoque gens Thracum, neſcit fugiſſe, nequitque;
Quem nitens optat, quemque optans nititur enſem.
* Tam vis decreſcit, ſenſu formidinis aucto.
Gliſcit at aſpectu cladis timor iſte Getarum;
Quandoquidem Princeps queis punctim tranſigit icta
Pectora; poſt tergum cuſpis pervadit adacta,
Queis faciem cædit, poſt occiput emicat enſis.
Perque ſpecus geminam, gemino cruor exilit amne:
Dum vero cæſim gladio ferit: ire per auras
Brachia conſpiceres mutilis evulſa lacertis.
Artus his viduos caput e cervice revulſum
Reddit, & huic humeros laterum tenus incitus enſis
Depopulat: multis tranſverberat ilia ferrum
Vulnere tam valido, ut bifidum ſit corpus ubique
Per medium licet, e priſca regione vel unguem
Non cedit; penituſque integrum dicere poſſes;
Partibus e cunctis ni ſanguinis effluat imber;
Et niſi ſucciduo procumbat poplite truncus.
Non ego Selimum, Chiuperliumque, Turamque,

Aa 2 Mo-

Moraſtumque, Omarumque feros, & Iſuffon, & Alyn
Hic operæ pretium ducam ſubtexere: quando
Momento integras acies, plena agmina ſtravit
Eugenius: nec vero acies mea dicere poſſet
Muſa; licet noſtro reſonent tot gutture linguæ,
Quot Turcæ credunt in dextra Principis enſes.
Haud ſecus ac linguas triplices adſcribit echidnæ,
Vibrantis paſtor deceptus ab impete monſtri.
Multiplici ſiquidem ſtupidi jam funere Thraces,
Tam cito perfecto, tantis formiſque, modiſque:
Centimanum falſi credunt vibrare vel enſes
Centenos, unâve manu centena rotare
Fulmina: ſic priſco Briareus eſt creditus ævo.
* Uſque adeone timor mortales occupat artus,
* Sic hebetat mentem, tenebraſque offundit, ut uſum,
* Et veri aſpectus oculis vel ſubtrahat ipſis?
N. 11. Ergo metus jam mortis agit, morſque ipſa Getarum
Agmina, & extemplo res inclinata laborat,
Quâ Princeps furit, & quam partem perculit idem:
Haud ſuſtentari potuit ſuus impetus ulli.
Illa frequens acies, cuneus confertus & ille
Solvitur, inque ſinus aperit, lateque dehiſcit.
Planities pandit late ſe plurima rurſus,
Creſcit & ejectis Turcis a Principis enſe;
Ac vaſtum exhibuit, tragica pro cæde, theatrum;
Horridaque oſtendit varios ibi ſcena colores.
Principis hinc ardor croceo ſpectandus in ore,
Et gladii Getico pollutus ſanguine ſplendor;
Triſte pavimentum Scythico natat inde cruore.
Parte alia eſt Thracis pallor, ſpectator ibidem
Thrax

Thrax ipſe, an melius patiens perſona vocari
Debet, agens vero Dux Italus; ille theatro
Induit hoc varios habitus, variasque figuras.
Multiplices invicta manus velut exhibet actus,
Actibus eſt variis ſpecies ſic concolor oris:
Sæva ferit, pellitque minax, parcitque ſerena:
Sic ubi ſive ferox, acies ſeu fiat inermis
Obvia, ſeu pubes, vitam quæ cernua poſcat.
Quippe repugnantes ſupra, ferrumque parantes
Incutit ille enſem; quem contra aut ænea caſſis,
Aut moles clypei, aut fruſtra eſt lorica: ſaluti
Eſt modo projicere arma manu, veniamque precari.
In ferrum Princeps adhibet modo nobile ferrum.
Qui vero telis fidens & viribus audet,
Provocat is furias, & corruit enſe Sabaudi.
At contra imbelles vultu, vel voce minatus
Ejicit, audenteſque ſimul, timidoſque repellit:
Quamvis non æquo fugiant diſcrimine pulſi.
Nam redimit vitam, vitam quicumque tueri
Non ſtudet audendo, quam ſola audacia perdit.
Sic pecus innocuum conſpecta mole repellit,
Avertitque manu, ne proterat ungula, Barrus:
At ſi forte ferox occurrat bellua, ſævit,
Erectamque Elephas Cœli delibrat in auras,
Calcat & afflictam, & ſequitur pede tundere ſtratam.
Si modo ſi quiſquam eſt cui contra audere poteſtas,
Principis aſpectu tantus, gladiique cruenti
Incutitur timor, ut victi formidine nollent,
Et vellent Turcæ ora Ducis metuenda tueri;
Sanguine ne gelido ſtupeant præcordia, nollent,
Quod

Quod ſeſe morti cupiant ſubducere, vellent:
Diſcordique agitant varias ſub pectore curas.
Sic quoque ſi quiſquam larvas offenderit, hæret;
Quodque agat in dubio eſt: oculis hinc parcere terror
Conſulit, inde ſuus, quo cuſtodire laborat,
Ne Lamiæ noceant, intendit lumina contra
Cautus amor, ſtudiiſque animum diſcordibus angit,
Atque utramque volens, curâ fruſtratur utrâque.
Quin etiam (quod vel ſpectri cernentibus ora
Accidit) Edonum multi cecidere timore,
Eugenii mucrone, prius quam ſterneret enſis.
Aſt alii contra quod non periere, vel ipſe
Eſt timor in cauſa; gelidos nam ſpiritus artus
Effugiſſe nequit: dum vis hunc deficit omnis,
Vis inquam, quæ vel torpet, vel pulſa timore eſt.
Quod reliquum, qualis facies, & quanta pericli,
Talis & Eugenii promit ſeſe ardua virtus.
A rerum aſpectu ſe temperat illa, vel auget:
Haud ſecus ac voci nervos accomodat auctor.
Utque gradu excellit, vult ille excellere factis,
Officiique ſui titulis æquare labores.
Hinc ille armorum turbo, vaſta illa Getarum
Diluvies, faciles animos quæ fregerit, illa
Eugenium irritat; qui gaudet, ubi incidit hoſti,
Unde fatigari virtus ſua denique poſſit:
Et quem ſi vincat, totum prope vincet & orbem.
Ergo per infeſtas acies ruit, agmina raptim
Proterit irrumpens, denſo licet ordine conſtent:
Nec movet intrepidum vana formidine pectus
Europæ, pubeſque Aſiæ conſpecta, nec hoſtem

Di-

Dimovet illa gradu, dum contra invecta prementem
Convertiſſe ſtudet. vadis Dux inclyte vadis,
Sed tardum eſt, properas; tardũ quoque, fulminis inſtar
Irrumpis: flammas addunt, adiguntque volatus
Seminecum lacrymæ, voxque indiſtincta frementum.
Cominus alliſi gladii, permiſſaque ſorti
Vulnera: quique ſonus veluti collectus in unum
Diverſo exortus ſtrepitu conſpirat, & auget
Hoc magis horrorem, quo non diſtinguitur, unde
Ille fremat; licet hæc coëant, ſpirentque timorem,
Te tamen invitant: virtus vel negligit ultro
Id tua, vel ſenſus animi non adjicit ira.
Et ne ſubſidat ſenſim, ſeque ira remittat
Multiplicem ad mortis faciem, croceique fluenti,
Quæ tetram obnubunt mortem, fecere tenebræ
Pulvereo e cumulo, & fumanti a turbine natæ.
* Conſtat ab aſpectu pietas, quo prorſus ademto:
Quæ tibi conceptum poſſet lenire furorem,
Quamvis multa ſubeſt, pietas ſilet; inde ciendis
Stragibus incumbit, gravior graſſatur & ira.
Tum patuit, tua quid virtus Mavortia poſſet,
Dum minus attendit pietas implere, ſed implet
Ira ſuas partes, ſeque omnem funditus effert,
Hoc virtus tua tuta magis, quo crudior ira
Nil jam cuſtodit varias avertere mortes,
Quas mille intenti quærunt inferre Geloni:
Dummodo Turcarum demittere millia morti
Temporis in puncto tendat; ſed denſior umbra
Quæ facit ut taceat pietas, bacchetur & ira
Innumeras molita neces; eadem invidet umbra.

Fu-

Funeribus decus, & Geticæ ſolamina morti:
Dum non conſpectus ſternis, neque cognitus hoſtes,
Vulneraque infligis cæcis inhonora tenebris.
His quamquam in tenebris licuit noviſſe, quis ictum
Incutit: idque patet ſtridentis ab impete ferri:
Quodque tegunt ſpiſſæ Turcis morientibus umbræ,
Hoc aperit robuſta tui violentia ferri.
Cum tamen hoc alios fugiat, tantumque caduci
Experti ſenſere: perit quoque gloria lethi.
Quis modo, quis referat quot ſtraveris agmina, quotq;
Strata modis fuerint? moles tam plurima rerum,
Ut ſtrictim recolenda foret, deterret, & auſis
Cogit ut abſiſtam, quo porro ſingula verſu
Expediam? perculſa ſtupet mens noſtra, nec audet
Aut res diductas, aut rerum tangere ſummam:
Dum foret ingenii leviora expendere virtus,
Tum mihi majorum molem dimittere rerum
Eſt opus, an gracili Princeps te voce ſequemur?
Cum te tot juvenum, curſu licet alite, nullus,
Vixque oculis quiſquam miſcentem bella ſequutus;
Tam celer huc, illuc rapido ruis ocior Euro,
An tua ſuſtineam membris incuſſa Getarum
Vulnera, vel cithara, aut tenui percurrere plectro?
Si non ſuſtinuit pubes clypeata, ſegeſque
Multijuga armorum, quæ fulmine dejicis unus?
Hæc ſeges armorum, pubes hæc dedita morti
Ni gelido valet ore: canet tamen, unde cruorem
Ore vomit calido, plagiſque æquantibus antra.
Quodque hæc ora canent, referet per ſecula terra,
Terra cadaveribus non tantum inſcripta, ſed undis
San-

Sanguineis diluta: canent ſeptemplicis Iſtri
Oſtiâ plaudentis: quando ſe ſe ille ſolutum
Senſit, & in Dominos auſus ſævire Gelonos
Altior inſurgit: ſiquidem licet ante ſtupore
Defixus ſteterit, dum proteris agmina Thracum,
Mox idem intumuit ſublatâ excelſior undâ,
Quò tibi, victoris Caroli quô plauderet armis;
Nam ripas tectus ſignis, atque obſitus alveum
Et ſtrage armorum, fugientis & agmine Thracis
(Quem ſua devotum ſecordia deſtinat undæ
Indecori, ereptum gladio) tum ſpumeus amnis
Murmure multiplici, glomeratoque agmine aquarum
Multa eluctatus ſtravit ſibi denique callem
Arma per et clypeos, et ſanguineas loricas,
Perque ſupergeſtæ revoluta cadavera gentis:
Nec paſſus cumulo gelidis ex hoſtibus acto
Se vinctum, victamque ſtruem ſuccedere ponti,
Quem prius injecit victrix violentia Thracis.
Inde furit, ſpumatque, et aquarum monte Getarum
Oppoſitum impellit montem, tibi plaudit et unà.
Cujus in obſequium cæſos evolvit, et oris
A quibus expuleras ferro, procul exigit undâ.
Ergo tibi taciti Cicones, tibi murmur et Iſtri
Obſtrepat hîc Princeps: quando non ſegnior actis,
Quam juſſis, premis enſe Getas, edicis et idem,
Ut ſternant, ſociis: thorax tuus undique cæſus
Ictibus innumeris reſonat, crepat ærea caſſis.
Miſſilium nubes ultro citroque recurrens
Perque caput, perque ora volat: fremit enſibus enſis
Incuſſus, ſpiſſaſque ſcatens à ſanguine flammas

Fundit ad occurſum, plagis et pene fatiſcit,
Vivida contactu reparet ni dextera vires.
Tu tamen invictus, ſtrictoque potentior ære
Uſque ruis: validus, dum cedunt omnia, conſtat
Spiritus eductus flammis, quem pectore claudis:
Cui nova materies vires ſuperaddit: et ipſum,
Quod ſimul ac tegitur loricam protegit æream,
Non calybe electo, ſed ſtructum adamante videtur,
Tum durum ad plagas pectus, patiensque laborum eſt.
Si propero, veniam, veniam da maxime Princeps,
Si moror, ignoſcas pariter ſi muſa ſolutos
Diffluit in luſus: propero, temerarius index
Ne videar: propero, ne forte diutius iſta
Narretur mihi pugna, tibi quam rite patrata
Jam fuit: ingratus tanto pro munere dicar,
Quo metus Europæ, quo vincula pene ſoluta,
Ni moror: ingrata eſt, niſi tota in imagine plauſus
Muſa ſit, in crepidis ludens diſcincta cothurnos,
Et niſi ad Europæ laſciviat æmula riſum.
Hæc mihi libanti veniam precor annue demum,
Dicere non auſo: ſummatim ea tangere, culpæ
Non habitum eſt numero: nec detraxiſſe trophæis
Eſt mihi perſuaſum, rerum compendia curtis
Dum recolo numeris: terras ſic exprimet auctor
Complexas folio, & ſpatiis ut detrahat orbis,
Haud ulla appinget fidei diſpendia veræ.
Quid vero indulges, mollis jam deſine ludi,
Cur ſtandi innectis cauſas, et plura moraris
Muſa? face irrumpat, rapido quâ ſemita facta
Eugenii gladio, et ſubeat Germana juventus.

Hæc

Hæc ubi ſtrata via eſt, Thracum laxatus et ordo,
Affluit, atque exorta ruens ſe effundit in hoſtem.
Haud aliter quondam ſi forte impingitur amnis
Aggeris ad ripas, illisa remugit aquæ vis,
Incurſuſque iterat, nec par conſcendere molem
Infremit; at ripam ſi villicus ære ligonis
Abſcidit: exuperat dilata licentia fluctus;
Utque fuit mora longa, magis violentia gliſcit,
Quâ via facta ruens, et inundans gurgite campos.
Diſſonus hic vero, penitusque inconditus extat
Clamor ab Iſmariis, variiſque ululatibus æther
Cladis ad eventus varios ſonat: extitit acer
Clamor ad ardorem pugnæ, furiaſque ciendas
A noſtris, falso dixi ſed nomine pugnam:
Dum gladios adhibent noſtri, dum Thracius armos
Exhibet ad plagas hoſtis: quis carmine porro
Sævitiæ, luctus, iræ, mortisque trophæa
Complecti ſperet, quis tot ludibria ſortis?
N.13.Hic erat ad pedites rerum ſtatus: accidit idem
Exitus et turmis equitum, licet ante reluctans
Thracius obſtiterit noſtris equitatus; at illi
Palphius invectus (nam tempeſtatis equeſtris
Palphiades Legatus erat) tanto impete, tali
Inſtitit aſſultu, nec feſſus ab impete ſummo
Diſceſſit quicquam, qui mente incanduit ardor:
Donec ſe pedibus Thrax credidit, hæc fuga porro
Non tentata gradu, preſſo nec capta receptu;
Præcipiti aſt eadem curſu celerata: viamque
Tam cito corripuere Getæ, quam Palphius urget
Acrius: et veluti nulli tolerare Geloni

Enixæ virtutis opem, pervadere curſum
Sic quoque non poſſunt, nec præteriiſſe ſequentem.
Tardior in Lybiæ campis glomeratus ad auras
Pulvis it, inſequitur vel ſegnior Auſter euntem,
Quam Thraces fugiant, profugis quã Palphius inſtet.
Hæc fuga ſed nimium Turcis infida nocensque,
Ut quæ tam trepida, & cœco conſcita pavore
Evenit, nam ſupra alios ruit alter, abitque
Impulſu reſupinus, adactoſque implicat armos:
In faciem cadit alter, equi ſubeuntis adactus
Incurſu, hic tentans aliò divertere curſu,
Quô foret explicitus, ſolusque evadere poſſet
Liberius; quoniam victor, vel victus ubique eſt:
Impellit pariter, pariterque impulſus in ora
Volvitur, expirans ſoleis attritus equorum.
Nec vero hos caſus unus ſortitur, & alter:
Aſt acies aciem ſupra revoluta, ſaluti
Dum ſtudet, exitii cauſam maturat: & hærens
Atterit, attériturque, parit, patiturque ruinam.
Haud aliter fluctus ventis urgentibus actus
In fluctus equitans ſuperincidit: atque ibi ruptus
Et ſpumas agit, & propria tumulatur in ira,
Alternoque abſorbet, & abſorbetur hiatu.
Hic rurſum exoritur Ciconum fœdiſſima clades,
Quæ ceû magna fuit Germanæ pubis ab ira,
Extitit à Thracum ſic & formidine major,
Maxima ſed turbis: ſiquidem vis illa virorum
Et numerus, tanta unde fuit fiducia Turcis,
Exitii, peſtiſque loco eſt, qua nulla fugatis
Accidere agminibus poterat præſentior uſquam.

Nam

Nam ſimul undatim gens affluit, altera fertur
Supra aliam; cæcæ ſimilis, vel cæca timore.
Et mora fit reliquis (ut ſæpe in talibus olim)
Unius properantis iter, tunc arma remiſſa,
Torpentique excuſſa manu, fiducia nuper
Corporis, atque eadem quæ jam quæſita fuere
Ad palmas, ut inepta fugæ nunc dextera mittit.
* Uſque adeone timor, multus cum poſſidet, ullam
* Non jam quęrit opem, at potius ſpernitque timetque?
Thracum Primores, primorum inſignia fundunt,
Ne fuga prodatur: multis vis ſpargitur auri,
Ne Turcam Auſtriacis pretioſum prædicat hoſtem
Materies ſacra, & pretium cum morte petatur.
Ut tandem campos Edonum equitatus in omnes
Diſſitus, & furiis hoſtis, proprioque timore
Attritus: multos equitum jubet ire petitum
Thracis reliquias, alios incurrere juſſit
Palphius in peditis tergum, quâ perdita nondum
Res erat: & Ciconum, quamvis perculſa timore,
Agmina conſtabant; neque enim pervaſerat illuc
Eugenii virtus, noſtræque ferocia gentis,
Nec poterat (tantum ſpatii interceſſerat inter
Extremas acies Thracum, primasque cohortes)
Tam cito metiri campos, & ſternere Princeps
Poſtremas turmas; quamtumvis fulminis inſtar
Pervolet, & cuneos ultro citroque ruendo
Perdat: in hos, equitum diductis cornibus, ergo
Incidit: extenſiſque amplexus Palphius alis
Præſidio nudos fundit: tunc horrida rurſus
Editur hic clades; quando via nulla ſalutis

Eſt

Eſt miſeris: alios Princeps a fronte trucidat,
Palphius a tergo reliquos ad funera poſcit.
An metro hic relegam, quos intercurſus equorum
Calcibus impactis, equitum quot perculit harpe?
Quot pedites cultris a ſclopi extantibus ore?
Pro merito an referam, ut reſonent tot gutture voces:
Ore quot, aut oculis, fundo vel pectoris imo
Ediderunt Turcæ, gemitus, lacrymas, ululatus?
Hic ubi luxuriat calidi indulgentia ferri:
Hic ubi ſupplicium petitur, non gloria palmæ?
Hic ubi deleri gentem ne forte rebellet,
Vult odium in Turcas, vult Religionis & ipſe
Dulcis amor quondam, nunc vero redditus oſor?
Hic ubi jam moles irarum incumbit, & omne
Belli onus; atque potens campi, penituſque timore
Libera jam virtus, eademque intenta receptas
Dedecoris maculas Getico delere cruore?
It cruor in morem fluvii, quâ plurima paſſim
Inſula, corporibus Ciconum conflata peremtis,
Et ſtrage armorum, & lunatis aucta thiaris.
Fallor, ut abſolvam paucis compendia tantæ
Stragis, Erythræo dicam arva ſimillima ponto:
Gens ubi mortalis vaſtis in ſanguinis undis
Naufragium aut patitur, paſſam vel credere poſſis.
N. 14. Hos inter fluctus, quamvis ſe præcoce mœret
Lætitia elatum, noſtræ veſtigia gentis
Cum dimota gradu vidit Viſirius: iras
Non tamen excuſſit, nec vana ſuperbia mentis
Detumuit: ſeque ille poteſt ſpe paſcere pœnæ,
Exigere hanc audet demens: ruit obvius ergo

Eu-

Eugenio, & latum ſternit ſibi cuſpide callem,
Mille per Auſtriadum tela obluctatus, & enſes.
Ut votum obtinuit, doluit, ſed ſero: Sabaudum
Nam ſimul offendit, gladium delibrat in hoſtem
Impete quo multo potuit; ſed fulminis ictus
Frangit, & exceptos alio declinat, & inquit
Eugenius. quamvis Geticæ ſis victima ſtragi
Aut tarda, aut impar (ſiquidem correpta tumore,
Peccatoque tuo Thraſſæ res perdita gentis)
Digna ſed ut pereas, nec tu indignabere forſan,
Si laqueo exemtus, noſtro juguleris ab enſe;
Poſt hos eventus laqueus te quippe manebat.
Dixit, & incuſſo trajecit tempora ferro.
Vulnera tunc iterans hauſit labentis & inguen.
Nam quamquam ad mortem fuerat ſatis addita plaga
In caput, at meritò rurſus fodit inguina ferro,
Non ex ſævitia, juſtà ſed numinis irâ
Id factum, ut ſcelerum fomes, ſentinaque duplex
Solviſſet dignas gemino cum vulnere pœnas.
Poſt vero Iſmarii peditis Dux victor adeptus
Legatum furiis ardentem, & bella parantem
Excipit, & merſum penitus latere abdidit enſem.
Cætera Turcarum pubes utroque Magiſtro
Trunca, per hos, illos calles defuncta periclo
Agminibus vadit ruptis: pars confluit Iſtri
Ad ripas, alii Savum tenuere, ſed amnem
Plurima cum tenuit pubes, tum perdidit undis
Se fluvii: & dubiam fugiens a cuſpide mortem,
Aut ſcopli a flammis, certam ſortitur in undis.
* Scilicet hæc ſemper ſtupidi natura timoris,

* Ut

* Ut mentem invadens, id formidare ſequatur,
* Quod ſemel incœpit, nec porro intelligit idem
* Majus an incurrat damnum, graviuſque periclum:
* Si modo quam cœpit, pergat vitare ruinam.
Solum ergo gladios intenta arcere Latinos,
Purpureas Savi ſe multa injecit in undas,
Et multa ad pontem, ripas qui junxeratamnis
Turba ruit; ſed dum cumulat ſeſe illa ſubinde,
Labitur in fluctum: plus quippe incondita pubes
Fluctuat in ſummi collecta crepidine pontis:
Quam ſub ponte, Getæ jam ſanguine turgidus amnis
Fluctuet: anguſtus jam fluminis alveus ipſe eſt,
Non modo pons arctus; tam plurima copia Thracum
Præcipitatur aquis. Sic tandem perfida turma
Fluminis ex undis erebi contendit in ignes.
Partitique ſui ceu vectigalia juris,
Thracum animas Pluto, Neptunus corpora ſumſit.
Hæc vero à flammis, vel ferro abſumta, vel igne,
Cui perit, in dubio eſt, feralis victima Thracum.
Ultori cadit illa Deo, ſed cedit Avernis
In prædam canibus: gentis pro ſanguine fuſo
Religio vires recipit: felicius auras
Hæc quoque reſpirat, dum ſpiritus interceptus
Biſtonidum, merito rapidis expirat in undis:
Horum autem in fluvio numerus tam magnus inhæſit,
Ut cumulata ſtrues ingentem expleverit alveum.
Savus at in pelagum vetitus decurrere Thracum
Corporibus, ſubitas ardens concedit in iras.
Immenſoſque ſua latices effundit ab urna,
Spumantique adigit correpta cadavera niſu:

Tur-

Turbine tam rapido timidas revoluta per undas,
Ut qui per latices ea cernat tendere, credat
Non fluvii impulſu, ſed juſſu impulſa timoris,
Quem furor Auſtriacæ gentis, virtuſque Sabaudi
Incuſſit, vivumque extincto in corde pavorem
Eſſe ſuper putet, atque artus agitare fluentes.
Hæc fuit Odryſiæ gentis jactura: Latinam
Cui ſi componas aut parva, aut nulla putanda eſt:
Vix aliquot ſiquidem ſupra tria millia cæſa.
Exiguo tam magna ſtetit victoria damno.
Auſtrie Rex grates, grates perſolve Sabaude
Innocuæ Matri, referaſque accepta trophæa
Auſpiciis Divæ: parvo quæ ſanguine gentis
Teutonicæ, ſumtas Edono a nomine pœnas,
Non jam conſertam dubio certamine pugnam
Teſtatum voluit, nec dedignata docere,
Auſtriacas acies tali ſub vindice tutas.
N.15. Quin bene conſultum Thracũ in perjuria porro
Virginis auſpiciis, & juſti Numinis irâ eſt.
Nam quibus in campis pugna hæc, cædeſque peracta,
Fœdus in his feriit cum Cæſare barbarus hoſtis.
Ergo ubi compoſitæ diſſolvit vincula pacis,
Hic ejuratæ proprio cum funere pœnas
Exolvit fidei, culpamque cruore piavit.
Poſtquam Cæſareis tandem deferbuit ira,
Sive illam extinxit ſudor proruptus eundo,
Seu Ciconum ſanguis, ſeu quod non amplius eſſet,
Fundere quem poſſet virtus Germana, cruorem.
Ceſſat, & occulto gladio ſe quiſque recepit
In caſtra, in caſtris grates de more Tonanti

Cc Hic

Hic nam ſolvebat Princeps, Matrique Tonantis.
Auſpice qua, tutus medios irrupit in hoſtes,
Qua Duce, Cæſareus vires animumque recepit,
Vindice qua, jacuit Thracumque obmutuit ardor.
Stat medius Procerum primos Dux inclytus inter,
Dejectuſque genas, animoſque erectus ad aſtra,
Dum pius aurata fulgens in veſte Sacerdos
Inchoat, exceptum dulci dum turba canore
Proſequitur pæana: tubæ, lituique, fideſque,
Tibiaque ad numerum, & ſtridenti buccina cantu
Aſſonat, & quamvis varium mentita tenorem
Æquali ſerie, & paribus concentibus æquat
Carmina Cælicolum Regi ſolventia grates.
Ipſi etiam ſclopi cædis, mortiſque miniſtri
Qui nuper fuerant, ipſa & tormenta ruinæ
Nuntia, nunc crepitu reboant ad carmina fauſto.
Flamma minis excuſſa ſuis nitet ipſa, vel ipſe
Qui crepat in flammis fragor eſt formidinis expers:
Sed geminat plauſus, affert & gaudia menti.
Nec vero in tenues cedunt evanida ventos
Gaudia, ut & feſtæ voces abiere, fragorque,
Qua concinnatus, rurſum reſolutus in auram.
Integra lætitiæ cauſa eſt, nec & integra tantum
Conſtat: at accedunt ſemper nova gaudia priſcis.
Quippe incrementis exundat plauſus iiſdem:
Quo mage luxuries, Geticæ quo copia gazæ,
Et vis eſt major manibus populata Latinis.
Haud fuit in lixis quiſquam, quem Thraſſa ſupellex,
Inſtratuſque auro ſonipes atque aurea veſtis,
Armaque loricæque laboratique tapetes

Non

Non faciant ditem:tam multa opulentia Thracum
In prædam Auſtriacis ceſſit, quin copia rerum
Non modo fortunam, ſaguli ſed inutile pondus
Rettulit in melius multis: Scythicam ille lacernam
Artubus inducens aptat, gerit alter amictum
Præfecto extortum Pario, quem limbus ab auro
Aſper, & auratus medium Mæander obibat.
Hic clamydem a Paphio raptam Prætore coëgit
In nodum partim, pectuſque inſternit & armos,
Et picturato partim veſtigia verrit
Ima ſinu; has inter, quæ præda eſt parta Sabaudo,
Quo fuit excellens, hoc acceptiſſima venit.
N.16. Cui latas arces, vaſtiſque palatia tectis
Æquatura ſitu, & pretio domitura ſuperbo
Conſulis Iſmarii cedunt tentoria, belli
Jure data. Hic vero Princeps non divitis auri
Pondera, non gemmis veſtes, auroque rigentes,
Atque tot ingeſtas ad belli commoda gazas
Curat, & indignans alio ſua lumina flectit.
Eugenii aſt oculos, & caſti lumina cordis
Convertit, quæ ſub Geticis comperta tapetis,
Quæque vel invidiæ poſſet riſiſſe puella
Quinquennis: charites natura exhauſit, & omnes
Diviſas alibi vultu collegit in uno
Prodiga, nec temere: verum divina futuræ
Sortis id indulſit: flavos populata colores
Eſt auro, ut leves poſſet ſaturare capillos:
Syderibus raptos ignes ingeſſit ocellis.
Tum quod coralium, quod murex explicat oſtrum
(Nam roſa palleret labris collata puellæ)

Decolor) expreſſit tenerum ductura labellum.
Tunc ebur excuſſit nivibus, vegetiſque liguſtris,
Fingeret ut frontem: ſpecies at lucida frontis
Ut magis eniteat radiis fucata coruſcæ
Criſtalli eſt: malas eadem natura puellæ
Ut pingat, niveo pariter, croceoque colore,
Lilia commiſcet foliis intrita roſarum.
Denique quodcumque eſt nitidi, quodcumque venuſti
Excutit; in malis veneres quo contrahat omnes.
Scilicet, ut Solis prævertit Phoſphorus ortum,
Purpureo Cœli campos ubi lumine veſtit:
Sic formæ inditiis niveo ridentis in ore
Præſagit natura decus, radioſque ſupernos
Roris ab ætherei ſolitos aſpergine fundi,
Queis luſtro volvente animam veſtire parabat.
Barbaricas inter veſtes ſic pulcrior infans
Emicat, & rebus formoſior addit honorem,
Ut ſpinis obſeſſa magis roſa prominet oſtro:
Qualis gemma nitet, purum quam mordeat aurum:
Et veluti ſtellas inter Dyctinna minores,
A quibus haud quærit, proprios ſed fœnerat ignes.
Aſpicit infantem fixus, luſtratque Sabaudus:
Dumque oculi relegunt ſpeciem, vultuſque decoros,
Digreditur ſtudiis alio mens ducta ſupernis.
Mens pia quandoquidem ſpecie collegit ab illa,
Factoriſque Dei ſpeciem meditatur, & inde
Concipit æthereas ardenti pectore flammas.
Poſt hæc divertens formam veſtigat habendam,
Spiritus infantis ſacro ſi fonte piatus
Contractam exueret primæva ab origine labem.

Hæc

Hæc ſecum evolvens ſtupuit jam mente: nec idem
Eſt color in vultu, cordiſque excandet ab igne:
Immotuſque ſilet, fixiſque obtutibus hæret.
Cum vero collecta, ſibi cum conſcia rurſus
Reddita mens, oculis lacrymæ liquuntur obortæ;
Fundit & ex imo ducens ſuſpiria corde.
* Gaudia dum lacrymas, ſuſpiria gaudia ducunt,
* Gaudia quæ fines parvi excedentia cordis,
* Quâ datur ex oculis abeunt, & gutture rumpunt,
* Seu verſa in latices, animæ ſeu facta fugaces.
Sic quoque ſi nubem lampas Phæbea laceſſit,
Illa gravis pluviâ vivum gremio excipit ignem,
Et flammis rubet, & tenues ſe ſolvit in imbres;
Talis dius amor flagrans in Principe, rivos
Elicit ex oculis, & flammas exprimit ore.
Tum jubet Eugenius noſtræ documenta ſalutis
Edoctam ſpargi luſtrali fonte puellam.
N.17. Hæc Canis inferni ſubducta ex ore, Gelonas
Præter opes, riſit gratiſſima præda Sabaudo.
Quod ſi lætitiæ tantum ſub pectore Princeps
Concepit; ſtygiis animam quod ab hoſtibus unam
Exemit, quænam tentabunt gaudia mentem,
Phæacum populos cum ſentiet eſſe redemtos
Marte ſuo a vinclis Getici, ſtygiique Tyranni?
Phæacum innumeros populos nam fama triumphi
Aſſeruit: tantum valuit timor ortus ad hoſtes!
Quippe timoris ope, & Venetæ nil indiga claſſis,
Aut exercituum longo Corcyra ſoluta eſt
Obſidio, nimbis quamquam lacerata pilarum,
Turribus afflictis ut nuda fatiſceret, utque

Per

Per conclamatos muros Ciconum arma maneret
Irruptura Urbi, & timidos cæſura colonos.
Ter felix Princeps Turcas proſtravit in agris
Pannonicis, inibi ſtricto dum fulminat enſe.
Dumque alibi famæ lituis circumtonat ortæ
A ſtrage Iſmarii populi, ductiſque trophæis,
Corcyræ in campis Turcas debellat eoſdem.
Si vero ſtudium eſt palmas committere utraſque:
Illic ſera fuit, contra hic victoria præcox,
Illic cum nimio, hic nullo cum pulvere parta;
Pulvere nam multo ſtat victa Temeſia nobis:
Corcyram e manibus Thracum fama una recepit.
Plaudite io Ciconum ſpoliis Phæaces onuſti,
Plaudite, dum pelagi ex ora remeatis in Urbem.
Dumque Getas validis multos incumbere remis,
Linteaque in rapidos laxare trementia ventos,
Inſtanteſque Henetos muris ſpectatis ab altis,
Solvite vos luctu; potior nam fructus, adeptam
Qui ſequitur palmam, vobis contingit: & unde
Theutonas excepit gravior labor, inde parata
Otia ſunt vobis: epulis ſe quiſque fatiget,
Luxuries quas Thraſſa tulit, virtuſque Sabaudi
Adſcripſit: liber ſoles quiſque exigat: ille
Flammam inter, crurumque tenus verſabitur undas,
A quibus ubertim prætenta Themeſia ſurgit,
Bella ciens: quo pacis honos diuturnior olim
Sit vobis, nuſquam Ciconum lædendus ab armis.
Ac dum concipitis pleno vos gaudia plauſu,
Interea dubios animos Europa, ſuoſque
Errores jam faſſa, metumque incuſet inanem,

Quod

Quod falſa Eugenium duxit parva agmina magno
Diluvio Thracum temere permittere, quodque
Palluit a numero ne cederet obruta virtus.
Ecce hæret ſuſpenſa animis, nec conſcia porro eſt,
Mireturne prius ſortem, neque ſorte minorem
Eugenii virtutem, alibi fera bella cientis,
Vincentis Turcas alibi? potiuſne timorem
Turcarum, qui Corcyrâ jam pene ſubacta
Præcipiti curſu ſibi conſuluere, nec illos
Aut interjectum pelagus, ſubmotaque tellus
Liberat, & vana ſolvit formidine mentes,
Quò minus effugiant? veluti jam Principis enſis
Tot maria emenſi rapido, terraſque volatu
Jam jugulo immineat, jam duro everberet ictu.
Parce ſed Europe dubio jam parce ſtupori,
Et laudi indulge, & recolas præconia dictis.
Nam fama Eugenii partis exorta trophæis,
Nam jam alis (qualem Graii finxere poëtæ)
At vice pennarum rapitur formidinis aura,
Et quoquo inſonuit perculſos ejicit hoſtes.
Non oculos ſubter pennas intendit, at ignes
Intentat, non ore tonat, ſed fulminat enſe:
Ignibus his uſa eſt, his enſibus illa minata,
Nec finxit commenta, ferens de murmure murmur,
Ab Corcyræis Turcas ut pelleret oris.

FRAN-



1 Qui uallo incubuit, 2 profert Thrax ignibus, ignem.
3 EVGENIVS Turcas abigit, 4 septoque potitur.

And. Maular sc.

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA:

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER VII.

N. 1. *Parante commeatus Eugenio præmittitur Palphius, qui obviam arcem, & duo Turcarum millia in ſubſidium miſſa debellat.*

N. 2. *Alia deinde ſeptem millia affligit, & Emmanuel Luſitanus duos Natos Præfecti Themeſiæ (Temiſvar) mira virtute ſternit: mox Palphius obſidionem Urbis inchoat.*

N. 3. *Hæc agenti Palphio jungit ſe Eugenius, & unà Themeſiæ munimenta ſpeculantur: Themeſiæ deſcriptio.*

N. 4. *Eugenius Urbis munimentis nedum deterritus, ſed allectus periculo eam obſidet, aggerem excitat, & reliqua ad obſidionem pertinentia exequitur.*

N. 5. *Refertur pilæ jactus (quam nos Carcaſſa vocitamus verna dictione) & qua libretur ratione.*

N. 6. *Hujuſce pilæ caſu vis ingens pulveris Vulcanii ignem con-*

concipit , & in loricæ (palanka) trabes flammam partitur. pilæ porro caſus in pulverem pyrium Mariæ Virgini adſcribitur.

N.7. *Turcæ timentes ne ſerpente incendio Cæſarei loricam alio invaderent, eo accurrunt facem manibus præferentes, ut tenebras noctis ſuperent: quo facto viſi ſunt iis tædis celebrare Virginis Natale feſtum, & eo fere modo, quo apud nos obtinuit conſuetudo.*

N.8. *Exinde Turcæ quaſi a facibus hauſto furore erumpunt Urbe, & incidunt in eam ſtationem, ubi curabat Harrachius, & Daunus. Ab Harrachio, & Dauno excepti, & egregie multati Turcæ propulſantur.*

N.9. *Ubi primum Sol illuxit, ignis extinguitur: ſed major Eugenii flamma ardet, quâ ſolvendi Mariæ Virgini grates, quâ abſolvendi cuniculos (approcci)*.

N.10. *Humada Dux Hiſpanorum properans junċturus Eugenio ſuas acies, ex improviſo ab Æthiopum turmis ſe petitum ſtrenue expedit, fœda ſtrage afflictis hoſtibus.*

N.11. *Antonii Foch de Cardona Præſulis Valentini laudes tanguntur, quod a Carolo acceptas opes non in luxus, ſed in contrahendis Hiſpanis turmis impenderit, ut hæc Carolo contra Turcas meruiſſent.*

N.12. *Eugenius fundit ingentem Turcarum exercitum Themeſiæ ſubſidio venientium, tum promota vinea (trinciera) ad labrum foveę ſtagnantis vi aquarum juxta loricam ſupra eandem foveam tres pontes inſtituit intectos pluteis (gabbioni.)*

N.13. *Sub tempus petendæ loricæ Eugenius Palphium mittit, ut alibi aſſaltum minatus diſtrahat Turcarum vires ab eo loco, qui eſſet petendus.*

N.14.

N.14. *Cæſareæ acies audito omnium tormentorum tonitru (hæc enim ad aſſultum data teſſera) aggreſſuræ loricam ruunt.*

N.15. *Difficultas ſuperandi loricam.*

N.16. *Alexander Vittembergicus, cui id opus incumbebat incuſſa trabe atterit Turcarum agmen exterrentium ſuos milites a loricæ hiatu.*

N.17. *Alexandro jungit ſe Frater Maximilianus, & Princeps Beverenus, & funditus Turcas affligunt.*

N.18. *Tum reliqui milites ineunt loricæ aperta ora.*

N.19. *Turcarum veteranum robur nequicquam fertur in Vittembergicos Fratres, & Beverenum Principem.*

N.20. *Diſtenti per id tempus alibi a Palphio Turcæ accepto nuntio ſuperatæ loricæ, illuc advolant, & ut Cæſareos a ſtatione ibi jam firmata deturbent, ignem loricæ trabibus injiciunt.*

N.21. *Dum Turcæ ſuo ſerviant furori, obſequuntur Virgini volenti celebratam iri his flammis victoriam Auſtriacis conceſſam.*

N.22. *Eadem B. Maria Virgo a Turcarum pilis aſſerit Eugenium, dum is durante pugna Cæſareis vires ſua præſentia addit.*

N.23 *Quam nimium valuerit Eugenii præſentia ad ſubmittendas ſuis vires.*

N.24. *Virtus Vittembergicorum Principum, et Bevereni ſternentium eos Turcas, quos Palphius diſtinuerat, et qui ignem loricæ ſubjecerant, dum adnituntur Cæſareos capta dejicere ſtatione.*

N.25. *Thracum alii recipiunt ſe in foveas ductas in eo telluris tractu, qui eſt inter loricam, & Urbis murum.*

N.26. *Hos porro Eugenii præſentia fretus miles jugulat ad unum omnes.*

N.27. *Eugenius ſequitur obſidere Urbem, et uſque ad ejus murum foveas a lorica continuat.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Palphius affligit Turcas, mox obſidet Urbem,
Quam canit hic vates: pila nutu Virginis ignem
Excitat: ut varii Proceres varia agmina ſternunt,
Sic Thracum Eugenius vires quoque perculit omnes.

LI-

LIBER VII.

N.1. UT primum expediit comitatũ ad cõmoda belli
Eugenius, reddit tum plauſtra gementia dono
Multijugæ Cereris, quæ porro novit ab uſu
Urbis ad excidium Geticæ tormenta futura
Deligit, & contis pronos advolvit in axes.
Cætera quæ vidit pondus non utile bello:
Sive ea Strymoniæ cælata inſignia Lunæ,
Sive ea Cæſareas Aquilas inſculpta referrent,
Petrovaradini tutam rejecit in arcem.
Nec temere id vero, magnæ ſed Virginis actum
Imperio credam; Geticæ nam perdita gentis
Res fuit in campis, ubi leges fœderis ictæ.
Præterea belli moles tumulantur in Urbe,
Quæ dedit in primis irritamenta Gelono
Fœdera ſolventi, perjuraque bella ferenti.
Quin ea, quæ Thrace duxit, laceraret ut arcem,
Indigenæ tormenta terunt innoxia partim,
Deſtinat & partim Virgo; quô noxia genti
Odryſiæ evadant flammis armata Latinis.
His ita compoſitis, rebuſque inſtructus abunde
Dum movet Eugenius raptim, properatque, coronâ
Ut muros obeat, quos alta Themeſra jactat:
Jam prior Eugenii digreſſus ab agmine, jamque
Longum iter emenſus confinia rura Themeſo
Palphius attigerat: dumque ultra vadere tendit,
Arx illum offendit, quantum intractabilis arte,
Ingenio tam tuta loci; ſed vicit utrumque,
Palphiadæ virtus, & par ſollertia nodum:

Ex-

Expugnatque arcem, Turcaſque in vincla petivit.
Tum contra è clauſtris bis mille Themeſia Thracas
Educit: properant arcem vel ab hoſte receptum
Biſtonidæ, ſumtum meritas vel ſanguine pœnas.
Palphius at Cicones voto fruſtratur utroque:
Nam numero e tanto repetit vix nuntius Urbem.
Palphiades ſiquidem primum cuſtodit, ut omnis
Regreſſus Turcis foret interceptus ad arcem,
Obſeditque manu divortia quæque viarum.
Tum ſibi pollicitus certos ex hoſte triumphos
Contendit, Turcaſque petit, ſternitque petitos;
Et merito fœdâ graſſatur in agmina clade.
Scilicet ut moneant cædis documenta Gelonum,
Exiviſſe dies, queis pugnam ſperet aperto
Contrahere in campo, & reliquum vix Thracibus eſſe,
Eminus a muris acies ſpectare Latinas.
N.2. Thracius aſt Urbis Præſes temerarius æque,
Ac ſtupidus, nil hæc curans documenta, ſed irâ
Percitus inſanâ: geminos erumpere Natos
Annuit, & rurſus Martis tentare pericla.
Atque his permiſit Ducibus ſeptena Getarum
Millia, præſidii robur, floremque virorum.
Egreditur furiata manus, ceu turba Luporum;
Sic curſum intendit, ſtudio ſic ſanguinis ardet,
Tot ferit impellens laceras ululatibus auras.
Palphius incurſu Thracum lætatur; & hoſtem
Opperiens, negat ipſe Getis incumbere primus.
Idque hoc conſilio ſubitâ conceptus ut irâ
Ardor, hebes Ciconum fiat, curſuque ſeneſcat.
Mox ubi jam propior delata eſt Thraſſa juventus,
Pro-

Prominet e cunei verſu prægreſſus uterque
Dux Ciconum,excandent vultus,atq; horrida flammis
Lumina ſtant: geminaque manu procul erigit harpen
Quiſque ſuam, ſeſeque effert ſublimis ab armis
Quadrupedis, fulta eſt membrorum ſarcina plantis,
Suſtinet & plantas fulcrum, quod pendet utroque
Ab latere alipedis, morſuque adnectit habena.
Hos ubi concordes vidit decurrere Fratres,
Audenteſque animis, & ſeſe in bella ferentes
Acrius; arrectus Dux Luſitanus amore
Emeritæ laudis, ſoli ſibi deſtinat hoſtes.
Haud mora, ſubdit equo calcar,prægreſſus & agmen,
Obvius Emmanuel geminis ſe Fratribus offert:
Atque ubi perventum eſt, collectus in arma moratur
Spernenti ſimilis. Frater tum grandior ortu
Invehitur, maculas ſperans delere priores:
Hunc ergo propior cum Luſitanus adeptus
Et bene contiguum librando credidit enſi,
Dirigit incutiens gladium: Thracem excipit ictus:
Loricæque moris ruptis ſe cuſpis adegit
Pectoris in latebras, & fixo e pectore tergum
Hauſit, & in coſtas geminato vulnere prodit.
Nam præceps juvenis dum ſeſe audentior infert,
Induit in ferrum, validæ quod robore dextræ
Emmanuel torſit: vidit germanus & ictum,
Fratris & exitium, gelidoſque obtorpuit artus,
Magnificique cadunt animi formidine: nec jam
Vis illi eſt propius ſuccedere, ſed fuga tantum
In voto eſt: abit ergo, ſuiſque involvere quærit
Se mixtum agminibus; vetuit Dux inclytus illum

In-

Integrum pugnæ ſecedere: fulminis ictu
Occupat elapſum, trepidoſque everberat armos:
Nec ceſſat, miſerum quin fulvâ extendat arenâ:
Palleat ut tandem Ciconum temerarius ardor
Multatus ducibus rurſum ſe credere campo.
Inde alios ſuper, atque alios petit enſe, fugatque
Fulmine iter ſternens: ſequitur Germanica pubes,
Irrumpitque, hoſteſque abigit, cæditque morantes.
Id porro exequitur multo certamine miles,
Et ſeges armorum fuerat quâ plurima nuper,
Hic tantum armorum ſtrages mox vaſta, virumque.
Jam fuga, jam terror deſolavere maniplos:
Signaque, ſigniferosque premit pede victor ovanti.
Parte alia ſiquidem pariter ſe Palphius infert;
Nec furor eſt ullus, Ciconum nec martía virtus,
Quæ Ducis incurſus auſa eſt, potuitque morari.
Ille ſibi, ſociiſque viam facit, acer ubi enſem
Incuſſit, primaſque acies unde unde trucidat.
Nec vero alterius verſus bona copia, quique
Stant in ſubſidiis audent occurrere ſtragi,
Subtractique fugâ procul evaſere: fidelis
Et fuga contingit multis; quippe ire per hoſtem
Intentum ſpoliis licuit, ſeque abdere muris;
In quibus obſtruſi jurant ſe deinde tenere
Spe campi extorres, cujus Germana juventus,
Palphiadeſque potens factus bis cæde ſequeſtra,
Cujus & imperium Dux Luſitanus adeptus,
Non pede jam firmo, verum rapidæ impete dextræ.
Tum demum propius quavis formidine liber
Palphius accedit, ſeptis obvallat & Urbem,

Di-

Digeſſitque acies, tormentorumque locavit
Suggeſtus varios, variis pro mœnibus Urbis,
Ingenioque loci: plures educit in ulnas
Hic alios, illic humiles molitur, humique
Depreſſos, ſeu ſubſidit telluris hiatus,
Seu muro adjectus collis procerior exit.
N.3. Tempore quo Princeps rebus jam rite paratis,
Vim Cereris magnam, vel onuſtos pulvere currus
Ignivomo, & variis tormenta curulia formis
Advehit, & denis caſtris devenit ad agros,
Quâ jam Palphiadæ præmiſſum aſſederat agmen.
Conſenſu unanimi voces ſuper æthera tollunt
Sub Ducis adventum turmæ, reſonoque fragore
Dilacerant auras diſploſa tonitrua martis.
Hìc memor officii convenit Palphius ultro
Eugenium, docuitque ſitus, dictiſque locorum
Naturam explicuit, partes deſcripſit & Urbis,
Et quod munimen propter pomœria muri eſt.
Quæ Princeps operâ quamvis acceperit auris,
It tamen, ut pateant oculo comperta fideli.
Palphiades illi comitem ſe jungit, & unâ
Artificum, Procerumque manus, geminique manipli
Loricati equitis: vadit Dux inclytus ergo,
Itque, reditque vias, ultro citroque recurrens:
Metiturque loci ſpatium, ſpeculatus in orbem
Loricamque arcemque, & murum exactius Urbis.
Hæc ubi jam tenuit certa ratione, modumque
Obſidii exegit: ſe rurſum in caſtra recepit.
Erigit in vaſtis ſeſe alta Themeſia campis,
Murorumque minis, excelſiſque ardua pinnis,

Quâ ſedet, obſcœnis ceu dedignata lacunis
Subducit caput, & puras extollit in auras.
Nec tantum editior Cœlo faſtigia murus
Invehit; aſt idem ſenas ſpatiatur in ulnas,
Et ſibi collatos geminos capit amplior axes.
Nam niſi craſſities apici reſpondeat æqua,
Corruet, incumbetque ſibi fundamine murus
Infirmo fultus: moleſque incondita fiet,
Saxorumque ſtrues, non jam munimen in hoſtes.
Hic porro murus non recto tramite ſemper
Currit; at excedens vaſto ceu tubere prodit
A ſolito tractu, & turris ſinuatur in arcum.
Ac quantum paries falcato prominet orbe,
Tam capite excelſo ſurgens procerior exit,
Intentatque apicem nimbis, & in aſtra minatur.
Quæ vero ſpatii certo diſcrimine diſtans
A mole adverſa ſtat ad auras turris, ab uſu eſt:
Reddat ut infeſtum muri latus interjecti,
Atque interſtitium campi diverberet igne:
Si forte irrumpant ſpiſſis aſſultibus hoſtes.
Sed minus eſt turris, validique Themeſia muri
Indiga, loricæ ſatius munimine tuta.
Præ validis (quibus illa procul turrita ſuperbit
Mœnibus) obtendit tignis, & ſtipite querno,
Denſataque diu tellure, & ceſpite ductam
Loricam infarto: ſpeciem faſtigia muri,
Craſſitieſque refert murum; nam lata patenſque eſt
Ad quinas ulnas: verum robuſtior illa
Mœnibus eſt, ſilice aut ſolido de marmore ſtructis.
Nam ſi tormenti ſit tempeſtate petitus

Sic

Sic actus paries, non ſolum ducit hiatum;
Sed rimas aperit, fractuſque dehiſcit in orbem,
Qua parte impellens ſilices bolis ærea fodit.
Lorica hæc autem, quod concinnata ſequenti
Materie, faciles admittit pervia glandes,
Nec circum quatefacta labat; quippe ignea tela
Se raptim inſinuant, ſeptum & terebrare videntur,
Non quatiunt fractum: tenuique e vulnere tantum
Ramenta emergunt, non vaſtâ rudera ſtrage.
At vero murum duro de marmore ductum,
Impactiſque pilis aditus aperire negantem
Succutit, & nitri rejecta potentia frangit,
Uniuſque loco centena foramina pandit.
Sic quoque dum calamus ſuccumbit flexilis Euro
Extat, at obluctans animis affligitur arbor.
Sub pede præterea tanti muniminis ingens
Se pandit fovea, & ternas deſcendit in ulnas.
Quin omnis regio, quæ circumplectitur Urbem,
Squalet, inexhauſtis late damnata ſcatebris.
Hos latices fluvius, nomen qui fœnerat Urbi,
Largius eructans, adjectos diluit agros.
Hinc grave ſubſidit, vel inextricabile cænum,
Amnis ubi appoſitos obeunt divortia muros,
Et dubium reddunt, tellus dicatur an unda,
Quæ juxta regio eſt: adeo diluta lacunis
Permaduit: quin non ſolum qua parte paluſtris
Eſt clare, ad nixus cedit, recipitque prementem
Scripta gradum, at paulo quâ firmior eſſe videtur,
Succutitur tentata, pedumque exterrita pulſu:
Dumque tremit, longe pondus ſentire fatetur.

Sic pro re nata, plantis aut obvia, circum
Hæc nutat, humanis aut innatat invia plantis,
Suſpenſæ ſimilis: tali fluvione, lutone
Dixeris ad bellum potius navale catervas
Puppe exercendas, quam fixo ad prælia greſſu.
Ergo nec aggeribus, nec ſuppetit ulla ſtruendis
Materies pluteis, quibus expugnare Sabaudus
Loricam poſſet, tectusque invadere ſeptum.
His munimentis invictam, & mœnibus Urbem
Flos Ciconum electus, belliſque experta juventus
Inſedit, quorum numerus duodena virorum
Millia complebat: nec ceſſatura fuiſſet
Indigenum pubes, condicta ubi teſſera belli
Acciret, ſeu dejectos ſtatione Latinos
Exigere, aut muri ſtragem reparare placeret.
Omnibus his rebus nimium confiſus, & audax
Urbis Præfectus niſus ſperabat, opeſque
Frangere Germanæ, penituſque eludere gentis,
Urbis & eventus quondam præſtare ſecundos.
N.4. At contra Eugenium tanto ſubit acrior ardor,
Quo magis invictis comperta Themeſia ſeptis.
Ergo ubi perfectus variis cum turribus agger:
Sive is, qui frontem anterior defendit ab hoſte
Obſeſſo, ſive exterior, qui terga ſoluti
Hoſtis ab incurſu Getici tegit: inde remiſſa
Hac cura, obſidii turmas partitur ad uſum.
Ut pedes excubias agitet pro margine valli,
Edicit: poſt hunc equitum gravia arma locavit,
Latura auxilium qua parte laceſſeret hoſtis.
In medio campi duplex it ſemita tractu

Per-

Perpetuo ducta: & medium ſe callis uterque
Excipit: atque crucis ſpecie interſectus, ubi alter
Obvius alterius capiti eſt, ibi lata theatro
Area; & hac ortus trames, qui longior exit,
Dividit in quadrum campos, partitur & æquo
Hos ſpatio: circus ſed vero ubi panditur ingens:
Hic equitum robur vacua ſtatione moratur.
Scilicet, ut caſus cum provocat, ilicet adſit;
Nec quidquã impediat, dum curſum intendere præſtat.
Quin etiam ſonipes fert ſemper ephippia, ſemper
Fræna terit, dorſo ſemper ſtat miles, habenas
Semper læva quatit, ſtringit dum dextera ferrum.
Nec vero interea Mavortia fulmina ceſſant
Mœnia perpetuo bolidum convellere jactu;
Et dum loricam excindit, dum diruit ignis:
Subter humum currens per cæca cuniculus antra
Deſcendit, ducitque vias ad mœnia tutas
Multiplici ſerpens Mæandro: Ut denique rumpat
Sub murum, latoque acies depromat ab ore.
N.5. Parte alia bombarda pilam jaculatur, & illa
Ad Cœlum evehitur pyrii pro pulveris hauſtu.
Ut vero impulſus nitri ſubſedit adactæ
Impreſſus bolidi, muri qua parte magiſter
Deſtinat, hac ruit illa: ſinuſque abrupta crepantes
Cum ſtrepitu cadit, & ſummĩ faſtigia muri
Detergens ſeſe intrudit, rabidoque fragore
Diruit abſcindens, & ſtragibus omnia complet.
Tam multas inter bolides volat una per auras,
Non libratoris voto directa, nec arte,
Virginis at nutu: Nivium quæ feſta triumphis

Ut

Ut Geticis recolenda dedit:quando agmina Thracum
Affligi voluit: per Thracum incendia rurſus
Ceu face feſtivâ liquidas arſura per auras,
Nunc quoque Natalis recoli jubet annua feſta
Virgo ſui: hoc vero voluit diſtare; quod olim
Thracius excepit Nivium ſolemnia ſanguis:
Thracius hic ignis feſtum Natale ſequutus.
N.6. Nox illa, illimes quæ Virginis excipit ortus,
Felicemque diem fuſco quæ claudit Olympo
Multa erat: & quamvis alibi ſopor altus haberet
Mortales, placidâ laxatos membra quiete:
Non tamen hic curas, bombardarumque diremit
Aſſiduos ignes; bolis ergo exercita flammis
Altior ad Cœlum erigitur; ceu juſſa Parentis
Acceptura foret propior, dumque ire per auras
Deſtitit, aut viſa eſt aut illa nitentior arſit,
Et crinita facem duxit; tum præpete lapſu
In præceps abit, atque fugam direxit: ubi hoſtis
Thracius inſtantes belli condebat ad uſus
Pulveris ingentem numerum: cadit igneus illuc
Orbis, ad illius caſum flamma alta tenaci
Goſſipio in bolidis gremium deſcendit: adeptam
Corripuit globus inde facem, fax ipſa ſub arcto
Infremit eluctata ſinu: tum diſſilit orbis
Fuſilis, interiuſque malum vomit; undique clavi
Infarti fruſta, & ferri, abruptæque catenæ
Erupere: volat late Vulcania peſtis,
Cujus ab injectu pyrii vis pulveris ignem
Concipit, arreptumque procul partita reponit
In tignis, quorum truncis lorica coactis

Con-

Conſtabat. tum vero effuſa incendia late
Emerſere, ruunt; flammis alimenta miniſtrant
E vallo propiore trabes: ergo undique flammam
Cernere erat, quæ viſa minax, expertaque Thraci eſt
Multato egregie: dum peſti occurrere tendit,
Obruat ut lymphis; noſtris ſed viſa catervis,
Eugenio inprimis ſpectacula grata referre;
Seque triumphanti ſimilem glomerare per auras,
Teſtantem facibus, quid magna potentia Matris
Poſſet, & ad ſacros plaudentem Virginis ortus.
N.7. Ergo ubi comprendunt arentia robora flammæ:
Atque aliam ex alia vento quatiente ſecutæ
Depaſcunt ſylvam: quamvis non ſponte Parenti
Obſequitur, feſtumque colit Natale Gelonus.
Nam veriti, ne forte hoſtis Germanicus anſam
(Dum timor obrepit paſſim, regnatque tumultus)
Arriperet, ductuque metus bacchantis in arce
Acrior evadens muros perrumperet, inde
Undique conciti coeunt ad ſepta frequentes
Biſtones, & dextrâ ferrum, piceoſque ſiniſtrâ
Intentant ignes, & ſepimenta tuentur.
Sic ubi ſubſtiterunt, veluti celebrare videntur
Virgineas facibus cunas: ceu feſta Parentis
Nos etiam inſtructi flammis coluiſſe ſolemus.
N.8. Mox animo erecti, veluti furor additus eſſet
Ignis ab aſpectu, ſunt auſi erumpere clauſtris
Stipato cuneo, & noſtrum graſſantur in agmen,
Hic ubi curabat cum Dauno Harrachius Heros.
Nam poſt hunc ſtatio tum forte vicaria Dauno
Juſſa ſub id tempus fuerat: ſeſe invehit ergo

Thra-

Thracum acies, poſtquam tormenta curulia ternas
Exploſere pilas, terna vice ſclopus & ignem
Fudit; in audentes auſi ſed pœna redivit.
Quandoquidem Daunus, turmiſque Harrachius unâ
Imperat, ignitis ne glandibus ante laceſſant,
Quam propius vallum Thracis ſuccederet agmen.
Id ſimul evenit: volat ilicet ærea grando,
Utque ex condicto rurſus repetita Gelonos
Excipit inſtantes; animo tunc concidit hoſtis,
Maturatque fugam præceps, flammamque remittit;
Hæc eadem porro late projecta tenebras
Dimovet, & multo pellucens igne Getarum
Cladem aperit, donec depreſſit ſanguinis imber,
Imber ab extincto fluxit qui plurimus hoſte.
Quamquam autem hos ignes gelida formidine Thracũ
E dextra excuſſos rivi domuere cruoris.
Nulla ſed injectæ terræ, nec fluminis ulla
Vis unquam obtinuit, loricæ ut flamma ſileret:
Donec ab Eois Phębus fulgentior oris
Arſit, & e toto tenebras diſcuſſit Olympo.
Tunc quoniam exierat Divæ nox debita cunis,
Quam coleret, languens paulatim flamma reſedit.
N.9. At non Eugenii, ſeu martia flamma remittit,
Seu pia, quin grates perſolvat rite Parenti,
Quin opera et properet, muros expugnet ut Urbis.
Ergo alias ducit caveas munimina propter,
Et ſuper has pluteos, tutum præſtaret ut agmen,
Integit, edicens tortis ut vinea cryptis
Excurrat, donec loricæ ad mœnia ſpectet.
Quo facto, triplices utroque in margine foſſæ

Flu-

Flumine ſtagnantis, vallumque obeuntis in orbem
Inſternit pontes: tumulos tunc erigit, unde
Librata excutiat muralis machina ſeptum:
Atque opus hoc urget, totuſque abſolvere tendit.
N.10. Dumque hæc interea diverſa parte Sabaudus
Molitur, numero tenuis licet, inclyta bello
Ibat Ibera manus: bis centum & mille virorum,
Ductor Humadiades: properat feſtina juventus,
Ad claros repetendæ Urbis dum ſpectat honores,
Queis timet exortem fieri, ſi tardior oras
Pannonias transgreſſa foret, terraſque teneret,
Surgit ubi excelſis obſeſſa Temeſia muris.
Maturat pleno ergo gradu, ſimiliſque ſolutæ
Contemtim ingreditur: ſeu damnũ attendere præſens
Neglexit concepta ſui fiducia, ſive
Abnuit adverti, laudum poſtquam ingruit ardor,
* Qui magis in meta celerat pernicior ipſa.
Sic dum carpit iter latos ubi ſemita calles
Explicat, & vaſtum ſe circi effundit in orbem.
Hinc, atque hinc lucus late procurrit, & urget
Callis utrumque latus, lucus niger ilicis umbra,
Qui folia impexus foliis, ramoſque fluentes,
Solis & excluſos tenebris intercipit ignes,
Et caliganti terras obnubit amictu.
Hoc nemore inſidiis apto ſe copia ſenſim
Æthiopum abdiderat Thracis vexilla ſequentum;
Et luco aut tenebras addit ferrugine vultus,
Aut luco tenebras, quas malis exhibet, auget.
Hæc fera colluvies turmas ubi vidit Iberas,
Protinus e latebris ſeſe eripit, inque remiſſos

Incidit Hiſpanos, ſpiſſiſque aſſultibus urget
Hoſtis utrumque latus. prima ſic luce coortus
A nemoris latebra corvorum exercitus exit,
Et dubias auras piceis everberat alis,
Turmatimque ruit. Furias ubi vidit Avernas
Irruere irarum magno certamine Ductor
Hiſpanus; nullumque ſibi, ſive ille monere,
Inſtruere aut acies vellet jam tempus: in arma
Collectus ſtetit, & breviter ſic ore loquutus.
Res nata, o pubes, ne pugnam evadere poſſis,
Ut prohibet, cordis ſic abnuit inſita virtus,
Ut vitare velis, meritas hæc excitet iras,
Aude animis, tantæ numerum nec gentis inito:
Aſt oculis vultum relegas, qui funeris omen
Eſt miſeris, ſolitas mavis ſi promere vires.
Dixit, & in dictis educit & exerit enſem
Acer Humada, feroxque hoſtes ſeſe ejicit inter.
Vox tuba, vexillum gladius fuit, ipſe vel agmen,
Agminis aut animus, duplicis ſive agminis inſtar;
Tum linguæ monitis dextræ facundior uſus,
Quæque irritavit piceas audacia gentes,
Quæque irritatas retudit mavortia virtus
Fortis Humadiadæ ſimili ſecum impete raptas
Ilicet Hiſpanas acies impingit in hoſtes.
Ille ſed Æthiopum frontem ſibi deſtinat uni:
Quos levâ & dextrâ pubes invadit Ibera.
Et velut ordinibus ruptis diſſolvit utrumque
Hæc cornu; ſic ille viam formidine factam
Incuſſa aut iniit, librato aut fulmine fecit,
Omnibus interea telis impervius idem.

Nec

Nec lorica trilex, ſquamiſque inſtructa tuetur,
Nec ſuras ocreæ, duplex nec tempora cudo:
At ſua dexteritas præſens infligere vulnus,
In caput inflictos proprium dum rejicit ictus.
Pectoris ipſa etiam texit genuina, vel ære
Durities melior: * quid enim ſine pectore proſit
* Invictus thorax? geſtare quid arma juvabit,
* Non animum? afflicti juvenum virtute, Duciſque
Æthiopes, ſolitas pauci ſubiere latebras:
Nec prorſum intacti, ſalientes ſanguine plagas
In lucum referunt: tellus mirata colorem
Inſolitum, nitido tum primum riſit in oſtro.
Oſtro riſit humus, ſed Averni regia flevit,
Dum nigra diluvies animarum apparuit atri
Advena veſtibuli & fuliginis oblita nimbo:
Quas totidem furias Orci gens noxia ducit,
Dum tenebris ſenſit tantas accedere noctes,
Pannoniæ in campis quot virtus ſtravit Ibera
Æthiopes; quorum fumantia corpora paſſim
Extinctos referunt injecto ſanguine torres.
His poſtquam expediit ſeſe generoſus Humada
Caſibus, & turmas ſpoliis, ſed laudis onuſtum
Se cumulo poſtquam gaudens in caſtra reduxit,
Eugenii, & Procerum plauſus excepit ovantum.
N. 11. Tu quoque de tantis tecum gratare triumphis
Fochiade Antoni, partæ præconia laudis
In te nam juxta recidunt; quando Auſtrius Heros
Ad te rejecit munus, popularis ut agmen
Contraheres gentis: ſtudiis tu pronus in omne
Obſequium Caroli, ſtimulo pietatis & actus

Huic parti incumbis multus, dum cogere tendis
Exortes patriæ juvenes; quibus arma, ſagumque
Induis: atque aurum, Caroli quod prodiga dextra
Annuit, armandis turmis profundere gaudes.
Ipſe nec in faſtus, aut alta palatia partas
Fundis opes, niveo nec ficta e marmore ſigna:
Aut liquidum in fontem, qui pura argenteus unda
Volvitur, appoſitas & lymphis irrigat herbas.
Nam tua ſat prudens pietas, prudentia novit
Sat pia; quod multis dextræ monumenta rapacis
Inſtituant tecta alta, quibus vaſta atria, vaſtis
Porticibus ſurgunt, centum ſpectanda columnis
Tænariis: novit, quod fixum in pariete marmor,
Amiſſi evadat titulus ſpecioſus honoris.
Omnis ubi effigies, ut amica ſilentia ducat,
Obloquitur genio, & reſonâ dum labitur undâ,
In vetitos luxus fons murmurat omnis, & omnis
Dum fluit, inviſas pompas fugiſſe videtur.
Tot tibi tu ſtatuas Præſul caſtiſſime fingis,
Quot juvenes armas galeâ, quotque inſtruis enſe.
Qui cruor Æthiopum porro de pectore fuſus
Hiſpanis gladiis, quavis fulgentior undâ
Fontis, in æternos ſtabit, non effluet annos
Ille tibi: reddetque tuæ pietatis honores,
A ſpeculo veluti vivo, nitidoque relatos.
Quamquam adeo morum niveo fulgore coruſcas,
Lumine tam mentis, tam ſanguine clarus avorum es:
Ut meritò ejicias, reſilit quod lumen ab auro
Ære repercuſſum; gemina dum luce renidet
Impenſum in juvenes aurum: lux inſita cujus
Irra-

Irradiat duplex, ſimul illo ex ære reſultat,
Quod parat, Odryſio damnum maturet ut hoſti.
Quin etiam, terræ veluti Sol igne vapores
Contrahit, in nubis gremio deſcribat ut Irin,
Nuntia quæ ſteriles ditet pluvio ubere terras.
Compactum e terræ ſic ipſe vaporibus aurum
(Hos ſiquidem cogens immiſſa potentia Solis
Erudit informes, aurum quò fingere poſſit)
In propriis manibus, non Cœli in nubibus Irin
Edis, & auratos ſpargis, quos præcinis, imbres.
Sic fuſo ex auro reliquus tibi fulgidus auri
Eſt modo neglectus, qui luce nitentior ipſa.
* Quandoquidē haud ſplendor rerū germanus habetur
* Ille, peregrinum quem lux exotica præſtat,
* Dum levi a maſſæ facie diſpulſa reſultat,
* Atque ita diſſiliens geminat refracta nitorem,
* Dum ferit, atque redit: talem quoque lamina reddit,
* Et picturatum nitida cum ſandyce ſignum.
* Non lux illa quidem, lucis ſed iniqua repulſa.
* Lux porro genuina modo eſt, quam corpore reddit
* Conſpicuo aut adamas, aut omnis dura, nitenſque
* Quæ gemma ingenio eſt; ea quippe meatibus ignes
* Exigit obſtructis, & dedignatur honores,
* Adſcitos, gaudens innato ardere nitore.
Talis es Antoni, dum lumen reſpuis auri,
Et commentitii renuis ſplendoris honores,
Ingenitæ ſolitus radiis ſplendeſcere lucis.
Ergo age, & a geminis veluti producta ſcatebris
Gaudia concipias Præſul venerande; triumphus
Hic ſiquidem, a Libycis retulit quem victor Humada,
Nun-

Nuntius aut alii, conſors aut ille trophæi eſt.
N.12.Nam ſimul Æthiopum legio tua contudit agmen,
Delatum Eugenio eſt, equitum bis dena Gelonûm
Millia, non modico peditum cum robore, cumque
Diluvie Scythicæ gentis, bis millia quina
Explentis, plusquam pleno contendere greſſu:
Ut peterent non dum expleti munimina valli
Externi: quâ Palphiacus Legatus agebat;
Scandere nam ſubito ſperabant impete molem,
Subſidio obſeſſis ut ſaltem Thracibus eſſent,
Si minus obſidio ſocios ſubducere poſſent:
Quod ſibi propoſuit primum tentare Gelonus:
Sed ſpe fruſtratus, ſiquidem quam ferre parabat,
Non habuit, qui poſſet opem ſibi ferre cadenti
A ferro Eugenii, quo concidit interceptus.
Thracis in adventu ſe præripit ilicet ille
Urbis ab aſpectu, laxiſque evadit habenis
Ad loca Palphiades caſtris ubi curat apertis:
Deque via edicit; ſit Starembergius Heros
Cum geminis lecti peditis legionibus illi
Præſto, & viginti campeſtria fulmina ducat.
Haud ſecus ac juſſus Dux hic mandata faceſſit.
Ecce tibi Thracum nimbus decurrit equeſtris,
Effuſâque fugâ ſe protinus invehit hoſti.
Obvius it Princeps, & adacti grandine plumbi
Submovet exceptum: Procerum tum turba Gelonûm
Advolat ad primos, rurſumque ad bella reducit
Increpitans dictis equites, ferroque minatur,
Ni contra revocent verſi veſtigia Turcæ,
Atque iterum illatis ineant certamina ſignis.

Ma-

Major at incuſſus gladio, vultuque Sabaudi
Convertit terror Cicones, Primoribus ipſis
Ejectis: ſubeunt alii, rurſusque laceſſunt.
Hic verò e caſtris Princeps ferus emicat, ira
Percitus, & tota belli cum mole Gelonis
Incubuit: facili prorſus qui marte fugati
Haud mora corripuere viam, ruptisque feruntur
Ordinibus: terror pedibus nec panicus alas
Adſcripſit: pauci Thracum, queis vita pudori
Poſthabita eſt, quamvis ſaliat formidine pectus,
Subſtiterunt paulum: nec pugnæ hos cura morata eſt,
Agminis extremi ſed vero cogere turmas
Dum ſtudium eſt miſeris, caput objecere periclo.
Hos intercepit rabies lymphata Latini
Militis, & nulli eſt permiſſa precaria vita.
Ignovit Princeps reliquis, paſſuſque trementes
Se celeri mandare fugæ: tum tempus in omne
Sanguineo ſanctum eſt documento, & ſtrage Getarũ,
Ne tentamentis quiſquam opportuna putaret
Caſtra, licet ſeptis paſſim nudata paterent.
His propere exactis, Princeps regreſſus ad agmen,
Totus ut obſidio repetendæ incumberet Urbis,
Et rerum ſummæ, cura jam denique liber
Disjecti Thracis: præſentia Principis urget,
Ut labor aſſiduus nullo interdictus ab hoſte
Incœptas foveas confeſtim abſolvere poſſet,
Foſſorum alternis turmis ſubeuntibus antra.
Quorum alius terræ matris fodit icta ligone
Viſcera dilacerans: glebas in corbibus alter
Egerit eductas; certatimque agmine facto

Ma-

Maturant, quod cuique operis, penſumque laboris
Incumbit. pergens ſi longo examine portat
Frumenti formica modum, cum Phœbus apricam
Veſtit humum radiis; ſegetes pars avehit antro,
Pars capit avectas, calidâque exponit arenâ.
Ut vero impenſa eſt ſeries operoſa laborum,
Tandem opus expletum, promotaque vinea ſummum
Pertinet ad labrum, foſſæque crepidine ceſſat;
Vinea nec verò procurrit tramite recto
In ſeptum; at vario flectens ſinuoſa pererrat
Mæandro, varioque aperit multa ora meatu:
Ut quas excepit nullis a glandibus ictas
Cæſareas acies ſub ponte exponere detur
Multiplici ductu, Geticiſque immittere ſeptis.
Nam ſepti in latus ut turmis via penſilis iret,
Quæ foveam juxta, & fluvii quæ jungeret undas,
Eugenius triplicis conſtruxit brachia pontis,
Hæc ſupra pluteus coriis aſſurgit, humoque
Tectus, & Iſmarias defendit tegmine flammas.
Pons ergo foveam ſupra decurrit, & amnem;
Adque pedes ſepti triplex caput illius exit.
Hàc iter a fovea, pluteique a tegmine turmis
Tentandum, accinctis loricæ invadere ſeptum.
Jam gravis armatis, armis jam vinea fæta
Stabat, & expectans miles quæ teſſera belli
Prædicet aſſultum, jubeatque irrumpere muros,
Impatiens ardet; * quis enim cohibere phalanges
* Auſit, ubi affulget ſpes inconcuſſa triumphi?
* Aut ubi barbaricis ſpondetur præda trophæis?
N.13. Ante ſe ad pugnam pubes quam juſſa volaret,
Pal-

Palphius Eugenii nutu raptim agmina ducit,
Per ſpeciem Turcas alia de parte petitum;
Scilicet ut tali diſtractis viribus arte
Diſtineat Thraces, reddatque ad ſepta minores,
Quæ jam propoſitum fuerat ſuperare Sabaudo.
Te Procerum lumen, debellatorque Getarum,
Gloria militiæ, belli fulmenque decuſque,
Vittembergiade major, te dixit in armis
Ductorem Eugenius, qui propugnacula tentes.
Omnia tu, belli ceu diſciplina requirit,
Inſtituis, pubemque locas, acuiſque locatam:
Dumque moram damnas, condictaque ſigna moraris.
N.14. Ecce tibi ſtrepitu tremere excita terra ſonoro,
Et lacer a rabidis ululare fragoribus aer,
Aëra dum lacerat, dum ſibilat impetus ignis.
Omnia nam bolides diſploſa tonitrua librant
Eugenii a caſtris, nec ſolum ut ſigna petendi
Loricam; aſt etiam Turcas detergere ſepti
Ut procul a pinnis poſſent, quo tutior iret
Miles ad aſſultum; caveis volat ergo coorta,
Et plutei obtentu vadit Germanica pubes;
Conferto cuneo, & loricam aſcendere tentat.
Haud ſecus in ſummis ſi quando emerſerit eſca
Fluctibus, e fundo Delphinum excita caterva
Præpetibus pinnis, caudæque impulſa bifurcæ
Remigio, celeres præreptum pabula currunt.
N.15. Ergo ubi magna patet ſtrages, ubi lata ruina
Eſt data, contritæque trabes, confractaque tigna,
Huc iter intendit properans recto agmine pubes
Auſtria, perque trabes, & iniquo ſtipite truncos

Obluctata diu, ſeſeque experta per omnes
Sæpe vias, valli ſemper prohibetur hiatu.
Quandoquidem ſtipes manibus comprenſus, ut auſum
Adjuvet, & juvenes deducat tramite firmo,
Ut qui declivi pendens in calle, ſecutus
Volvitur, & gemino gravior jam pondere factus
Una aggreſſorem ſecum rapit, ille volutus
Præſidio fallente pedem, corpuſque terente:
Unde gradum ad palmas credit, Thraciſque ruinas,
Inde gradum ad caſum nactus, propriamque ruinã eſt.
Præterea Thraces ſua munimenta tenentes,
Et ſuper extantes denſa ceu grandine plumbum
Tormentis fundunt manualibus; ergo ubi tellus
Lubrica fruſtratur tremuli veſtigia greſſus:
Fuſilis & plumbi cum tempeſtate petatur
Miles, in immenſum furiis excandet, & hærens
Frendet, at incaſſum, rurſusque redintegrat iras;
Et certus cadere, aut pomœria clauſa ſubire
Vi magna in vallum adnixus contendit: at ignis
Ingruit, & major telorum injuria creſcit,
Rurſus & infelix oritur laniena virorum.
N. 16. Tum vero, incubuit ſepti cui cura petendi,
Ardet Alexander, clypeique obtectus ab orbe,
Quem levâ erexit, facinus memorabile adorſus.
Tignũ immenſum ingens dextrâ rapit, utque fariſſam
Tractarent alii, aut nodoſo ſtipite clavam:
Vittembergiades magno ſic robore verſans
Sylvam agit, elatâque alte contendit, ubi hoſtes
Anguſtos aditus denſa obſedere corona.
Huc cum delatus, paulumque pependit in ictum,
Sor-

Sortitur viſu, quod tigno deſtinet agmen
Spiſſius: acclinis rapido tum turbine pinum
Incutit, & veluti cæſim diverberat hoſtem
Exitium, inflicta laturus & arbore ſtragem
Eminus: aſpectu primo ſtupuere Geloni,
Defectique animis non audent fundere glandes
Attonitis ſimiles, digitis quin pene remiſſis
Arma cadunt: pinu trepidum tunc occupat heros,
Et ſtrage immenſa totum late atterit agmen.
N. 17. Mox trabe rejecta mucronem ſtringit, & olli
Germanus comitem ſe Maximianus, & unâ
Se ferus adjungit Princeps Beverenus utriſque.
Per medios Turcas, veluti tria fulmina, ternos
Cernere erat gladios celeri vertigine adactos
Ire, redire viam, & Cœli ſimul ire per auras
Brachia, divulſaſque manus, viduiſque lacertis
Abſciſſum caput, & terram fluitare cruore.
Omnia terrorem ſpirant, atque omnia luctum:
Multiplici aſpectu mors omnia cladibus implet.
Hos tres Heroes furias gens Threſſa putavit
Ducentes mortem, vel mortem ad bella ſequentes.
Sic illi avertunt, feriunt ſic fulmine Turcas
Palantes, ruptaque acie, & ſine lege vagantes.
Ut quondam cellis (dulci quas nectare mellis
Examen diſtendit apum) ſi forte viator
Admovet incutiens tædam, pars territa flammis,
Et pars, illapſus fumi quod turbat amaror,
Effugium intendunt raptim, nulliſque facultas
In promtu effugii eſt, regis, vel mentis egenis;
Ergo abeunt redeuntque, & ſemper cerea juxta

Caſtra volant,glomerantq;acies, miſcentq; tumultus.
Haud aliter cum fuſa manus Threiſſa ſolutis
Ordinibus ſibi ſe involvit: nec ſegnius inſtant]
Tres illi Heroes, qui Thracum ad funera turmas
Partiti: ſtragis ducit quâ quemque libido,
Diverſi irrumpunt, & ſternit ſanguine callem
Quiſque ſuum: tam lata patet nam ſemita, quantum
Per gyrum rapido glomeratur turbine ferrum.
N.18. Tempore ſic capto loricæ admiſſus hiatu
Cæſareus miles, plumbi quem miſſilis imber,
Et via diſtinuit, properantior incidit hoſti,
Tempus ut amiſſum redimat, ſtragemque rependat.
Res fluit ex voto: ſiquidem graſſantur in agmen
Germani, nulloque habito lixæve, Duciſve
Reſpectu: involvunt æquali funere Turcas,
Nec diuturna ſitis rivo ſe ſanguinis explet.
Nil porro Edonis vallum foveaſque tenere,
Quas poſt loricam quondam duxere capaces,
Profuit: has celeri conſtantique impete victor
Occupat, atque alias aliis digreſſus adivit:
Æquataſque ſcrobes mutilatis artubus implet.
N.19. Omnibus e Turcis vix paucos martia virtus,
Et belli veteranus honor ſub ſigna coëgit.
Nec vero his mortem cura eſt evadere, mortis
Aſt ignominiam; nam fato incumbere certum eſt
Pugnando: ſiſtunt ſe protinus agmine quadro,
Intentantque enſes, & crudo marte repugnant.
Ut Lea, quæ laqueis circum irretita plagarum,
Ulciſci potius, quam tela evadere tentat,
Nec mortem expallet, modo non contingat inulta.

Sic etiam Turcis animas effundere votum eſt,
Mors ubi dedecoris maculas non contrahat ullas.
Aſt ope virtutis quamvis obnixa repugnet
Bellacis, domita eſt momento audacia Thracum.
Quin horum gravis ira ſuo dum cavit honori
Obluctans, titulos auxit non ſponte triumphis,
Quos & par Fratrum retulit, Beverenus & Heros.
His, ubi militiæ veteris ſtravere Gelonos,
Aut nullo ſtetit, aut tenui ſudore triumphus,
Qui fuit Iſmaridum reliqua de plebe relatus:
Plus ſiquidem Thracum pubes tria fulmina pallet
Heroum, falcem mortis quam palleat ipſam.
Terminus hic ſtragi poſitus; nam tutus in urbem
Se recipit, quisquis dextræ diffiſus & armis;
Spiritus in plantas cui confluit omnis, abitque.
Qui vero excluſi portâ, ſi tela remittant,
His ultro Heroes parcunt in vincla petitis.
Sanguinis in fluvio ſiquidem currentis ubique
Ira ſuas flammas, iras extinxerat enſis.
N.20. Interea Turcæ diverſa parte morati
(Quos ibi diſtinuit mentitus bella, minanſque
Palphius) edocti jam munimenta tenere
Germanos: illuc omnes uno impete tendunt:
Unde procul ſociûm jam turba ejecta fremebat:
Et jam firmata ſtabant ſtatione Latini.
Ergo ubi perventum eſt, diffiſi expellere telis,
Præſidium a flammis quærunt, tædiſque coruſcis
Armati ſubdunt adjectis lampada truncis;
Id vero hac cauſa, ut victor deprenſus ab igne,
Si minus a capta vellet diſcedere ſede,

Ar-

Ardeat in cinerem verſus, plauſuſque triumphi
Deſinat in fumum: ſi vero cederet ultro,
Tum labor in flammas, & caſſus ſudor abiſſet.
H.21. Haud mora: ſubjecto truncis arentibus igne
Arida materies flammis correpta coortis
Ardet, & illapſus contractis viribus undat
Ignis in immenſum, & latè Vulcania currit
Per tigna obrepens acies, & protinus omnem
Eſt molem pene, & ſæcli rapit hora laborem,
Hora vorax, magnæ juſſis an Virginis hora
Hæc ultro obſequitur? gaudens coluiſſe triumphos,
Quos ope Virginea retulit de Thrace Sabaudus.
* Certa fides, Superum contingunt omnia nutu,
* Quæ ſorti adſcribit falſi mens neſcia vulgi.
Ergo manus Ciconum Virgo deduxit ad ignes
Ignaras, Virgo flammas per lignea ſepta
Duxit, & oblatos ſic eſt teſtata triumphos.
N 22. Quandoquidem ut flammas in propugnacula Virgo
Fudit, ad indicium palmæ venientis ab aſtris,
Sic eadem Virgo glandes avertit, & ignes
Odryſios, magni lædant ne Principis artus.
Ut foret id ſignum, & pignus communis amoris,
Quo Matri Eugenius ſervit, ſervatque Sabaudum
Illa ſuum, liber caſus evadat ut omnes.
Nam dum pugna tenet, variis dum caſibus anceps
Pendet, & exigitur, ſeptoque admittitur hoſtis:
Æquoris in morem fluctu ſubeuntis arenas,
Et procul alliſas undas revocantis in altum:
Conſtitit excelſo tumuli tum vertice Princeps
Arduus, altus equo, turmas conſpectus ad omnes
Un-

Unde ſui foret, unde ſuas ſpectare catervas
Poſſet, & intuitu, trepidas quo concutit Urbes,
Ad pugnas animos, animis ſubmittere vires.
Sic ille immotus plantas, immotus & artus
Subſtitit, huc illuc tantum ſua lumina verſans.
Ut pro re nata turmis edicere poſſet,
Qua parte aſſultus duplicent, qua parte remittant.
Nec latum exceſſit culmum, dum prælia fervent,
Digreſſusve loco eſt, donec lorica ſubacta eſt.
Tempore quo Turcæ caſtos in Principis artus
Omnia delibrant, ſeu quæ manualia parvas
Explodunt bolidas, ſeu quæ muralia grandes
Delibrant tormenta: metit grando ignea plures,
Qui circumjecti medium cinxere Sabaudum.
Solus at intactus, nec glandi abnoxius ulli
Ille fuit, quando clypei ſub tegmine tutus
Extitit; is porro clypeus de millibus unus,
Virgineæ turris qui fixi in fornice pendent.
Illius obtentu defendit Virgo Sabaudum,
Avertitque alio (nam dignum eſt credere) glandes.
Nec jam inconſulta Princeps, vanaque moratus
Eſt illic opera; * neque enim ſuccedere muros
* Eſt Ducibus, quorum caſu victoria ſæpe
* Deſinit in cædem, victuſque ex hoſte triumphat.
Id fuit in cauſa, quod Princeps abſtinet ire,
Et ſtimulos inhibet, quos ſæpe in pectore fixit
Inſita fax animi medios rapientis in hoſtes.
Se prius in præſens mavult nam vincere Ductor,
Quam Turcas: melius Turcas ut vincere poſſet.
Nec ſtudium eſt illi propriis tentare periclis,

Ut

Ut certo alterius ſuperet diſcrimine vallum.
N. 23. Nam dũ ſpectatur, dum cominus agmina ſpectat,
* Omnibus in manibus præſentia Ptincipis enſem
* Tractat, & ardorem quovis ſub pectore pugnæ
* Aggerat, imbelleſque acuit, revocatque furorem
* Ceſſantem, & viſu fortes accendit ad iram.
* Haud aliter Titan quamvis ſubmotus ab orbe,
* Vis ea Phœbeæ eſt, & tanta potentia flammæ:
* Omnibus ut reddat vires, rebuſque calorem,
* Quo ſine torperet quicquid viget orbe triformi.
* Sic etiam, aſpectu quantumvis inde recedens
* Dux agitet, turmis ſuccurrunt illius acta
* Inclyta, & hinc virtus, hinc martius additur ardor:
Tam valet ad turmas facies ſpectata Sabaudi,
Ut ſociis vires addat cum viſa, videnſque eſt!
Lampas & ut ſuccos pinguis depaſta Minervæ
Explicitis longe radiis procul amovet umbras,
Perpetuo & tractu lucem, quâ pertinet, edit
Jactatam, ſic conſpicui præſentia quoquo
Eugenii patuit, pellit formidinis umbras,
Et lucem inducit, qua virtus martia fulget.
Ac nimium effulſit virtus hæc martia gentis
Cæſareæ; nam poſtquam incendia miſcuit hoſtis
Thracius, ut truncos loricæ abſumeret igne.
Hoc facto coeunt, ſummaque ope pellere tendunt
Cæſareos ſtatione ſua (firmata Latinis
Jam ſtatio fuerat ſepti pomæria juxta)
Hac parte irrumpunt Turcæ, ſed glandibus ictos
Teuthones excipiunt, ipſi prius imbre petiti
Ignito: ſubeunt ſtricta tum cuſpide vallum

Thra-

Thraces, ut Auſtriacas abigant ex aggere turmas)
N.24. Non paſſi hanc ſpeciem, ſtimuliſq. furentibus icti,
Quo minus Edonis auſi decus iſſet inultum,
Haud mora proſiluere, ruunt (furor addidit alas)
Vittembergiadæ Fratres, Beverenus & Heros:
Seque agili ſaltu, Turcarum ubi copia major,
Injecere; vident Thraces veniſſe, ſtupentque;
At vero adventum vix pleno attendere ſenſu
Attoniti potuere: Duceſque ex æthere lapſos
Rentur, & e Cœlo pariter veniſſe ruinam.
Sic etiam Larvas inter deſerta viator
Ex improviſo ſi juxta adſtare tuetur,
Stat pede ſuſpenſus, penituſque oblitus eundi
Ora tenet, quin & donec ſe colligat ille,
Vitaleſque actus revocet, mentemque receptam,
Seu captum ſanæ credit ſe lumine mentis,
Ducere ſeu vitam vitæ tamen uſibus orbam.
Tum ſubitam ad cædem juvenum tribus enſibus actam
Iſmarii cecidere animis: non unus & alter
Occidit ante ſuum, quam mente adverteret, hoſtem,
Exciretque animo furias, ſegnemque ſtuporem
Excuteret: quorum mors continuata timori eſt:
Nam fatum, fatique minas ſimul attulit enſis
Fulmineus, quem terna acies rotat: agmina terna
Quandoquidem Heroes referunt, ſi lumina flectas
A Ducibus, cæſique ſtruem meditabere Thracis.
Impete tum celeri, qui perrupere Geloni,
Ilicet afflicti, tutis ſe mœnibus abdunt.
Urbis ad intactos dum muros usque ſecuti
Inſtiterunt ſemper Turcis Heroes, & armos

Hh Con-


Concidunt, nacti ſemper mucrone trucidant.
His tribus Auſtriaci ſuccedit militis unda,
Atterit Iſmarias & confertiſſima turmas.
N.25. Queis vel compulſis partim, vel parte necatis:
Thracum alii, quorum viſa eſt via longa timori
In muros recipi, & facilis quæ poſſet ab hoſte
Præcidi, fruſtra miſeri petiere ſalutem
A ſcrobibus, fruſtra e caveis certamina tentant.
Nam qui telluris tractus ſe porrigit urbis
A muro, & tangit loricæ ſepta ſubactæ
Conſitus aggeribus, foveisq; ingentibus idem:
Has ſubeunt Turcæ, quorum pars funera nacti
Sunt ibi, quâ vitam quærunt ſibi, quâq; receptus
Crediderant tutos, illic reperere ſepulcrum.
N.26. Ac niſi ſuppetias iſſet Dux ipſe Sabaudus,
Non adeo acciderit felix eventus, at anceps
Aut erat, Auſtriadis aut multa clade ſtetiſſet.
Dum ſe Threſſa tenus mento gens occulit antris,
Inde manus, manibusque enſes exertat, & hoſti
Mucronem intentat, non opportuna Latinis
Ipſa armis, altæ quod tecta crepidine foſſæ:
Et manus Auſtriadum ſi contra tendere vellet,
Se Ciconum indueret telis, & inulta periret.
Ergo hæret, dubiiſque animis jacet: ecce Sabaudus
Advolat: adventum juvenes ſenſere, novuſque
Inſinuat furor, & vires accendit inertes.
In foveas librant rapidis ſe ſaltibus omnes,
Omnibus eſt potius Turcarum occurrere telis,
Ora indignantis quam ſuſtinuiſſe Sabaudi.

Ergo

Ergo ubi Cæſarei foveas tenuere, Gelonis
Se rabidi involvunt, & adactum turbine ferrum
Præpropero glomerant, atq;agmina Thracia cædunt.
Eugenius ſummo foſſæ de margine vires
Sufficit Auſtriacis, aſpectuque excitat iras
Arma tenens: jam jamque ſcrobes initurus & ipſe,
Ut ferat auxilium, quoquo res exigat arcta.
Principis aſpectu pubes Germanica vires,
Atque animos hauſit perdendis hoſtibus aptos.
Sic etiam pecudum, & præpes Regina volucrum
Cum ſobolem educit cryptæ ſtatione, jugique,
Ut prædam aſſueſcat, victus & quærere rapto:
It prædo nondum dentes expertus, & ungues
Suſpenſus, timiduſque ſui, vultuque ſubinde
Vertitur ad matrem; mater monet ire tuendo:
Ille ruit, prædamque inhians oppugnat: at inter
Pugnandum, ſeu forte ſibi, ſeu palleat hoſtem
Multa reluctantem, fixo cum lumine matrem
Poſcit opem; mater jam jam ruitura minatur:
Inde audet, ponitque metum, graviorque laceſſit
Raptor,* & auxilii eſt ſpecies ſpes certa futuri
* Auxilii, hæc acuit vires, diſcerpat ut hoſtem.
N.27. Ergo adeo æqualis quando victoria parta eſt,
Eugenii juſſu foveas ſubiere manipli
Auſtriaci, ſtatio quâ tuta a glandibus hoſtis
Eſſet, ut ad muros produci hinc vinea poſſet.
Tum labor excepit major, tunc undique fervet
Majus opus; tumulos alios muralibus aptos
Tormentis turmæ inſtituunt, ubi plurima ſedit
Ignipotens moles: Urbis tum mœnia propter

Continuant vallos, intermiſſasque cavernas:
Tutus ut ad muros tranſverſis callibus iret
Miles, & exciſas poſſet ſuccedere rimas.
Dum vero impendit foſſor, mileſque laborem,
Indulgetque libens: it mutua flamina per auras
Excidium mortemque ferens: jaculatur ab Urbis
Mœnibus innumeras ſclopo gens barbara glandes:
Urbis & in muros ſepti ſub vertice partim
Tormentis, partim campi ſtatione locatis,
Aſſiduos ignes, tempeſtatemque pilarum
Germani artifices librant: communis utrimque
Hinc oritur late clades, cæduntque caduntque
Ex improviſo ſubitis aut ignibus uſti,
Aut fixi Auſtriaci pariter, pariterque Geloni.
Major at eſt cædes, quæ noſtras undique turmas
Excipit; hæ ſiquidem propius ſuccedere muros
Dum nimio intendunt ſtudio, ſe ſponte periclis
Objiciunt nudos, plutei nec tegmine tutos.
Si minus & vitæ caſus, Scythicaſque ſagittas
Expallent: quin ipſe labor depreſſus ad ima
Viſcera telluris multos abſumit in antris:
Seu quia deficiunt, quas ducat ſpiritus, auras
Faucibus eliſis; terræ ſeu diruta maſſa
Et necat & tumulat, quos occupat illa, maniplos.

FRAN-



VIRGO rogat, [2] *Thraciq* [3] *Metum, quo cedat ab* [4] *urbe,*
Incutit [5] *EVGENIVS ut venerabile* [6] *Pignus adorat.*

Digitized by Google

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER VIII.

N.1. P*Reces B. Mariæ Virginis ad Æternum Patrem deprecantis, ut finis labori obſidionis imponatur.*

N.2. *Oratio Æterni Patris annuentis precibus B. Virginis Mariæ, & Cœleſtis Curiæ ſupplicantium pro Carolo & Eugenio.*

N.3. *Virgo Parens actis Deo gratibus Aligerum mittit, ut Metum ab Inferno devocet terrorem Turcis incuſſurum.*

N.4. *Quis ſit hujuſmodi Metus in Inferno, ubi nullum pœnarum novum genus, luculenter diſſeritur.*

N.5. *Juſſus Metus adeſt, & territat* Turcas.

N.6. *Perculſi formidine hoſtes album vexillum dedendæ urbis teſſeram, extollunt.*

N.7. *Alexandri Vittembergici facinus memorabile, & mira animi moderatio.*

N.8.

N.8. *Expenditur intactæ Urbis deditio præcox, & inde Eugenii virtus commendatur.*
N.9. *Loco Lunæ in Urbis muris Crucis vexilla eriguntur.*
N.10. *Eugenius ad aſpectum Crucis exultat, & eandem adorat: ejus exemplum ad unum omnes ſequuntur.*
N.11. *Eugenii ſenſus audientis ſacrum Pæana (Te Deum).*
N.12. *Eugenius a bello repetens Vianam effuſo Pannonici, & Vianenſis populi gaudio excipitur.*
N.13. *Cæſareæ Aulæ Procerum, & invictiſsimi Cæſaris ad Eugenium gratulatio.*
N.14. *Mercius ab Eugenio Legatus in hybernis relictus Banzovam aggreditur.*
N.15. *Mercius in medio igne intrepidus.*
N.16. *Banzona deditur: cujus Præfectus gladio multatur: Oratio Præfecti ad Mercium, Mercii ad Præfectum gladio donatum.*
N.17. *Mercius miſeratus exercitum frigore afflictatum in hyberna partitur.*
N.18. *Steinvillus Chiliarchum Detinum mittit decurſiones in Daciam facturum.*
N.19. *Detinus egregie id exequitur, & fuſis paſsim Turcis, Regiam Dacorum Urbem ex improviſo occupat.*
N.20. *Detinus capit Maurum Cordatum Daciæ Regulum: (ideſt Vallachiæ Coſpodarum.)*
N.21. *Oratio Mauri Cordati ad Detinum deprecantis libertatem, & tercentum florenos promittentis.*
N.22. *Oratio Detini libertatem dare, & florenos accipere negantis.*
N.23. *Detinus ob id facinus commendatur.*

Ejuſ-

Ejuſdem Agnelli de Amato aliud argumentum.

Diva rogat: Divæ precibus Deus annuit: Urbem
Thrax dedit: vexilla Crucis Dux pronus adorat,
Gratatur reduci Cæſar: capit oppida plura
Merciades: Lacumque petiit in vincla Docinus.

LI.

Digitized by Google

LIBER VIII.

N.1. TUm vero Auſtriacæ gentis miſerata labores,
Et facilis Virgo Caroli, votiſque Sabaudi
Paſſa manus, poplites demiſſa, & cernua vultum
Procidit, & magno ſupplex ita fata Parenti.
Omnipotens rerum Genitor, cui gloria major
(A) Eſt ea, quod puræ complectens lumine mentis,
Dum te, dumque tuí dotes íntelligis altas,
Æquævum generas Pignus: dum Pignus amore
Proſequeris, vel amare ſimul, (B) procedit utrinque
Spiritus ignipotens, idemque es Trinus, & Unus,
Et tua lux eadem triplici ſe lumine fundit;
Nec lux dividua eſt, lumenve a lumine diſtat:
Lumen inaceſſum, nulli lux pervia, lumen
Quod ſibi conſpicuum ſoli eſt:(C) viſumque videnſq;
Te beat; & cauſa eſt ſemper ſatieris ut illo:
Eſurias ſemper; tituli tum mille ſequuntur,
Mille poteſtates: titulos aſt eminet inter
Dius amor, quamvis reliquis par ordine, datque
Jura poteſtati, ſit quamvis ipſa poteſtas.
Ille tuas dotes, & dextræ dona potentis,
Quâ licet, humano generi pius annuit, ille
Sit felix Caroli ſtudiis, faciliſque labori
Eugenii: objecit primus ſua regna periclis,
Vitam alter, lætique inhiant impendere honori
Cuncta tuo, refer ergo vicem, quo ſæpe rependis
Fœnore. Sed video nil illi tale merentur,

Quod-

A D.Tho.quæſt. 27.art.2.p.1. B Quæſt.41.art.2.p.1.& quæſt.41.per tot.p.1.
C Quæſt.8.art.p.1.

(A)Quodque opus incumbit,præſtant; ſed tale meretur,
In cujus recident olim data munera laudem,
Dius Amor, meruit Pietas: ſuccurrere caſtis,
Cui plus ſolemne, & major fluere unde videtur
Lætitiæ ſenſus (veniam precor annue dictis)
A tot quam titulis: Pietas hoc jactat Amorque,
Non aliud. tu dius Amor Pater Optime, tuque
Es Pietas: & quod Pietas dicaris, Amorque,
Et placet, & jactas reliquis præ dotibus unum.
Haud etenim oſtentas, expers quod corporis imples
Cuncta,nec es clauſus:complectere cuncta,nec idem es
Excluſus, dum te ſolum, tunc omnia ſpectas:
Dumque manes in te, Cœlo terriſque vagaris.
Quodque ea percurrens nuſquam diſcedere, nuſquam
Deveniſſe potes: nunquam defeſſus agendo
Semper agis, ſed ſemper agens in pace quieſcis,
Tempora dum volvis, nullis obnoxius horis
Temporis es; ſemenque, & finis temporis extas.
(B) Una dies ortus, medii, vel neſcia metæ
Secla tibi ſunt: prima dies conjuncta ſupremæ
In te coſtat adhuc eadem, ſemperque fuiſti
Qualis es: & qualis fueras, eris inde futurus.
Quicquid ubique boni eſt,quicquid vel ubique venuſti
A te ſemen habet; verum nuſquam extitit in te,
Ceu prodit; ſiquidem excelſa ratione fovetur;
In te nam ſpecies puro, vel ſimplice ſenſu
Omnis ineſt, penituſque notis exuta renidet,
A te ſed cedens vultus pictura creatos,

A Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Luc.17.v.10.

B Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præteriit. Pſal.89.

Ex horum attactu maculas ſortitur inuſtas.
Quin & triſte bonum, ſpecies deformis ineſſent,
Si modo ceu coſtant, ad te revocata redirent.
Cumque alias habeas dotes, quas dicere cunctas
Eſt ſtultæ; veluti nullas perſtringere mentis
Ingratæ: miſſis reliquis, tibi vertis honori
Quod pius es: propriumque tui miſereſcere jactas.
Si reliquis titulis, ſine metâ copia quorum eſt,
Religio facit una fidem; dum victa voluntas
Obſequium injungit menti, quo credere cogat.
Si largas Pietatis opes, ſi munus Amoris
(A)Terra refert, maris unda canit, Cœlumque fatetur:
Auſtriadæ votis Caroli, ſtudiiſque ſecundus
Adſis Eugenii, & gentis miſerere Latinæ,
Quæ ſequitur tua ſigna, tuos quæ certat in hoſtes.
Jam ſatis exhauſtum duro ſub marte laboris:
Quæ ſuperat, partem pietas tua magna remittat
Ancillæ precibus; fateor nil tale mereri,
Sed (B) qui dignaris nomen commune Parentis,
Nil adimens tibi, nil mecum partitus, habere,
Id dare digneris, famulæque hoc annue votis.
Spero equidem, * nec caſſa fides fraudare rogantem
* Me votis poterit; nam quamvis omnia poſſis,
* Non potes abnuere, & ſubmiſſas temnere voces
* Fruſtratus; ſi caſta rogant, ſi plurima votis
* Spes inerit, vota expugnant te pene, ligantque:(C)

* Nec

A Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentū. Pſ. 18.
B Vt poſſit dicere Filius meus es tu, ego hodie genui te, neque in Perſonis creatis, neque in Perſonis increatis reperitur hæc incogitabilis dignitas, niſi in una Perſona Divina, quæ eſt Patris, & in una Perſona Humana, quæ eſt Matris. S. Bernardinus Tom. 1. Ser. 52. Art. 2. c. 2.
C Vt eſt illud Domini ad Moyſen orantem: Dimitte me, ut iraſcatur furor meus. Exod. 32.

* Nec tua quit pietas placitis pugnare catenis.
Sic memorat Virgo, ſupplex cum Virgine vota
Aligerum chorus omnis, & omnis Curia Divum
Addit, & Auſtriadæ vitâ, caſtiſque Sabaudi
Moribus admonita, & niveæ probitatis amore
Evincta exorat finem demum eſſe laboris.
Tum Pater Omnipotens infit, non ore loquutus,
* Sed loquitur; quoniam ſenſus vult mentis apertos.
* Pondus habet, dictique vices Divina voluntas:
Hæc ſumma, hæc tacitæ porro ſententia vocis.
N.2. Alma quid indulges precibus, quid abutere ſupplex
Filia? ſubmiſſis nullus tibi vocibus uſus,
Quæ potes imperio, Cœli Regina, Parenſque
Æternæ Sobolis, (A) quando tibi credita Proles
Eſt mea, tunc omnis rerum permiſſa poteſtas:
Utere jure tuo; (B) quod noſtra potentia, dono
Tu potes; (C) ob Regem natum tibi reddita duplex
Ancilla eſt: mortale genus quarum altera, Divûm
Altera: quâ jubeas hilares ultroque ſequentur.
Idque parum: præſto eſt juſſis Deus ipſe, tuiſque
Imperiis paret Materno jure coactus.
(D) Debitor omnipotens, cui debent omnia, Numen
Eſt tibi, tu ſemper (felix dum vita maneret)
Obſequio Numen, vitæ poſt tempora Numen
Te colet obſequio ſemper: tuus aureus ille
Nutus, ut humani generis Deus induat artus,

A Maria rerum omnium conditarum Domina effecta eſt cum Creatoris Mater extitit. Damaſc. de Fide lib. 4. c. 15.
B Accedis non ſolũ rogans, ſed imperans, Domina, non ancilla. Damia. ſer. 2. de Nat.
C Duæ famulæ, quarum Domina eſt Regina Maria, ſunt Angelica, & humana creatura. Bonav. in Spec. Virg.
D Euge euge quæ tibi obnoxium habes illum, qui omnibus fœneratur. S. Method. ſer. 5. de Purific.

Fecit: & hic idem nutus pervicit (A), ut omnes
Divinas in te dotes fudiſſet, opeſque
Rex ſuperum, quantas Hominis finita ferebat
Conditio; hæc eadem porro tot dotibus aucta,
Tot donis cumulata fuit, (B)faſtigia noſtri
Ut pene attigerit ſolii, ſic pene Tonanti
Æqualem fieri decuit, quæ Numen habere
Debuerat natum: quin ſi Deus editus a te
Non foret, ob meriti cumulos incedere rerum
Debueras (C) Regina, ſinu quas claudit Olympus,
Quaſque fovet tellus; meritorum ea copia nempe
Eſt ingeſta tibi (D), ut talem ſola edere Natum
Mater debueras, alius nec Filius uſquam
Debuerat ſuperas te Matre exire ſub auras
Quam Deus: (E) utque Dei Mater non freta rogati
Immenſa pietate Dei modo, freta Parentis
Aſt etiam titulo debes audere rogando.
Cum reliqui Superi tantum bonitate Tonantis
Confiſi ſperent, ut felix vota ſequatur
Exitus: at nullo quamquam nitare Parentis
Jure, tuæ plus Virgo preces o alma merentur,
Plus mihi ſunt cordi, vel ineſt plus ponderis illis,

Quam

A Quod fœmina conciperet Deum fuit miraculum miraculorum; oportuit itaque elevari Virginem ad quandam, ut ita dicam, quaſi æqualitatem divinam per quandam infinitatem perfectionum. S. Bernardinus.

B Ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem uſque ad ſolium Divinitatis erexit. S. Greg. in 1. Reg. c. 1.

C Etiamſi non fuiſſet Mater Dei, propter eius perfectionem, non minus debuiſſet eſſe Domina Mundi. S. Bernardinus t. 1. ſerm. 61.

D Nec alia Mater talem decebat Filium, nec alius Filius tali inveniri poterat Matre. Ricc. a S. Laur. lib. 4. de laudibus B. Virg.

E Deiparæ eſt nobiliſſimus modus orandi, quia habet rationem imperii: oratio Sanctorum non innititur alicui rei ex parte ſui, ſed tantum miſericordiæ ex parte Dei. Oratio autem Virginis innititur Gratiæ Dei jure naturali, & juſtitiæ; nam Filius non tantum tenetur audire Matrem, ſed obedire. D. Anton. 4. p. Tom. 15. c. 17. §. 4.

Quam cunctis Superum votis, Hominumque querelis.
Quotquot habet, quotquot tellus, & Olympus habebit,
(A) Tu mihi Cœlicolas omnes tu præter amaris,
(B) Cœlicolas tu præter amas : tu Mater amoris.
(C) Montibus in ſanctis primæ fundamina vitæ
Erigis, incipiens probitas quà deſinit omnis:
Plus ego, plus limen quo vitæ exordia nacta es,
Diligo, quam meritis perfecta palatia Divûm.
Nec tantum tellus ab Olympi vertice diſtat:
A te quam diſtat, Superum quam Curia cedit.
(D)Nullus ubique bonus, nobis collatus, habendus;
Et tibi commiſſus, nullus probus eſſe putandus.
Sol ego, ceu flammis fulgentia ſydera perdo:
Sic hebetas tu Luna tuo cum lumine ſtellas.
(E)Omnia(quod reliquũ eſt)parent, & Virgo Tonantis;
Virginis imperio parent & cuncta, Tonanſque.
Quod libet, i peragas; nam qualis gratia tangit
Te Caroli, caſtique Ducis, populique Latini,
Me ſubit & talis Regis populique Ducisque.
Horum relligio, & pietas jam cana meretur,
Atterat ut penitus Turcas, expugnet & Vrbem.
At mihi dilata eſt duplici victoria cauſa:
Scilicet ut creſcat meritum creſcente labore.
Quodque habui potius, placuit, ſit munere palma
Par-

A Deus plus amat ſolam Virginem, quam reliquos Sanctos omnes. Aug. Bonav. Anſel. apud Suar. 3. p. Tom. 2. diſp. 18. ſect. 4.

B Quid mirum ſi præ omnibus diligat, quæ præ omnibus eſt dilecta. Bonav. in Spec. c. 6.

C Fundamenta ejus in Montibus Sanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Pſal. 86.

D Quidquid eſt citra Deum incomparabile eſt Mariæ: ſicut in comparatione Dei nemo bonus; ita in comparatione Matris Dei nulla creatura invenitur perfecta. Ricc. a S. Lau. l. 4. de laudib. B. Virginis.

E Divino imperio omnia famulatur & Virgo; Virginis imperio omnia famulantur & Deus. Bernard. t. 1. ſer. 6.

Parta tuo: cuius dono quæque optima cedunt.
Lex ea nam dudum ſancta eſt: tu Diva canalis
Inſtar es, unde fluit ſuperi ros muneris omnis.
N.3. Hic ſimul ac Virgo grates ſubmiſſa Tonanti
Solvit, & accivit laudum in conſortia Divos.
Aligero edicit limen ſuccedat ut Orci,
Educatque Metum patriæ ſtationis ab oris,
Terreat ut Turcas, atque Urbem dedere cogat.
Tum lapſu Alipotens ſtygias ſe librat in oras:
Quâ Timor æterna ſontes formidine terret.
N.4. Quis Timor hic porro eſt, ubi pœnas quiſq; perēnes
* Pro ſcelerum numero, ſceleris pro pondere ſolvit
* Æquales: idemque ignis plus ſævit in illum,
* Quem gravius crimen luere addecet, idque tenore
* Perpetuo: culpæ flammis alimenta miniſtrant,
* Nequitiiſque ſuis paſcunt: eademque fuere,
* Quæ ſunt, quæ ſontes olim tormenta manebunt.
* Unde habet ergo Timor; ſi Cœli a ſedibus exul
* Spes nuſquam exacuit, nulla eſt quæ cura remordet
* Felices animas, dubiiſque eventibus angit;
* Quippe chorus Superum cœleſtis ab ubere ſedis
* (A) Ebrius extabit ſemper, ſemperque voluptas
* Numinis exuperans ritu potabit eodem,
* Quo ſemel, æqualis veluti torrentis ab unda.
Ergo ut ſpes nulla eſt, eadem quia gaudia ſemper,
Nullus erit terror, ſeries ubi firma malorum eſt:
* Fallimur heu miſeri, mentis ſi lumine ducti
* Gaudia Cœlicolum, pœnas rimamur Averni.
* Fit lux mentis hebes, ſi forte offendit in umbras
* Ditis, inacceſſum Cœli ſi lumen adibit:

Gran-

A Inebriabuntur ab ubertate domus tuę, & torrente voluptatis tuę potabis eos. Pſal. 31.

Grandius hic lumen, mentem illic obruet umbra.
Nec mirum, fixas acies in lampada Solis
Intendas, antri cęcas ſuccede tenebras,
Evades oculis captus face Solis, & umbris,
Aut nimia offuſis, aut nulla luce tenebris.
Si qua tamen ratio eſt, qua conjeciſſe timorem
Convenit æternum, ſtygiis qui regnat in oris,
Eſt ea fortaſſis; Ditis quippe horrida turba,
Cui labor incumbit per pœnas ducere ſontes,
Millibus e formis ſe rurſum in mille figuras
Induit informes atras turpeſque feraſque.
Nunc abit in colubrum, mox explicat ora Leonis
Rictu invadentis, ſublatoque ungue minantis.
Horrida fit Tigris, tum Tigris parte retenta
Dimidiâ, & ventri caudam commiſſa draconis
Dente ferit, ſtringitque animas complexa nocentes
Bis medias ſpiris, rugitque & ſibilat unâ.
Tam variæ facies, miracula tanta ferarum
Efficiunt, ut perpetuus ſit Terror in Orco:
Qui præſens animas torquet, terretque futurus.
Nam ſontes animæ metuunt, ne peſtis Averna
Obvia luminibus fiat deformior ore,
Et vice perpetua rediens truculentior inſtet.
Aligeri juſſis ergo venit unus in auras
E Stygiis canibus: Ditis quo nullus in antris
Terroriſque parens, curæque infenſior auctor.
Torva ſupercilium, fuſos impexa capillos.
Suſpicio, figenſque oculos paſſim omnia verſus.
Prægreditur Monſtrũ: Monſtro comes additur Angor,
Cui macies artus, pallor conſumſerat ora.

Tum

Tum variæ ſubeunt, Ditis ſæva agmina, peſtes:
Tabeſque, Ærumnæque, Dolorque, ægræque Querelæ.
Sub canis adventum ſubita ferrugine Cœlum
Palluit obductum: ſubita vertigine tellus
Movit, & ignoto nutant tentata tremore
Mœnia, queis late prætenta Temeſia ſurgit.
N. 5. Hic ubi delatus ſtygius Timor adſtitit, horror
Per Thracum inſinuat venas, riguere capilli
Injuſſi, ſaliunt tremulæ ſub pectore fibræ.
Nomine nec pallent uno, priſcoque timori,
Quem prius Eugenii virtus incuſſerat hoſti;
Hic novus accedit, truculentuſque ingruit horror
Infernæ adventu peſtis; non una Sabaudi
Odryſiis ergo facies metuenda videtur,
Nec tot & Heroum vultus modo pectora Thracum
Percellunt, gelidoque exolvunt frigore membra;
De grege ſed quivis miles terrore fatigat
Iſmaridum falſos ſenſus; nam lumina flammis
Stare putant, raptimque caput ſe attollere Cœlo,
Brachiaque æthereas excurrere vaſta per auras,
Nec ſolito ferro jam dextra armata videtur;
Sed gladii ſclopique loco librare cometas
Terrificos, & crine vago ferale minantes.
Haud ſecus in ſomnis fallax offertur imago,
Quæ brevis aſpectu primo, redit altior inde,
Extollitque modis immania corpora miris.
Sic apud Iſmarios viſu ſi ludit inani
Auſtriacus miles, Procerum plus terret imago.
Hinc enſem Eugenii tantum procurrere credunt,
Ætherei quantum extendit ſe cauda Draconis.

Utram-

Utramque amplexi ſinuoſis orbibus Arcton.
Palphiadæ cuſpis, gladius quem tollit Orion
Creditur: Alciden delapſum ex æthere rentur
Terribilem clava, & metuendum pelle Leonis,
Æquore cum campi ſurgit Beverenus aperto.
Quin & Aolidas, belli duo fulmina, credunt
Vittembergiacos Fratres: jam mœnibus illos
Admiſſos metuunt, jam viſcera ſibilat inter
Fulmineus gladius, truncos jam demetit artus.
Nec vero pecudi tanto Panthera timori eſt,
Cum caput exertat, viſuque infeſta minatur
Triſte tuens, quanta invadit formidine Thracas
Vindelicus Princeps, aperit cum caſſide demta
Triſte ſupercilium, & geminum ceu fulmina lumen,
Aſpectu exanguis muros gens Thraſſa relinquit,
Nec memor eſt uſquam belli, ſonus excitat omnis
Suſpenſam, ſclopoque omnis quæ flamma coruſcat,
Exitii extremum, atque incendia ferre videtur
Aut Ætnæ, aut noſtri flammis majora Veſevi.
N.6. Nulla ſalus armis, precibus contendere præſtat,
Et veniam petere, & ſtratos ſubmittere faſces.
Nec mora fit: Procerum pariter conſenſus, & omnis
Militis explicuit nivei vexilla coloris,
Quâ conſternatos animos confeſſa Getarum,
Quâ dedendæ Urbis certum teſtantia pignus.
Quam bene conſultum vero ſapientia Divæ
Virginis in Turcas voluit, quæ plectat ut hoſtes
Uſa miniſteriis hoſtis, quo conſona culpæ
Pœna foret. ſtygii eſt, audens in bella, ſequutus
Thrax canis impulſus, ſtygia formidine ceſſet.

Infernus quin ipſe canis quam jure coactus
Iſmariis inferre metum ; quando ille timorem
Incutere Auſtriacis ſtuduit , vireſque Gelonis .
O ſalve æternum Virgo , Sapientia ſalve
Virginis æternum , tuque æqua potentia ſalve,
Conſilio hoc relevas ; præſtas & dona labori
Auſtriaco , pœnaſque jubes luat hoſtis uterque:
Cogat ut infernus , candentia ſigna coactus
Thracius extollat , portas recludat & Urbis.
N.7. Ante ſed exererent quam candida ſigna Geloni:
Hoc rerum articulo ſtatio quæ proxima murum eſt,
(Ut regere , ad ſubitos ut belli occurrere caſus
Poſſet) Alexandro fuerat legata , receptæ
Ille ſed imprudens arcis , memorabile belli
Interea exequitur facinus , quo protinus omnis
Expugnata foret momento audacia Thracum.
Ergo ut propoſitum quondam fuit , ille paratas
Centenis ſcalas gradibus promoverat acer
Ad trepidæ muros Urbis , ſicque ille ferebat
Proceram ingentem tenui conamine molem,
Sic tollit ſic verſat agens , velut alter ariſtam .
Jam vero applicuit ſcalas , jam fervidus ira
Sylvam iniit , denoſque gradus evaſerat , orbe
Protectus clypei immenſo : fruſtra appetit hoſtem
Dividua in lapides rupes , igneſque Veſevus.
Nec læva injecto ſuccumbit ferrea monti,
Æneus incuſſæ clypeus nec pervius Ætnæ eſt.
Nil propius facto quicquam eſt , quam victor adeptum
Ut teneat murum , & media dominetur in Urbe.
Dum vero maturat iter , ſimiliſque volucri

Si

Si minus alarum, nixus tamen abietis altæ
Præſidio per inane volat: ſtupuere Geloni,
Diffiſique ultra flammis urgere, vel armis
Vadentem, niveum ſummi de margine muri
Vexillum objiciunt juveni, pacemque ſequeſtram,
Eugeniique fidem nutu obteſtantur & ore.
Tum ſignum relegens Heros, nomenque verendum
Eugenii accipiens, ſuſpenſus in aere ſiſtit,
Exultanſque gradum revocat, parcitque furori:
Nec cunctabundo ſimilem ſeſe inde reduxit,
Sed cadit. obſequium quod diſciplina Sabaudi eſt
Promerita occurrit menti: quin nobile pectus
Gaudet quod proprios liceat feciſſe triumphos,
Sed renuat facere, & reliquis commune trophæum
Invidiſſe neget: quando ſe vincere mavult,
Quoſq; agit ambitio ſtimulos, quam Thracas & Urbē.
N.8. Obſidibus tunc ergo datis, & utrinque receptis,
Atque uti conventum eſt, pietas generoſa Sabaudi
Ut ſinit, informe enectum terrore ſituque
Præſidium victæ muris prodivit ab Urbis.
Cui licet ad ſpeciem fuerit permiſſus honoris
Cum gladio gravidus ſclopus: tamen auxit uterque
Dedecus; his armis quod Thracum ingloria virtus
Non uſa eſt: quamvis pubes numeroſa, ſuperque
Millia quina virum, quamvis intacta manerent
Mœnia, nec rimas ullas lacerata dediſſent,
Quâ foret aſcenſus facilis: quin mœnibus Urbis
Integris ſuberat duplex, duplici aggere, foſſa,
Copia vel rerum, & Pyrii vis pulveris ingens.
Immo & præſidium pubes electa, vetuſque

Militiâ, a pueris bellorum aſſueta periclis:
Ludicra ſeu teneram patriis miſcere palæſtris
Prælia Threicio juſſit de more Laniſta;
Seu jam maturam bellis, & robore firmam,
Expertamque animis martis commiſit arenæ:
Extitit in bello genus intractabile ſemper,
Semper & Albanos, & Perſas contudit armis.
Unus in his vero, atque aliis e millibus ille
Dux legitur, tali qui milite fortior eſſet,
Quique habitus pollens Urbem defendere contra
Auſtriacas Aquilas, & Principis arma Sabaudi.
Nam licet Odryſio comperta Temeſia Regi
Mœnibus, & ſeptis, altiſque invicta lacunis;
* Norat at is juxta, quod murus firmior ille eſt,
* Pectore quem miles, quem virtus bellica condit:
* Præſidium eſt arcis miles, non militis arces.
Spes tamen Iſmarii periit evanida Regis
Quæſita ex Urbe, & juvenum virtute, duciſque.
Sed ducis officio quoniam dux functus, & æque eſt
Militis, & miles partes complevit utraſque,
Idcirco Auſtriacas invicta Temeſia vires
Diſtinuit dudum, nec primo eſt impete capta;
Sed menſem obſidio tenuit, nam Threſſa juventus
Si minus electa, & bellis experta fuiſſet,
Eugenii aſpectu ceſſiſſet territa primo.
Deditur Urbs ergo, & Princeps ex hoſte triumphat
Odryſio, exegit curſum dum Luna, moræque
Urbs pretium eſt, Getici potior fiducia regni,
A validis muris non expugnanda, ſituſque
Ingenio, duplex prope ſeclum preſſa Gelonûm

Im-

Imperio, & Lunæ tenebris ſervire coacta,
Æterni Solis, ſuperi vel luminis exors:
Unica Pannonici Regni reddenda coronæ
Gemma: ſub imperio cujus regio ampla ſequuta eſt
Jam Turcas, populiſque frequens, atque ubere campi.
Ergo ſub auſpiciis tandem devicta Sabaudi
Urbs cadit; an contra a mortis revocata veterno
Surgit ad æternæ riſus, & gaudia vitæ?
Surget, & ut Phænix revocat ſe lucis ad auras
A face vividior, ſemjuſta Temeſia ſurget
Sic quoque, contractas maculas cum flamma piavit.
Nam ſimul a muris Lunæ vexilla revulſæ
Procubuere, locum Cœlo veneranda vel orbe
Crux ſubiit; Crux ſacra, pii Crux teſſera belli
Salve iterum, ſalve æternum Crux alma: Sabaudo
Sis Dux & clypeus, miles tuus ille cliensque
Eſt tuus: Iſmaridum populus ſub milite tanto
Sentiat ultricem, ſi te non pronus adorat.
Te volucrum cantus ſylvis auditus amicis,
Te foliis ſylvæ reſonis, te flaminis aura
In foliis ſtrepitans, auræ te flatibus icta,
Murmure concordi celebrans, colit unda Temeſi
Aſpectam in muris; quin curva Temeſia pinnis
Ut coleret, muri faſtigia flecteret alti,
Ni tu cum muro caderes dejecta cadente.
N.10.Quod vero longe eſt acceptius, ipſe Sabaudus,
Dum cadit in vultus, te poplite flexus adorat
Cernuus, & mentem revocans a ſenſibus actam,
Concepitque preces, lacrymasque effudit obortas.
Principis exemplis Proceres, & miles ad unum
Reſ-

Reſpondent pariter, ſimilique ſequuntur honore.
Conditio non alta gradus, ſtupidive Magiſtri
Dira ſuperſtitio ritus averſa Latinos
Vel quemquam retinet, potuit vel nectere cauſas,
Quo minus Eugenium ſimili pietate ſequantur.
Eugenii tantumne valet præſentia viſi
Militis ad normam, cieat vel bella, vel oret!
Prodigus eſt quivis vitæ, ſi prodigat ille:
Oblitusque ſui ritus ejurat avitos
Miles, ubi Eugenius certa inſtrumenta ſalutis
Humanæ, & Divi pignus veneratur Amoris.
N. 11. Nec Ducis hic ceſſat pietas contenta, ſuique
Militis obſequium, vadit recto agmine Princeps
Ad princeps Urbis templum: contendit & illuc,
Haud ſecus ac omnes greſſu raperentur eodem,
Conventus Procerum, numeroſi & militis agmen.
Hoc ubi Romano templum de more piatum eſt,
Magoniſque loco, Crux alma, & Virgo ſubivit,
Cantores recolunt inibi pæana Tonanti
Exceptum fidibus: Princeps pæana, fideſque
Auribus admittit gratis, mentique reponens
Quod canit ore tenus dulcis chorus, ille revolvit
Non jam cum lingua, tacito ſed pectore carmen.
Quin varios animis vario pro carmine ſenſus
Concipit, atque habitum componit neſcius oris
Interea varium, qui menti concolor, & qui
Eſt index. nunc ergo refert præconia laudum
Æterno Regi, Regis nunc gaudet honore:
Nunc Regem exorat, veniam nunc poſcit, & inde
Nil ſibi, virtutique ſuæ, manuumque labori
Impenſo tribuit; totos ſed rite triumphos

Te Deum laudamus, &c.
Tibi omnes Angeli, &c.
Te ergo quæſumus, &c.
Miſerere noſtri Domine, &c.

Ac-

Acceptos Superum Regi, Regiſque Parenti
Innocuæ referens, ventura in bella ſecundos
Suppliciter poſcit; non ut ſua gloria creſcat
Aſt ut relligio, vel relligionis honores:
Seque Deo, vitæque operas, operumque labores
Devovet, addicens eadem tibi Virgo Parensque.
Interea Superos votis dum talibus orat
Eugenius, tremere omne ſolum tholus ara movere:
Et templo affinis curvare cacumina turris;
Sive quod auditis precibus Deus & pia Mater
Annuit, & tellus nutu tentata labavit,
Hoc argumento Superos teſtata faventes;
Seu quia, dum fidibus reſpondent carmina pulſis,
Additus extemplo tormentis omnibus ignis
Occinuit, cujus fremitu contermina tellus
Ingemuit tremefacta, labant murique ſolumque.
Sive quod infernæ templo diſcedere juſſæ
Succutiunt terram furiæ, convellere fundo
Delubrum aggreſſæ; at caſti pietate Sabaudi
Fruſtratæ, in cæcas ſe conjecere cavernas:
Iſmariæ ut cladem gentis, ſtygiique Tyranni
Jacturas poſſent meritis urgere querelis,
Inque tenebroſis æternum ululare cavernis.
Dum vero lacrymis, & luctiſono ululatu
Tartareæ indulgent peſtes: Europa Sabaudi
Gratata obſtrepuit paſſim, plauſitque trophæis.
N. 12. Ipſa ſed in primis Thracum jam libera vinclis,
Servitiique metu, longos quod paſſa per annos
Pannoniæ tellus plauſus extollit ad aſtra,
Ultoremque canit, libertatiſque potentem

Eu-

Eugenium auctorem, calleſque effuſa per omnes
Turba virum puerumque manus lætæque puellæ
Perſolvunt grates & amica voce frementes
Victor io, aſſertor io, defenſor, ioque
Iſmaridum everſor, clades, terrorque Scytharum
Exclamant, repetit Princeps dum tecta Vianæ
A bello; ſiquidem cum victa Temeſia regno
Auſtriaco acceſſit Princeps revocatus in aulam eſt;
Præteriti ut ſummam belli, rerumque doceret
Eventus Carolum varios, belloque futuro
Conſuleret: fractæ Thracum quo funditus eſſent
Mox vires, totiſque iterum regnaret in oris
Relligio Europæ, Solimam luſtraret & Urbem,
Unde ſuos ortus, unde incrementa recepit.
Sed quis, cum Princeps iniit feſtiva Vianæ
Compita, quis læti referet præconia vulgi,
Gaudiaque occurſuſque: ruunt ſpiſſo agmine cives,
Atque hinc atque illinc dum pubes obvia pergit,
Obſtruxere viam, nec tangit Principis ullus,
Reſpectuſque ſui jam quemquam, injuria paſſim
Blanda fit. aſpiceres hic undique tecta referta,
Inde laborantes dulci ſub pondere muros.
Nec, qui ſuſpenſo caperet veſtigia greſſu,
Jam vacuum ſupereſſe locum: vel ſemita nulla,
Aut vix arcta datur, nec tanti Principis æqua
Inceſſu: ut callis ſternatur liber eunti,
Cuncti indignantur, nullus divertit abitve;
Et renuit præſtare prior, quod vellet, ut omnes
Præſtiterint, factiſque negat, quod voce jubebat:
Exiliunt omnes, nemo exiluiſſe Sabaudi

Sen-

Sentit ad occurſum ; * facimus ſi plura libentes,
* Et plura inſtinctu quodam, tacitiſque coacti
* Imperiis, an habent cogendi gaudia pondus?
Hæc cogunt populos, quorum numeroſior unda
Nunc agit Eugenium, mox ſubmovet, inde moratur.
Ad quos delatus, cunctos gaudere videres,
A quibus aſt Heros refugit dilapſus, obortis
Mœrentes lacrymis, contracta & fronte dolere.
Hi tamen, atque illi, quas agmine nectere denſo
Haud potuere moras, auſi ſunt voce precari,
Siſteret ut paulum poſcunt, neu raptus adiret
Regales ſedes. hæret, patiturque videri
Ille diu, & forſan cæcis nox occupet umbris
Hærentem, ni voce viam, dextraque precetur.
Impetrat, atque illi permiſſa precaria tandem
Semita, qui callem ſtravit tela inter, & hoſtes
Aſpectu, o felix Princeps, o maximus æque,
Vel ruat obtento, maneat vel calle negato.
N.13.Inferior numero plauſus, ſed pondere maior
Eugenium excepit, ſubiit cum Cæſaris ædem
Auguſtam ingentem: quæ quamvis occupet Urbem*
Sedibus innumeris, quamvis Urbs pene ſit Orbi
Æqua ſuis ſpatiis, Caroli par neutra trophæis:
Si minor eſt famâ plenus jam Cæſaris Orbis.
Quis mihi quis recolat, quanto dignatus honore
Eugenium eſt Carolus: quantis evexit ad aſtra
Laudibus, amplexus quoties ad pectora preſſit:
Aut quoties magni dictus ſit Cæſaris ore
Imperii columen, gentis tutela Latinæ,
Pernicies Thracum, trepidæ fiducia Romæ.

Auſtria dum palmis hic obſtrepit aula Sabaudi.
N.14. Merciadæ palmis gaudens & Mæſia plauuit:
Merciades ſiquidem rebus Legatus agendis
Dictus ab Eugenio eſt, dum longa hyberna tenerent.
Mercius ingenito delatus pectoris igne:
Quamvis claudat hyems campos nive, flumina quāvis
Cogat, & infeſtis Aquilo dæſeviat auris,
Ille urget bellum, varias expugnat & Urbes,
Arte alias aliaſque metu: tibi ſola manere
Vim placuit Banzova, tui feciſſe periclum
Te juvat, at decoris ſtetit experientia damno.
Nam ſimul hanc contra contendit Mercius Urbem:
Præfectus Ciconum muris confiſus, & altæ
Loricæ trabibus textæ, numeroque Getarum,
Contemtim e pinnis croceo ſaturata colore
Erexit tria ſigna, quibus teſtatus ad Urbem
Non niſi cum multo ſuccedi poſſe cruore.
A quorum aſpectu non concidit ardor, at ingens
Spiritus acceſſit; nam fert ita bellica virtus
Merciadæ, caſus evadat ut acrior inter.
N.15. Tunc alto ſpectandus equo, metuendus & enſe;
Sed longe accenſi furiis truculentior oris
Cornipedi ſubdit calcar, propiorque fit Urbem.
Quo viſo, quamvis defenſus ab objice muri,
Odryſius pallet Præſes; ſed terror ad hoſtem
Non adeo valuit, ſclopis ut fundere glandes
Parceret: at roſei contemtum ut temnere ſigni
Merciaden, mortiſque metum conſpexit, & ignes:
Torpuit aſpectu, & ſclopi fluxere remiſſis
E digitis; inter glandes, interque procellas

Miſſi-

Miſſilium intrepidus ſiquidem ſic Mercius ibat:
Ut pluvias inter, tempeſtatemque frequentis
Grandinis Alituum rapitur Regina per auras.
Suſpicimus volucrem Cœli tranſmittere campos,
Et remur, quod vel pluviis obnoxia nullis
Ales eat, vel quod grando declinet euntem
Territa, per Cœlum recto ſic tramite tendens
Sulcat iter, pennis denſos ſic diſcutit imbres.
Tot vero flammas inter, bolidumque procellas,
Nil propius factum eſt, quam plumbi ut Mercius ictu
Occideret, verum aut lorica impervia texit,
A qua diſſiluit propulſum miſsile telum:
Vel quoniam flammas oculis ſpirabat, & ore
Merciades, parſit cognatis ignibus ignis
Miſſilis. Interea creſcit gliſcente periclo
Ira Ducis; nec jam capitur ſub pectore, jamque
Stare loco renuit, medioſque immittere in hoſtes
Se vellet, Thraeumque involvere ſigna cruore,
Ut quæ Sidoniæ fuerat jam ſanguine conchæ,
Nunc ſatura arderet Getici perfuſa canali
Sanguinis, & duplici luxiſſet purpura cauſa:
Turcarum excidio lugens, lucenſque cruore
Purpura, contemtor quâ finxit ſigna Gelonus:
Et ſic auctorem caderet neglectus in hoſtem.
Hæc ubi concepit, ſuccedit Mercius arcem;
Cordis ab integro tum dedignata latebras
Lucida jam malis, oculis jam flamma refulſit.
Nec Turcæ interea ceſſant emittere flammas,
Pergentemque Ducem quærunt hac arte morari.
Sed plus effectus viſus nanciſcitur ignis

Merciaco erumpens vultu, quam flamma Gelonis
Profecit jaculata tubis; nam plurima plumbi
Diluvies Getici minime pervicit, ut Heros
Gallicus a muris paulum decederet Urbis.
At furor Herois vultu proruptus in ignem
Obtinet, ut Thracum cadat illa audacia, & ille
Contemtus tandem domitus terrore faceſſat,
Dejiciens Tyrio fucatam a murice lanam.
Cui tria ſuccedunt canenti ſigna colore,
Servitium dedendæ Urbis faſſura, Getæque
Obſequium. Riſit viſo candore, minaſque
Compoſuit vultus & flammas exuit Heros.
Sic quoque Rhinoceros in eburna veſte puellam
Conſpiciens, nivei rident cui juncta pudoris
Lilia: quamtumvis animis exarſit in iras,
Fit cicur, inque ſinu mirantis Virginis ultro
Componit caput, & plauſæ cervicis amore
Blanditur, patiturque manus, gaudetque teneri.
N. 16. Tum poſtquam croceis ſubierunt lactea ſigna:
Haud ſecus ac juſſus, prodit Præfectus ab Urbe,
Merciadenque adiit, veniamque exorat, at illum
Exutum gladio juſſit decedere Ductor
Auſtriacus, ſecum Tauruni ad mœnia ducto
Præſidio exuto telis: tum Thracius hoſtis
Procidit in genua, & timidis ſic vocibus inquit.
Si placet abduci gladium mihi, nomine multæ,
Utere in ignavum ferro; nam jure trucidat
Hic enſis dominum, cujus nil profuit uſus:
Idque mihi potius cordi eſt, nec deprecor ipſe
Merciaca cecidiſſe manu; quod deprecor unum eſt,

Ne ſine, diſcinctum ferro me Thracas adire.
Nam laqueo abrumpet jugulum mihi dextera crudi
Lictoris: liceat ferro cecidiſſe, tuâque
Inclyte dux dextrâ, ſpecies gratiſsima doni eſt
Hæc mihi mors, laqueum dono data vita manebit.
Non tulit hanc ultra ſpeciem Ducis inclyta virtus:
* Cui proprium eſt animi furiis imponere morem,
* Vincere pugnaces hoſtes, & parcere victis.
At lacrymis ſuperata, ſuum dextrâ erigit hoſtem,
Subjiciens: Melius tu quondam aut utere ferro,
Aut animo: neve irrites, quos vincere neſcis.
Inde alias ſuper atque alias non arte vel armis,
Sed torvis oculis arces, vel nomine victas,
Hoſtibus indulgens vitam, non arma, recepit.
Nulla adeo, ſive adjectis prætenta lacunis
Seu fluvio, ſummæ vel ſtructa in vertice rupis,
Naturâve loci, ſtudio munita vel artis
Urbs fuit, Heroi quæ non ſua clauſtra ſub ipſo
Adventu reſeraret, & ultro admitteret arce.
Scilicet Odryſiis palmis, Thracumque timore
Mercius ad Siculos præluſit rite triumphos.
In Caroli quando ditionem & ſceptra redactis
Trinacriis populis, animi monumenta capacis,
Virtutiſque ſuæ ſpecimen dextræque relinquet
In cunctis, tellus jactat quas Sicelis Urbes.
N. 17. Sed jam canebat tellus veſtita pruinis
Sythoniis, cruſtâ jam paſſim induruit amnis,
Nunc habilis plauſtris, fuerat qui puppibus hoſpes,
Torpenteſque artus ſecat intractabile frigus.
Jam miles brumæ glaciem tolerare negabat,

Ac

Ac Boreæ urentes hiberno ſydere ventos,
Et regat in belli tandem ceſſare labore:
Idque oris macie, & torpenti corpore faſſus,
Non jam voce rogat; requiem nam voce pudebat
Poſcere Merciaden, cujus patientia major
Humanâ eſt, tædetque queri de frigore brumæ
Cum Duce, cui tanta eſt virtus & martius ardor:
Ignis ut ex animo totos diffuſus in artus,
Non tantum infames nivibus, vel frigore terras
Sperneret; at fluvios inter glaciemque maneret
Bella ciens: nec tam ſtrages virtute Gelonis,
Quam vivis animi flammis in membra refuſis
Ipſis excidium nivibus laturus, ubi unâ
Corporis attactu glaciem domat, agmina ferro.
Sic cum Merciades feri faſtidia belli
Corporis ex habitu, macie collegit & oris,
In varias Urbes affines finibus hoſtis
Agmina partitur, belli ceu poſceret uſus,
Quâ foret apta manus ſemper, belloque parata,
Exigat ut Turcas, Turcarum incurrat in agros.
N.18. Nec vero penitus conceſſit in otia miles
Auſtriacus, quamvis ferrent hyberna quietem,
Quippe Steinvillus brumâ torpere peroſus
Ingenitas animi flammas, ſex mille virorum
Sub Duce Detino juſſit prodire ſtativis,
Et tacito ſigno Dacorum invadere terras,
Quas tum Cordatus dura ditione premebat.
Dacia jam quondam regio fuit ampla potenſque,
Nec modo finitimis, ſed formidanda vel ipſis
Romanis; nunc Turcarum belliſque, ſuique

Ad-

Adverſis populi ſtudiis diſſecta, quaternas
In partes abiit, quarum ſibi quæque Dynaſtas
Elegit, vel paſſa ſuos: pars Cæſaris una eſt,
Præterito bello manibus ſublata Tyranni
Odryſias partes, & Thracia ſigna ſequentis,
Nomine quæ patrio nunc Tranſilvania nobis
Dicta, Steinvillus Caroli vice Præſes in illa:
Alterius partis (quæ nunc Vallachia fertur)
Te penes imperium fuerat Cordate, ſtudentem
Rebus & Iſmariis, & Cæſaris arma peroſum.
N.19. Ergo locum nactus, pœnas ut ſumere poſſet,
Ire Steinvillus Detini vindicis actum
Auſpiciis agmen juſſit: volat ille, niveſque
Objectas, rupiſque humeros perrumpit, & hoſtis
Occurſus, varia paſsim regione fugatis:
Sæpe petens Turcas, a Turcis ſæpe petitus.
Hoſtibus at ſemper nimia cum cæde repulſis.
Hac vice bellorum tandem devenit ad Urbem,
Regia quæ gentis, ſubito popularis & ordo,
Turcarumque acies, Urbis quæ fixa tenebant
Mœnia præſidio, tendunt ad ſigna frequentes
Hoſte intellecto: procedit & obvia turmis
Cæſareis jam juſta acies, hanc impete primo
Poſt ubi Detinus fudit, tunc occupat Urbis
Primus inire fores, adituque arcere Gelonos.
Quin & tam ſubito proſtravit turbine Turcas,
Sic improviſus tectum regale ſubivit,
Nullus ut adventus tutam dilapſus ad aulam
Acciderit ſenſus, quâ Dacicus ipſe Tyrannus
Tum verſabatur, ceu multa in pace, ſolutus:
Clau-

Clauſtra tripartito cum jam Detinus adivit.
Nec prius incurſus hoſtis, ſtragemque ſuorum,
Inque fugam Thracem conjectum,& parte peremtum
Compertus fuit ante, ſibi quam vincula necti
Cordatus ſenſit jam circumventus ab hoſte.
Hic vero, hic torpent non uno in corpore vires:
Aſt hebes eſt animo, & vigilem ſe pene negavit;
Quin etiam expertus variis ſe motibus ille eſt,
Inſomnis foret, an tegeret ſua lumina ſomnus,
Ore loquens, pedibus gradiens,manibusque retractans
Si forte excutiat, falſum ſi forte ſoporem
Excuſſit, vanaque eluſus imagine rerum eſt.
Sed tandem requie veluti revocatus ab alta
Se recipit, quando Detinus talia fatus:
Siſte. ſub imperio magni nam Cæſaris extas,
Vox ea, vel terror vocis, vultusque loquentis
Armipotens, viſus ſomnos abrumpere: captum
Poſt ubi ſe Dacus ſenſit: ſic ſubjicit ore.
Inclyte Dux, ſi non Cœlo delapſus es alto,
Es Cœlo dignus; neque enim tot vincere caſus,
Tot juga, non ulli ſaxis adeunda, geluque,
Et tot inaceſſas obeuntia flumina rupes
Mortalis poterat: quod ſi mortalis id egit,
Seque tot explicuit belli, montiſque periclis,
Non bene mortales olim verſabitur inter.
Si potes aſſultim montes ſuperare, vel amnes
Haud ſecus ac pennis vectus, pete ſydera Cœli;
Cum vero accedas Superis virtutis honore:
Sis precor & Divis propior pietatis amore.
Parce precor victo: * viciſſe & parcere victis

Hoc

Hoc decus Heroum, neu vinclis indue corpus:
Numinis eſt proprium lacrymis ſubſcribere noſtris;
Nec labor incaſſum cedet tuus: accipe capti
In pretium Regis tercenta & millia nummûm,
Qui ſculpta argento referunt inſignia florum.
N.22. Horruit audito pretio Detinus, & infit.
Quem Cœlo aſſeruit, Divum mentita volantem
Vox tua, Cauponi ſimilem mox dextera fecit
Sollicitans auro, quo te merceris ab hoſte.
At ſi tu tanti es, te judice, major habetur
Nobis noſtra fides, quam velles, ipſe liceres;
Ut tibi te reddam pretioſo flore redemtum:
An tanti vendenda fides mea? falleris, omni
Falleris & Cœlo. ſuperis ſic lapſus ab oris,
Sic habeor Cœlo dignus? qui dignus Olympo,
Eſt idem indignus temnendo ut prodigat auro,
Venales faciens, ferro quos quærit honores.
Si propriam noſſes ſortem, nova vincla rogares,
Vincula, quæ Geticas ſolvent, ſtygiaſque catenas.
Donec es a Turcis, manicis evinctus Averni es.
Excute, quid noſtris obniteris, excute vincla
Thracis, & inferni Regis; ſi rumpere tædet:
Sum pius & propior Divis, quia vincula nectam,
Quæ tibi Biſtonias ſolvent Ditiſque catenas.
N.23. Vive diu Detine, feri ſeu fulmina ferri
Occurrens, placiti lumen ſeu negligis auri
Effugiens: magnus, ferro quod viceris hoſtem,
Major partus honos, hoſtis quod viceris aurum.

Digitized by Google

Fig 9.



Quod rogat hic [1] CAROLVS, *uincis* DVX [2] *Norice:* [3] *Gallos*
Excipit [4] EVGENIVS, [5] *fluuium* [6] *tranſmittit et* [7] *aſtu*

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER IX.

N.1. *EUgenius ineunte vere petit caſtra: militum in ejus adventu lætitia, & Procerum gratulatio.*

N.2. *Inter hos Proceres, primi conveniunt Eugenium Principes Galli Carolois, Dombeſius, & Marilacbus: eorumdem laudes.*

N.3. *Ad eoſdem Eugenii oratio.*

N.4. *Dombeſii omnium Gallorum nomine ad Eugenium reſponſio.*

N.5. *Cum ſatis datum eſt his officiis, & Eugenius Turcarum conſilia eſt aſſequutus, ſubit tentorium; ejuſdem ad ad Deum Cruci affixum vota.*

N.6. *Eugenii ad Mariam Virginem preces.*

N.7. *Interim Carolus Auguſtus ſupplicat Deo ſub panis ſpecie omnibus Vianæ templis expoſito, in pauperes dona lar-*

largitur, luxu interdicit, & ingentia pietatis opera exhibet.

N. 8. *Poëtæ ad Carolum Cæſarem apoſtrophe.*

N. 9. *Caroli Auguſti exemplis adducti complures Germaniæ Principes bello contra Turcas ſeſe alligant.*

N. 10. *Inter quos Carolus, & Fernandus Bavariæ Ducis Filii excellentiſſimi ſecundo Danubio petunt caſtra Auſtriaca: Populorum gratulabundus eis occurſus.*

N. 11. *Bavaricæ claſſis Iſtrum navigantis deſcriptio.*

N. 12. *Dum claſſe Turcicas omnis ripas legerent, navale prælium inibi committi a fragore tormentorum colligunt Bavarici Principes.*

N. 13. *Eorundem pugnæ intereſſe volentium ardor, & in nautas, quamquam ſedulos, indignatio.*

N. 14. *Peracto jam prælio, robuſtior Turcarum Triremis ſubſiſtit, & quibus ex cauſis.*

N. 15. *Hæc Triremis contemtim expectat Prætoriam Bavaricorum Principum Navem.*

N. 16. *Tum Carolus adeptus tranſilit in Turcarum Triremem: cujus Præfectus pro furioſo habens Carolum ei catenas parat. Utriuſque brevis oratio. Carolus Præfectum, amputato prius brachio, interficit: deinde alios ſternit Turcas.*

N. 17. *Dum Carolus in puppi certat, in proram Germanus Fernandus emicat. Hinc Turcarum conſternatio & clades.*

N. 18. *Capta Triremi, & ad puppim ligatâ, Vindelica navis claſſem Auſtriacam repetit. Plurium gratulatio, nonnullorum invidia.*

N. 19. *Non invidet vero Princeps Haſſiacus edoctus ſe & ma-*

magnis ſervari rebus. dum enim Iſtrum navigat flavii Genius ſub ſenis ſpecie apparens variis monitis datis, eum Regem futurum, & ejus vices prędicit.

N.20. *Haſſiadæ oratio rogantis Senem, ut quis ſit pandat, & obſequia illi ſua offerentis.*

N.21. *Reſponſio Senis voce aperientis ſe Genium et præſidem fluvii eſſe, et monentis ut ea obſequia Deo offerat, et ut audaciæ parcens, poſtquam ſemel Turcas afflixit, regno ſervet ſe incolumem.*

N.22. *Haſſiacus Princeps Eugenium convenit, et ejus dicto audiens jungit ſe Legato Viardo agenti in oppido Caraſabæ.*

N.23. *Ter quinque millia Turcarum, viſis duabus equitum centuriis ſub Caraſaba, eas aggrediuntur; tum in Turcas invectus Haſſiacus, & univerſam aciem pervadit, & iterum a latere petit, ac obvio ſibi facto in media acie Viardo ad lævam pergit. Hinc fœda hoſtium clades.*

N.24 *Eugenius, legato caſtris Palphio, noctu iter unius diei progreſſus, fallit Turcas ignaros, et in Palphium per ſpeciem tranſire ſimulantem intentos, et illic Iſtrũ tranſit. Turcarum terror, et fuga viſo Eugenio, qui tranſmiſſo amne, alia ac credebant parte, accedit, ut Taurunum obſideat.*

N.25. *Ingens Turcarum numerus Daciam (Vallachia) verſus fugit: ibi duabus turmis occurrit, quarum Duces Fernandus Pignatellus, et Fernandus a Cardenas: acerrima pugna, Ducum virtus.*

N.26. *Viſo diruto aggere Fernandus Pignatellus monet ſocios illuc ſecum contendere per medios hoſtes*

N.27. *Franciſcus Pignatellus Neapolitanæ Urbis Præſul di-*

digniſſimus, ut Fernandum nepotem ſuum reducat ſoſpitem, exorat affixum Cruci Numen: ejuſdem preces Deo acceptæ, et qua de re. Soſpes Nepos, & acies in deſtinatum aggerem evadunt.

N.28. *Aſpectu huius aggeris excedunt perculſi Turcæ, ut qui memores acceptæ eo loco cladis a Friderico Saxonum Duce. Friderici, Saxonum et Lipſiæ laudes.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Princeps caſtra petit: Proceres affatur & audit
Gallorum. Carolus Numen, Matremque precatur.
Vindelicis prædæ cedit Threiſſa carina,
Haſſiades frangit Turcas. Dux trajicit amnem.

LI-

LIBER IX.

SEd jam ſegnis hyems gelidis excuſſa pruinis
Exierat, placidi tempus jam veris inibat:
Averſusque moras jam brumæ, & deſidis otj
Impatiens Princeps ſe proripit Urbe Vianæ,
Conſcenditque ratem, & vaſto ſe credidit alveo
Danubii; adventu lætatus Principis amnis
Sternit aquas, pinumque ſecundis impulit undis:
Ut puppi excendit, tenuit cum litora Princeps,
Caſtra adit, in quorum campos confluxerat omnis
Tempore condicto pubes hyberna relinquens;
Plauſit & occurrens concepit gaudia miles,
Rurſus ut affulſit majeſtas illa Sabaudi
Martia, lucentesque oculi, plenumque vigoris
Os habitusque oris, ſedes ubi ridet amoris,
In ſocias acies aciem cum lumina vertunt;
Aſt ubi conſpicuus Thraci eſt, cernitque Gelonos,
Terrificat mentes, perculſaque pectora vultus.
* Sic idem lucis radius ſolamen ocellis
* Afferet intactis, affectaque lumina lædet.
Ergo alacris pubes, Procerumque frequentia fundit
Se circum, Ducis ora ſemel vidiſſe nec ulli
Eſt ſatis, innectuntque moras cauſasque morandi;
Intentique omnes pendent & ab ore loquentis,
Oris & aſpectu, defixique ora tenentes
De Ducis adventu jam rurſum in caſtra revecti
Gratantur ſibi, deinde Duci gratantur & ipſi.
Sic ubi, dimotis cæcæ caliginis umbris,
Cynthius illuxit curru ſpectandus in aureo,

Læ-

Lætantur paſſim volucres, hilarique ſalutant
Voce jubar, liquido volventes carmen in ore,
Et ſibi gratantur nati de lumine Solis.
N.2. Aſt alios inter, qui convenere Sabaudum
Congreſſi, Proceres coëunt, quos Gallia miſit,
Gallia perpetuis bellorum exercita curis,
Gallia non obiens, onerans ſed tempora faſce
Palmarum: exitium, non terror Gallia Thracum:
Heroum fœcunda parens, non martis alumna:
Hæc eadem Auſtriacos juvenum ter millibus auxit;
Patricio hos omnes, regali aut ſanguine cretos
Relligionis amor, juſtæque in Thracas adegit
Invidiæ calcar nulla mercede merere;
* Omnibus eſt ingens merces, quæ gloria victo
* Hoſte venit; major, virtus ſua; maxima porro
* Eſt Deus: obſequio cujus vult quiſque cruoris
Prodigus eſſe ſui, & mortem contemtor obire.
Exigua eſt acies, numerum ſi falſus inibis:
Si mente expendas, quæ virtus maſcula pubi eſt,
Non bene committas ter dena his millia Thracum.
Dombiades Princeps, Princeps Carolois, & acer
Marilachus, primi juvenum quà ſanguine, quâque
Bellaci ingenio, & robuſtis artubus apti.
Quadrupedem inflectit primus, qui pectore flammas
Occulit, & flamma currens violentior ipſa eſt,
Explicat in membris patriæ ſed lilia terræ,
Intactasque nives; vadit ſublimis in alto
Alter equo, bicolor maculis qui Tigrida pictis
Pene refert, æquat curſu ſuperatque furore,
Sic ubi vel litui clangor ſonat, aut crepat ignis

Bellicus; in flammas præceps ruit, ungulaque hoſtes
Proterit inſultans, fuſoſque ſubinde fatigat.
Marilachum gilvus ſonipes vehit, igneus olli eſt
Spiritus, ut ſparſos cineres in corpore geſtet:
Qui licet haud vento fuerit jam cretus Ibero,
Sed volat, & celeres propero pede deſerit auras.
Hi ſimul atque oculis vultus legere Sabaudi,
Et quæ majeſtas late ſeſe exhibet ore
Compoſito, fixi tacitis obtutibus hærent;
Succurruntque animis ingentia Principis acta,
Disjectæque acies, expugnatæque tot Urbes.
N.3. Parte alia ut Princeps vegeto collegit ab ore,
Et bene cum tenuit compage a corporis apta,
Quæ virtus animis Juvenum, quis martius ardor;
Lætitiâ exultans feſtâ ſic voce loquutus.
Flos juvenum, virtutis apex, ſi gloria belli,
Si vos relligio patriis evexit ab oris,
Vix quota nunc ſupereſt, obita eſt pars magna laboris:
Quos iter obtendit, defuncti ubi caſibus eſtis,
Jam labor impenſus major fuit: otia poſthac
Vos non bella manent: nam citra pulveris hauſtum
Quos artus agitis, quique artus ſpiritus implet
Bellipotens operâ poterit ſtraviſſe minori
Turcarum vires omnes, Scythicaſque phalanges,
Quam quod paſſa fuit tantum ut telluris obiret,
Tot vada, tot montes ſuperans, calliſque labores.
Eveniet; ſiquidem veſtra hic ſibi conſona virtus
Conſtabit, martis toties ſpectata palæſtris;
Eveniet, primo ſternatis ut impete Turcas.
Et me regali cretus de germine ſanguis,

Et me non fallit ſpecies, quod prædicat oris,
Quod vigor inſomnis, fronſque exporrecta fatetur.
Dixerat, aſſenſus Procerum eſt ea dicta ſecutus.
N 4. Tum ſic Dombiades Gallorum nomine fatur.
Maxime Dux, & norma Ducum, toleratus eundo
Qui labor eſt nobis longa regione viarum
Et placet, atque ideo gratus ſub mente recurret,
(Relligio ſit pace tuâ, neu dicta refellas)
Quod licet Eugenium coram cognoſcere, quodque
Mirari: quis enim ad tales aſpiret honores,
Et paribus ſperet factis æquare Sabaudum?
Si labor incumbit tenuis, vincatur ut hoſtis:
Id meritis adſcribe tuis, dextræque magiſtræ,
Hæc facit, ut nullo noſtrûm ſudore Gelonus
Concidat: at nobis nulla eſt, tua gloria tota.
Gloria quæ noſtra eſt magno quæ ſemper honori
Ducetur, felixque omnes recoletur in annos
Eſt ea, quod nobis licuit meruiſſe Sabaudi
Poſſe ſub imperio, bellique addiſcere leges;
Et nos ad normam talis formare magiſtri.
N. 5. Cum ſatis officiis Proceres, Princepsque dedere;
Tum catus explorat vires, timidique Geloni
Conſilia aſſequitur, diſcitque in margine ripæ,
Quam Thraci addictam radit cum fluctibus Iſter,
Extructas paſſim valido munimine turres.
Hæc ſimul edoctus, ſubiit tentoria Princeps,
Cernuus hic duro confixum in ſtipite Numen
Stringit amans, pedibus tum fervidus oſcula figit,
Inde refert grates, quod tutum in caſtra reduxit;
Mox rogat ut belli caſus & bella ſecundet;

Nu-

Numinis effigiem fixi nam pectore Princeps
Semper habet, vitta nec tantum eſt penſilis aurea,
Corde ſed in medio jaculis celatus amoris
Stat Deus, hinc caſti ſenſus, hinc bellicus ardor
Eugenio ingeſtus; quando pietatis origo,
Atque exercituum bellorumque arbiter ipſe eſt.
N.6. Tum te, Virgo Parens, ſupplex ita corde Sabaudus
Exorat. Virgo & Mater veneranda Tonantis,
Imperio cujus, Mater mea diceris, eſque,
Cui reliquos inter titulos gratiſſimus ille eſt,
Quod populi dicare potens tutela Latini:
Præteritis, precor a culpis tua lumina flectens
Aſpice me, turmasque tuas ſimul aſpice felix:
Si tuus incedo miles, tu perfice quæſo,
Auſpiciis quæ cœpta tuis ſunt rite trophæa:
Hoc ego non meritus, verum fiducia certum
Pectus alit, ſpeſque hæc Mater tibi nititur uni,
* Quæ pia non imples tantummodo vota rogantis
* Sed cumulo excedis, quæ nuſquam informe remittis
* Et rude, quod pietas, quodque alta potentia dextræ
* Cœpit opus: Latiæ gentis tu perfice palmas,
Auſpiciis ut cœpta tuis victoria ceſſit.
Annue tu ſacris, præſenſque adlabere bellis,
Ut tua Relligio, Nati quæ credita juſſis
Eſt tibi, Biſtonii fines transgreſſa Tyranni,
Unde ſuos ortus retulit, Solima arva reviſat.
Magna quidem poſco, at precibus fiducia noſtris
Magna ſubeſt pariter; quoniam quæſita redibunt
In laudes pia Virgo tuas, & ſiquis honoris
Reſpectus noſtri eſt, æque tu Diva rogare

Me facis audacter: votis haud debita noſtris,
Et meritis majora doces me quærere Mater,
Quod dare non parcis meritis majora rogantis.
N.7. Dum vero hic Princeps orat: pietate, vel armis
Inſignis Carolus pariter deſcendit in omnes
Rite preces, grateſque refert, memoreſque triumphi
Fundit opes paſſim, voti damnatus, egenis
Subſidium gregibus, turmis a Thrace peremptis
Solamen, palmæ pignus mox rite futuras.
Quin etiam occultum panis ſub imagine Numen
Omnibus expoſitum templis veneratur, & omnis
Conflu t huc populus, Caroli que exempla ſecutus
Projicit in fletus ſemet, votisque fatigans
Supplicat, ut ſacris palmas indulgeat armis
Numen: & infenſum Cœlo genus atterat hoſtem
Iſmarium, Regiſque preces, & bella ſecundet.
Quandoquidem ſi quid meriti mortalibus uſquam
Eſt factis, Carolus poſſet meruiſſe triumphos,
Qui nempe oblitus Regem pupularis ad aras,
Et pedes accedit, ſpreto qui Regis honore,
Nil veritus fuit in belli diſcrimina regnum
Projicere, id vero pro religione tuenda.
Qui luxum exoſus regis ſibi gaudia ſcenæ,
Et prohibet luxus, interdicitque choreas;
Id tamen exemplo pluſquam formidine pœnæ
Mox aliis prohibens; quin ſi quis ſolveret ora
Sacrilega in Superos, pœnas expendat ut æquas,
N.8. Pro meritis juſſit. Salve Rex inclyte, Regum
Maximus, an melior dubium quo nomine dici
Convenias? Geticis turmis tu detrahis arma,

Fal-

Fallor, an irati manibus tu fulmina tollis
Numinis, Iſmario ne pœnas exigat enſe
A nobis? * noſtro ſiquidem nos crimine Turcæ,
* Non vincunt virtute ſua: facta impia facta
* Adjiciunt vires, armant, aciemque Geloni
* Procudunt gladii: gentis commiſſa Latinæ
Dum prohibes ergo, prohibes ne vincere poſſint
Thraces, an & vinci tum cœpit Thracius hoſtis,
Dum culpis adimis ſegetem? & dum cernuus oras,
Ipſe feris meritis palmas, metit enſe Sabaudus.
Nec vero agminibus tantum, validiſque catervis,
Quam freti pietate tua coiere Dynaſtæ,
Quotquot in immenſis paſcit Germania terris.
Nec tantum hos adigit virtus, vel calcar honoris,
* Sed tua pelliciunt monitis exempla trahuntque
* Invictis; ſiquidem miſſi ſermonis ad aures
* Tardius impellit monitus mortalia corda;
* Sed facti hortatus viſu compertus ab ipſo,
* Non monet, aſt animos potius movet: alta Regentis
* Vim vero incutiunt nobis exempla coactis.
Exempla hæc ergo cogunt ad ſigna frequentes
Teutonicos Proceres, vacuas populantur & Urbes.
Jam brevis ad naves, vaſtus licet, alveus Iſtri
Deficit, occultis incumbunt fluctibus alni,
Vel latet arboribus, ſylvis vel conſitus inſtar
Eſt nemoris fluvius, vixque unda apparet in amne.
N. 10. Aſt alios inter puppi ſublimis in alta
Vindelicus Carolus, Carolo conjunctus & extat
Fernandus: gemini Fratres, quos Norica tellus
Protulit, & quorum cunis elata ſuperbit

Nec

Nec vero puppis quod fulvo illuſa ſit auro,
Aut quod ſigna ferat vario diſtincta colore,
Cæruleo partim, partim fulgentia flavo;
At gemini Herois tantum virtute tumeſcit,
Nec gemit, at magno quamvis ſub pondere geſtit,
Jamque celer maturat iter, jam litus adire
Tendit, ut exponat fulvis Heroas arenis,
Purpureis olim Turcarum a ſtrage futuris.
Ipſæ etiam gaudent animis felicibus auræ
Lambere vexilla, & curſus impellere navis:
Ipſæ etiam ſylvæ vernantes litora circum
Excipiunt ventum, & placido ceu murmure plaudunt,
Et caput acclives defendunt frondibus æſtum
Quâ juvenes tendunt, rurſusque cacumina tollunt,
Cum demum obtentis exivit puppis ab umbris.
Ipſe etiam fluvius tantis Heroibus hoſpes
Intumuit, navimque ſequentibus impulit undis.
Quin, ubi Danubium metitur Norica claſsis,
Dumque legit ripas, & villis conſita radit
Litora, litoribus populus ſe fundit ubique
Concitus, lætoque Duces clamore ſalutat.
Expleri nec lingua poteſt, dum laudibus effert
Primitias Juvenum fauſtas; nec lumina viſu,
Dum vegetum relegunt habitum, frontiſque vigorem,
Veſtigantque iterum, fixiſque obtutibus hærent.
N. 11. Ordine tam pulcro claſsis procedit in amne,
E quadragenis conſtat quæ navibus omnis.
Prægreditur prima ante alias Prætoria puppis,
Cumque intervallo præceſsit Regia pinus
Exiguo, reliquæ ſuccedunt pone carinæ,

Queis

Queis Procerum inſidunt primi, tum cætera claſsis
Excipit, a pedibus numerus cui ſarcina ſedit,
Et cui cornipedum vis magna inſiſtit equorum.
Omnis it a paribus diſtincta coloribus, omnis
Vexillo ſimili, ſimilique inſternitur auro.
Nec vero a reliquis diſpar Prætoria navis
Si pictas tantum tabulas, ſi lumine cultus
Externos relegas: ſi vero Frater uterque
Obvius eſt oculis, major jam regia puppis
Aut eſt, luminibus victis aut eſſe videtur.
Seu quia majeſtas Juvenum dum multa coruſcat,
Induit & puppi, quos illa oſtentat honores:
Sive oneris potius ſumti ſibi conſcia navis
Majus neſcio quid præfert, qua luce renidet
Inſolita: hinc ſignis quamquam color illitus idem,
Vividior ſplendet, tabuliſque ardentius aurum
Irradiat, ſtringitque acies fulgore retuſas.
Quin etiam incedat navis licet omnibus æqua,
Grandior emergit, tranſtriſque excelſior altis
Luxuriat, puppeſque inter clara eminet omnes.
* Scilicet Heroum virtus inſignior illa eſt,
* Non luxu, at titulis animi diſtare capacis
* A populo, populo eſt venalis copia luxus.
N. 12. Poſtquam iter exactum, & Frater delatus uterque
Pannonicos ultra fines, poſtquam appulit oris,
Iſter ubi Auſtriacus ripâ non currit utrâque,
Ripa ſub Odryſio ſiquidem gemit altera jure.
Tum procul audiri crepitus, tum creber ad aures
Pugnantûmque fragor, tormentorumque boatus
Viſus adeſſe; ſtetit Princeps arrectus uterque,

Et

Et ſonitum, & voces intentis auribus hauſit
Suſpenſus; ſed cum comperta eſt pugna ſub amne;
Cernere nam pugnam fluvius ſinuatus in arcum
Non dabat, aſpectum ripa fruſtrante ſiniſtra.
N.13. Tunc animo exultant Juvenes, belloque reperto
Ex inſperato, revocant ſub pectore ſenſus
Bellaces, ſeſeque animis audacibus implent,
Et ſubito facies ſuccenſa excanduit igne,
Ignitiſque genis animi confeſſa furorem eſt.
Haud ſecus Alipedis, quem ſtagno adſcripſit aprico
Reddita pax, lituus reſonis clangoribus aures
Si procul impulerit, redit in præcordia fervor
Priſcus, & in crura arrectum ſe attollit, humumque
Pes ferit inſultans, reſonatque hinnitibus aër.
Tum prece tum dictis nautas inſtigat amaris,
Ut ſubigant citius navem, Caroluſque, fremenſque
Fernandus, veriti pugna ne forte peracta
Adveniant: neu forte dies demum exeat illa,
Qua ſua navali liceat præcingere lauro
Tempora, campeſtri juſſi certare duello.
N.14. Ad Juvenum monitus remex conceſſit in iras,
Et certum eſt animam vel in ipſo perdere niſu,
Vel pinum Odryſiam, ſi fugerit uſque, tenere.
Haud mora, conſurgunt tranſtris, intentaque torquent
Brachia, & abducto primum, mox pectore prono
In remi impulſum pendent, cadit agmine ſylva
Æquali, æquatis verſus compulſa lacertis:
Inde iterum erecti, majorique impete tonſis
Incubuere, pari rapidus cadit ordine remus,
Et redit, & fluvium ſimili, diverberat ictu,

Hinc

Hinc, atque hinc latices longe ſpumare videres
Arbore convulſos, vaſtoque dehiſcere ſulco
Flumina, corripuit ſpatium quâ concita puppis;
Jamque volat, jamque Auſtriacas adit illa carinas,
Jam cita ſubtrahitur, Geticæ jam proxima navi
Imminet: exoritur clamor tum nauticus, auras
Qui ferit, adverſoque licet diſpulſus ab amne
Exuperat, reboatque magis, claſſemque ſtupentem
Impulit: excipitur feſtis a vocibus inde
Mirantum Auſtriadum, quod niſibus acta carina
Ni pugnæ aſſequitur medio in certamine ſortem:
(Quamquam o, vix Threiſſa foret ſuper ulla triremis)
Hoc ſaltem pergens rapido luctamine vicit,
Ne deſiderio Princeps fraudentur uterque,
Navalesque ferant ut victo a Thrace triumphos.
Nam deferbuerat pugnæ jam flamma remiſſæ,
Poſtquam Vindelicæ pubis venere carinæ:
Et Schivendimanus depreſſis nauibus octo,
Multatisque aliis claſſem dejecerat hoſtis:
Quæ celeri mandata fugæ jam ceſſerat amne.
Una ſed e reliquis, numero confiſa virorum,
Præſtantique animo (ſiquidem piratica pubes
Omnis erat, validæ cui credita cura triremis)
Subſtiterat paulum: ſeu quod commune periclum
Non pavet, & ſocio puduit fugiſſe timore;
Seu quod jacturam voluit ſarcire decoris,
Armorumque decus, ſi ſola aggreſſa fuiſſet
Egregium belli facinus; ſeu forte relicta eſt
Conſilio, facilis victis ut navibus eſſet
Copia perfugii: noſtras dum ſola carinas

Puppibus inſtantes, incumbenteſque Gelonis
Diſtinet, & medio bellans cunctatur in amne.
Ergo eadem pronis fluvii vel labitur undis,
Segnis vel lento latices vix remige verrit
Opperiens noſtros, damnumque ultura ſuorum.
N. 15. Hanc ubi Vindelici Fratres videre triremem
Tollentemque minas, nec Cæſaris arma paventem,
In furias ardent perculſi laudis amore;
Atque avidi pœnas a dira ſumere gente
Sollicitant iterum nautas: hi rurſus ad unum
Remigio incubuere, ratis volat alitis inſtar:
Danubiusque pater motis iter incitat undis.
Sic ubi jam puppi puppis collata: remittit
Nauta manu remos, validoque a reſte fluentes
Harpagonas rapit: & miles vel fulmina martis
Expedit, aut ferrum ſtringit, ſtrictoque minatur.
Ipſe ſed in primis Carolus, Fernandus & ipſe
Eminet e roſtro, fixiſque obtutibus hæret
In pinu Odryſia, & viſu vel devorat hoſtem,
Vel flamma incendit, quam luminis evomit orbe;
Nam Juvenum lux multa oculis erumpit, ab enſe
Quæ reſilit, geminatque facem refracta, ratemque
Iſmariam invadit, flammaſque inferre videtur.
Sic adamas pariter nigra ſub nocte coruſcat
Ingenitæ lucis radiis, non indigus uſquam
Solis, & impatiens cæcis ſervire tenebris,
Partitur proprios, quocumque is pertinet, ignes.
Mirati hic Cicones contento incurrere curſu
Exiguam exiguo vix tutam milite pinum,
Partim indignantes, partim ſpe ſortis ovantes,
Aut ſtolidos Homines deſertoreſve putarunt,

Quos

Quos oculis relegunt ſe contra inſurgere remis.
Ergo vi magna pronum obluctantur in amnem,
Jamque animo rapiunt, jam ſecum munera navis
Partiti referunt, & inani mente fruuntur.
Sic etiam milvus, ſummo de vertice rupis
In mare devexæ, ſicco manet ore columbam
Aëra ſulcantem pennis, terraſque petentem:
Hanc ille opperiens animo jam præripit, & jam
Paſcitur apprenſam, fixiſque eviſcerat hamis.
At vero Turcas ſpes eſt fruſtrata rapaces,
Dumque inhiant prædam, prædæ ceſſere ſubacti.
N.16. Nam ſimul ac propior ſucceſſit Norica pinus
Odryſiæ puppi, ſaltu emicat, inque triremem
Proſiluit Carolus, pedibusque exceptus ibídem
Conſtitit erectus; celeri dein turbine ferrum
Torquet agens, laxatque foros, & ſubmovet hoſtes,
Ut ſibi ſternat iter, Thracum vis omnis in unum
Invehitur ſclopis parcens; nam prendere vivum
Eſt cura: & ſtudium majeſtas Regia vultus
Exacuit, quin dux Ciconum pro cuſpide vincla
Intentans, inquit, Si mente es captus egensque,
Te decet his vinclis, noſtro non enſe domari.
Tum Carolus longe erectum ſuſpenſus in enſem
Librat, & incuſſo dextram ſecat, unde cadebant
Vincula: mox infit, Necte, en mea dextra, catenas;
Ni potes, exolvet fatuo de corpore dextra
Hæc animam, in dictis ferrum incutit, ictus & haurít
Pectora, tunc hoſtis ruit in caput, ora ſupinus:
Inde alios ſuper, atque alios aut ſubmovet unus,
Dejicit aut hoſtes, & quantum extenditur enſis
In gyrum glomeratus, iter ſibi pandit in orbem

Jam nulli Ciconum eſt propius ſuccedere, navis
Jam ſinus æquatur tranſtris, jam clauſa carina eſt,
Quam ſtrue membrorum,atque armorum ſtrage refertã
Noricus inſtravit gladius; dum funera vero
Edit, & e puppi Carolus graſſatur in hoſtem.
N. 17. Ecce tibi Ciconum proram delatus in altam
Proſiluit Fernandus, & hoſtis terga laceſſit
In Fratrem intenti; geminata peſte Gelonus
Obſtupuit primum, nec quem ſe vertat in hoſtem
Scit bene: dum dubitat quem poſſit pellere primum,
Dum reputat; miſeris omnis ſublata facultas
Pellendi, & dubium gemino mucrone ſolutum eſt.
Horridus hinc inſtant Carolus, Fernandus & illinc
Diverſi, ſternuntque æquali funere Turcas.
Omnibus in voto eſt Turcis fuga, nulla ſalutis
Sed via: quid ferus tecum meditare receptum
Impie Thrax? licuit nuper, nunc omnis ademta
Copia: quid torpes? quid confidentia? quidve
Spiritus ille ſilet, jam prædæ illectus amore?
Qui claſſem Auſtriacam navi convertere poſſe
Sperabas una, gemino cadis ictus ab enſe.
Jam gemini Fratris, primo cum ſanguine ferrum
Intepuit, meritas ardor juvenilis in iras
Concedens, cladi ſtudet indulgere, modique
Neſcius eſt, flammiſque ſuis haud temperat uſquam,
Ingeminatque avidus clades: gladiuſque cruentas
Itque reditque vias, mortem referenſque ferenſque.
Uſmano Carolus caput abſcidit: Algabalizum
Fernandus medium cæſim ſecat: ilia ferro
Effodit Acmetto Carolus, gladioque lacertum

De-

Detergit Gomero Frater, ſimilique tenore
Proſequitur morti demittere Ductor uterque
Vindelicus reliquos: fruſtra eſt ſe condere tranſtris,
Et fruſtra hac, illac navem decurrere Turcis.
Imminet, & miſeros acies diverberat enſis.
Ut duo Delphines, quos plena indagine nautæ
Admittunt, pro vi compulſæ in retia gentis
Fluctivagæ; prolem pelagi manduntque, petuntque
Implicitam laqueis: ſtudet illa evadere peſtem
Huc illuc fugiens fruſtra: nec ſegnius inſtant
Delphines, miſerumque genus laniare ſequuntur:
Vindelici Fratres trepidis ſic Thracibus inſtant,
Quos navis veluti prætenta indagine claudit.
Inſiliunt tandem plerique in flumen, & ultro
Projiciunt animas; ſpecies manſueta pericli
Eſt fluvius: gemini fugiant modo fulminis iras.
N. 18. Tum læti Juuenes, ad navem reſte ligato,
Vindelicæ puppi proram junxere Gelonam,
Et claſſem Auſtriacam repetunt: it Norica primum
Fratribus acceptis: ſequitur mox trunca carina,
Præſidio nudata ſuo. ferit aſtra celeuſma,
Militis & plauſum aſſenſu procul excipit Iſter,
Puppibus aſpectis geminis, Fratrumque trophæis.
Mox Thraſſam in ſylvam noſtris e navibus ingens
Copia proſiluit juvenum, ſaltuque carinas
Jungit, & attendens flectit per ſingula viſus,
Miraturque, iterumque juvat legiſſe tot arma
Strata, tot armatos tam fœdo vulnere ſectos,
Per juga, perque foros undantem ſanguinis amnem.
Ut vero expletus viſus, pars laudibus æquat

Vin-

Vindelicos Cœlo Fratres, pars invidet auſis.
N. 19. Sed licet id belli facinus mirabile multis
Invidiæ fuerit; dictis præconia laudum
Exequitur coram Fratri gratatus utrique
Haſsiades Fridericus, & illum haud cura remordet
De clade edoctum Getica; ſi quippe dediſſet
Sors ſua, ſperabat validæ mens conſcia dextræ,
Quod par auſa foret facinus, ſtragemque dediſſet.
Præterea ſeſe longe majoribus actis
Servandum norat quondam, & diadema ferendum
Pro galea, auratum gladii pro cuſpide ſceptrum.
Nam per Danubii celeri dum labitur amnem
Puppe volans: ſubito navis ſua ſubſiſtit: urgent
Vi magna obnixi nautæ, nec remigis illa
Sentit opem, facileſque animas, quas lintea pleno
Excepere ſinu: vel proræ Echeneida credas
Multam obluctari, vel pinum in Syrte morantem.
Obſtupuit monſtro Princeps defixus, & hæret.
Cum latus ad navis placidis emerſit ab undis,
Arreptamque Senex dextrâ tenet, atque ita fatur.
Haſſiacæ columen gentis, columenque futurus
Majoris regni, ſtimulis virtutis, & igni
Ingenito indulgens ad bellum pergere credis:
Scilicet ut palmas victo veneris ab hoſte.
Dum vero obſequeris genio, ſervire Tonanti
Ignoras: Deus ipſe, Deus te ducit ad arma:
Is te ſub tanto juſſit meruiſſe Magiſtro.
Diſce precor, quæ magna tibi documenta Sabaudus
Exhibet, ut ſimiles jam nunc formeris ad artes.
Quâ potes, illius ſublimes exprime dotes:

Im-

Impreſſasque animo refovens, tecumque revolvens
Semper ad Eugenii te caſtos exige mores.
Sis velut is, magni reverens timiduſque Tonantis;
Integer incedas vitæ, rectuſque tenaxque
Juſtitiæ: exolvas pœnas & dona merenti
Pro factis: qualis ſacri candoris imago eſt,
Et mente exundans vultus emergit in ipſos
Eugenii, talem referas; ceu norma pudoris
Ille ſuis, populis olim ſic ipſe ſtudebis
Eſſe tuis. * Regis mores gens induit omnis.
Sub Duce præterea tanto, ſub milite tali
Prima rudimenta, ut valeas tua regna tueri,
Pone libens; Regi ſiquidem (qui promtus & audax,
Pluſquam ſors tulerat regni Regisque) peremto
Tu jure adſcitus thalami ſuccedere debes:
Poſt initas vero tædas, quam multa ferenda,
Multa inſtant ſuperanda tibi, nec pellere tantum
Externos debes hoſtes virtute vel armis,
Quam tua dexteritas Procerum componere motus
Internos: armis quos expugnabis amoris
Evinctos meritis. Nam te ſuffragia gentis
Reginæ ſponſum eſſe ſinent, Regem eſſe negabunt,
Quem ſibi contendent populari e gente creandum.
Aſt ubi convictu fueris compertus, & uſu
Qualis es, & quantis polles virtutibus auctus:
Quod modo tu præſens, aſſuetudoque docebit,
Tum Procerum ambitio merito tibi plura remittet
Spem regni, potius ducens ut ſoſpite regno
Serviat illa tibi, regni quam ſceptra caduci
Nequicquam affectet; ſic in meliora relatis

Con-

Conſiliis, reddet Procerum conſenſus habenas
Imperii; tunc nempe viam ingredieris habendi
Longius externos hoſtes, tum bellica virtus
Et tua tum probitas per cunctas didita terras
Non ſolum evincet, pacem componat ut ultro
Rex tecum, infeſto qui Regnum invadere poſſet
Marte tuum; verum facies, ut fœdera jungat,
Alliget & bello, & ſocia arma Britannicus addat
Rex tecum: claſſem ingentem tunc inſtruet idem,
Imperiis addicta tuis ut tendat in hoſtem,
Arceat & Regno, Regni tueatur & oras.
Quid Regis probitas non obtinet! omnia ſoli
Hæc accepta tibi referet gens ſubdita quondam.
Scilicet hæc eadem Regi ſubjecta priori
Quotquot confines habuit, tot ſenſit & hoſtes,
Perpetuis Regum bellis obnoxia ſemper.
Poſt ubi ſed ſceptrum cedet tibi, plurima Martis
Fax cadet, & tecum tum conjurare videbis,
Qui quondam in Regni conſpiravere ruinam.
Mira fides, tantum poterit tua cognita virtus!
Poſtquam alii vero coiere in fœdera tecum,
Qui ſolus fuerat reliquus Rex hoſtis, in ira
Non ceſſans, belli oſtendet plus ille timorem,
Vindice te, quam bella feret; pacemque citare
Plus volet armatus, quam quod contendere marte.
Quin etiam Carolus, Carolus tibi maximus ipſe
Conſulet, & cujus ſequeris nunc ſigna, rependet.
Ille vicem, & medium paci ſeſe offeret ultro.
Is dirimet lites, illo pax icta ſequeſtro
Conveniet, cedetque omni Mars exul ab orbe.

Et tua Regna tibi multâ jam pace regentur.
N.20. Audit, & intentus pendet dicentis ab ore
Haſſiades, tum ſic infit. Pater optime pande,
Quis ſis; quandoquidem noſtro de ſemine cretum
Haud equidem credam, cui vis eſt tanta, ſub amne
Cui domus, & liquidâ Cœli non indigus aurâ eſt
Spiritus, infundens fauces quin obſtruat unda.
Fare age, ſeu late Regem diademate cingat,
Seu circumſcribat patriæ ditionis in oris
Me Deus, a noſtro ſemper recoleris honore,
Semper & excipiam trabeâ diſcinctus amictâ,
Submittamque tibi faſces: ductuque tuiſque
Conſiliis utar, ſeu pax ſeu bella manebunt
Me Regem. Cui tum placido ſic ſubiicit ille:
N 21. Me fluvium, aut fluvii dominum duxere priores
Commentis vatum capti, ſed jura dat amni,
Et mihi, qui rerum eſt Dominus, Rex altus Olympi:
Unus in Aligerum numero minor ipſe, Deique
Imperio his undis cuſtos permiſſus adeſſe,
Et fluvii incedo Genius. Lætabor honore,
Quem mihi pollicitus, recidat ſi Numinis idem
In decus, auſpiciis hujus te dirige ſemper,
Hoc cole; votorum ſiquidem, cultuſque verendis
Exhibiti Superis eſt demum terminus illud.
Quod moneo extremum: regnis ne ſponte futuris
Te fraudes, animæ parcas, neu projice belli
In caſus omnes: fac Rex a milite diſtet.
Quod dabitur, Turcas belli ſub limine ſternes,
Aſt hunc præterea, nullum venare triumphum.
Dixit, & in verbo pinum impulit, inde ſub undis

Mergitur; impreſſo dudum volat impete puppis.
Dumque ratis pergit, tacito ſub pectore Princeps
Haſſiacus volvit, quænam Regina jugali
Dignetur thalamo, vel quo dotalia regna
Quæſita accedant lecto, quem flectere Regem
Conſenſus famæ valeat tollentis in auras
Se doteſque ſuas, quos hoſtes fœdera pellent.
Hæc ſecum recolens tandem devenit, ubi amnis
Decolor, Iſmariaque recens a clade rubebat.
N.22. Poſt hinc digreſſus campos feſtinus adivit,
In queis metatus fuerat ſua caſtra Sabaudus.
In ripam excendit ſaltu, & congreſſus ibidem
Eugenium, vadit turmas augere Viardi
Agminibus ductis. Pedites ter mille trahebat
Haſſiacus Princeps patria ditione coactos,
Militiâ & veteres omnes: quin inſuper illis
Centenos equites non tantum ſanguine claros
Patricio, quantum propriæ virtutis honore.
His opus incumbit ſe circumfundere ſemper,
Et ſegete armorum Domini prætexere corpus,
Ne quis ad offenſam pateat locus: hic labor illis
Injunctus, ſed fruſtra: equitum nam robore Princeps
Non eget, aſt equitum eſt turmis ope Principis uſus,
Ut tutæ incedant, quando furor ingruit hoſtis.
Cum vero Haſſiades tenuit loca capta Viardo;
Hic ſiquidem ad pontem, fluvius quo jungitur Iſtri,
Ante Caraſabæ muros Legatus agebat;
N.23. Protinus incumbunt noſtris ter quina Gelonûm
Millia, dum ſperant geminis affligere turmas
Conſtantes equitum ſignis (nam ſtabat in Urbis

Vis

Vis omnis peditum muris) Getica arma morari
Non tulit Haſſiacus Ductor , non ipſe Viardus
Mœnibus obſeptus , campo ſed prodit aperto ,
Inque aciem educit ; numerum ſprevere Geloni,
Et propius ſubeunt . rapidi tum fulminis inſtar
In Thracem Haſſiacus Dux incidit : impete primo
Proſtrati Turcæ ſi non fugere ruentem ,
Defuit effugio ſpatium ; nam tardior ingens
Avulſa a ventis cautes ruit , omniaque ipſo
Atterit in caſu ; & ſtragem , qua volvitur , edit
Perpetuam , ſegeteſque molens, arbuſtaque frangens:
Turbine quo raptus Princeps , equitumque procella
Non prius in curſum, Thracumque in vulnera ceſſat,
Donec totam aciem Ciconum pervaſit , ibique
Cornipedem inflectens loris petit agmina rurſus
In latus invectus Thracum . Veſtigia confert
Cum Domino glomeratus eques , ſecumque ruinam
Strymoniis geminat ; verum vix unus & alter
Haſſiacæ periit protectæ gentis ab ære,
Quod plumbi obtundit glandes enſeſque repellit.
Poſtquam autem paullum medios progreſſus in hoſtes
Haſſiades , lævâ furias admittit equorum;
Utque alio intendat curſus , ea cauſa , quod illi
Obvius it, Ciconum poſt diſſita ſigna , Viardus.
Quippe per id tempus , cuneum quo Thracis apertum
Haſſiacus fundens Princeps trajecerat , & quo
In latus invadens medium penetraverat agmen;
Biſtonidum aggreſſus turmas a fronte Viardus
Tranſiit , & medio ſternebat in agmine Thracas.
Hic olli occurrit victor Fridericus, & inde

Digreſſus, levâ timidum contendit in hoſtem.
Tunc demum fuga facta, ingens tunc edita clades;
Cum duo diverſi Princeps, fortiſque Viardus
Afflicto incubuere hoſti; lævâ ingruit Heros
Haſsiacus, dextrâ divertit parte Viardus.
Quâq;ruunt,membra,arma ſolũ cumulo undiq;ſternũt,
Et ſecum membra, arma rapit cruor amnis ad inſtar.
Ut vero Haſſiades jam ſigna abjecta ſolutis
Ordinibus vidit, non ultra urgere fugaces
Mens generoſa tulit Turcas, curſumque repreſſit:
At ducis Auſtriaci partes ut jure Viardus
Abſolvat (quamvis mens alta averſa repugnet)
Inſequitur Turcas, alioſque in vincla petivit,
Demiſitque alios morti; ne forte remiſſi
Augerent ſocios, rurſusque in bella redirent.
Ergo ubi purgatus campus, deque agmine tanto
Vix fuga Biſtonidum bis mille a morte redemit.
Haſſiacus pariter Princeps, validuſque Viardus
Rettulit acceptos Superis de Thrace triumphos.
N.24. Dum vero hi gaudent grates ſoluiſſe Tonanti
Ob ſtratas Ciconum turmas, prædaſque relatas.
Parte alia Eugenius latum tranſiret ut amnem
Danubii, ingreſſus fraudes innectere Turcis,
Et clandeſtino transmittere fluminis alveum
Trajectu; ſiquidem citimis excludere ripis
Diffiſi Eugenium Thraces, nec tuta putantes
Litora cis fluvium, nova munimenta ſubinde
In ripa inſtituunt; illic equitatus, & ingens
Vis peditum aſſidit, regionemque obtinet omnem,
Arceat ut fluvii ripis intenta Sabaudum.

Hujus

Hujus at imperio caſtris præfectus adeſſe
Palphiades juſſus, Turciſque inferre timorem,
Ad ſpeciem ſimulans fluvium tranſmittere velle:
Quin & ab adverſo junctas aptare carinas.
Palphius illudit, timidos & diſtinet hoſtes
Haud ſecus ac juſſus, prohibetque excedere caſtris.
Interea Eugenius raptim tacito agmine movit,
Ut clauſum involvit tenebris nox humida Cœlum,
Perpetuumque emenſus iter, noctuque diuque
Litora Danubii longâ regione ſecundi
Percurrit: ſimul at proſpectu exivit ab hoſtis,
Conſtitit, & ſupra multas tabulata carinas
Committens, geminos aptat ſub flumine pontes,
Qui ſimul expleti, primus timor ille Gelonûm,
Trajecto fluvio, Geticos pervenit in agros
Mercius, & ducto pontis caput aggere munit.
Inde ubi firmata eſt ſtatio, ter dena virorum
Millia pervadunt; tum demum exercitus omnis
In terram egreſſus, campos & milite veſtit,
Directaque acie Geticum contendit in hoſtem,
Qui ſimul e ſpeculis viſum cognovit adeſſe
Eugenium; tunc ſero tenet, quid Palphius, & quid
Pro citimis Iſtri ripis mota agmina vellent.
Tunc animadverſæ fraudes, tunc error apertus,
Compertuſque alio fluvium tranſiſſe Sabaudum,
Et vacuis ſtruxiſſe ſibi mendacia caſtris.
Haud mora, non tantum turres & ſepta relinquit,
Aſt etiam ſclopos, & abactos projicit enſes
Auxilii credens inopes, onerique futuros:
Nec prius abſiſtit repetitum intendere curſum,

Donec Tauruni ſe clauſum in mœnia condit,
Obſtructaſque fores præſens, & clauſtra tuetur.
His tamen exclufit multos timor, eſſe videtur
Ad portas Princeps, implere & cædibus Urbem:
Hinc veriti Thraces ne portas occupet ante
Eugenius, ſocios renuunt admittere clauſtris
Fruſtra incuſantes dictis, lacrymisque precantes.
Quin alii, quorum melior ſententia, peſque
Aptior, intutos credunt a Principe muros.
Conſultâque operâ Taurunum adiiſſe recuſant
Intima Threicii viſuri viſcera regni,
Trajecturi æquor, prima & cunabula gentis,
Caucaſeam in terram, & ſummi juga montis ituri:
Tantus ab Eugenio Turcis inſederat horror!
Sic leporem aſſueto ſi forte exturbet odora
Vis canis e lecto, fugit ille citatior Euro;
Et licet haud videat dentes timidoſque latratus,
Præcipiti tamen uſque fuga transmittere campos
Proſequitur, cogitque ſequi timor avia curſu.
Ad calcem dentes avidos, voceſque minaces
Jam putat, impactoque affligi pectore credit.
N.25. Tum qui ſe muris Tauruni credere Thraces
Diffiſi tenuere fugam, demum agmine facto
Tendere maturant Iſtri per litora proni;
Atque ubi dilapſi tandem, noctuque diuque
Longum iter emenſi, & timidi vexilla Sabaudi
Abſcondere, tenent campos, quos Dacica tellus
Explicat, a caſtris tellus ſubmota Latinis;
Hic ergo Cicones greſſu procedere preſſo,
Quin & cunctari, vires animuſque receptus

Quo

Quo foret, & toto diſcuſſus pectore terror:
Tum furor inceſſit, mentemque ſubinde remordet,
Si quâ forte viam dederit res nata paratis
Indecorem ulciſci, & ſegnem ſarcire receptum.
Dum vero tales agitant ſub pectore flammas,
Continuo geminum Turcis ſeſe obtulit agmen,
Quod volat a Geticis quæſitum pabula campis
Imprudens facti; & tantis occurrere turmis,
Si foret arbitrii, renuens; verum alea quando
Obvia, quod vitæ malit præferre decorem.
Ex his una acies ſunt Saxones, altera porro
Euboici, Auguſtus primam(Rex inclytus ille
Qui modo Sauromatas facili ditione tuetur)
Miſit, ut invidiam Geticos fateatur in hoſtes.
Altera Parthenopes pignus teſtatur amoris
In Carolum. primam Dux Pignatellus agebat,
Altera Cardenidæ paret, ſic Ductor uterque
Cum magno effuſos aſpexit in æquore Turcas,
Subſtitit; & quamvis integro poſſet honore,
Nec tenues tantis Ciconum permittere turmas;
Exceſſiſſe negat; ſed Pignatellus equorum
Ordine laxato pedites ſuccedere juſſit,
(Hos Fernandus agit)quibus intervalla receptis
Clauderet, ut ſpiſſæ poſſent conſtare phalanges.
Hæc ubi: quadratum ſtrictis ſtetit agmen in armis
Opperiens Turcas: Turcæ videre coactas
Ordine diverſo, vixque advertere cohortes,
Tam cito digreſſus miles, rurſuſque coivit.
Sic ubi digeſtum cuneum inſpexere Geloni
Audentes numero ſeſe invexere, vel ipſi

Or-

Ordinibus denſis; cladem ſed denſior ordo
Biſtoniis auxit; ſiquidem Fernandus uterque,
Pignatelliaco cretus qui ſanguiue, quique
Cardenio eſt, inhibent ſociis, ne fulminis ictum
Explodant, donec flammis conterminus hoſtis,
Et pene appoſitus ſclopi veniſſet ad ora.
Scilicet ut rueret violentior impete multo,
Nil interſtitio, aut objecta debilis aurà
Ignipotens grando, nec Thracem ſterneret unum,
Aſt alium ex alio fodiens evaderet agmen
Per medium, & ſitiens & ſemper paſta cruorem.
Conſilium ex voto cecidit: congeſta videres
Corpora corporibus, ſcutis ſuperaddita ſcuta.
Vidit, & aſpectu cladis nil territus hoſtis,
Percitus at furiis ſeſe cumulatior infert.
Cujus in incurſu, nulla eſt mora, Saxones harpen,
Euboici exertant ſclopi de vertice cultrum:
Ac quibus in campis incendia volvere nuper
Veſuius eſt viſus, pugnæ mox ordine verſo
Continuo exarſit ſpiſſis ſeges hiſpida telis.
Et tamen incurrunt Turcæ, quos Saxones enſe
In caput & ſcapulas cæſim, ſed cuſpide punctim
Euboici in pectus feriunt; hic horrida pugnæ
Exoritur facies, parilique recruduit ira
Hac illac; calcar nam ſubdere Thraces, equosque
Infeſti in noſtras acies admittere; noſtræ
Suſtentare ſtudent; fruſtra ſed ab hoſtibus omnem
Impetus in partem, rurſuſque impreſſio facta eſt.
Integra ſtat ſemper, ſemperque invicta repugnat
Illa virum ſepes, greſſuque immobilis uno;

Et quibus armata eſt, celeri rotat impete tela
Fulminea: irarum ſimili certamine torti
Occurrunt Ciconum gladii; Cœlique per auras
A gladiis potius, quam denſo a milite bellum
Miſcetur; ſiquidem telorum copia tanta,
Sic numero implicita eſt, ut prorſum nullus in artus
Hoſtiles aditus pateat: ruit obvius enſi
Enſis, & incurrit colliſa ſeceſpita cultro.
N.26. Sic dudum pugnæ ſpecies feralis utrinque
Hæc tenuit; donec ducibus ſententia noſtris
Arriſit, tali turmas exolvere caſu,
Et mortem vel obire, Getas vel fundere victos
Mature: ſi tarda cadat, neutra alea cordi eſt;
Nam licet hac medios ſe Pignatellus in hoſtes
Plerumque intulerit, pariterque invexerit illac
Se quoque Cardenides, & magna clade Gelonos
Perculerint: ſemper bello novus affluit hoſtis,
Extinctique loco ſubiit: quin copia tanta
A gemini Herois non uſquam fulmine cædi,
Nec procul averti paſſa eſt, penituſque repelli;
Sic quamquam haud victas, poterat certamine feſſas
Auſtriacas demum turmas evertere Thracum
Diluvies, nullo non eluctanda labore.
Non procul a campis, ubi pugnæ exarſerat ardor
Poſt terga Iſmaridum, noſtræque a fronte phalangis
Collis erat, collem præter male dirutus agger;
Quin etiam appoſitus denſa viret ilice lucus
Obſitus, a dumis & inextricabilis idem,
Perpetuo hunc porro tractu complexus obibat
Suggeſtus, non jam terræ de tubere natus,
Oſſibus at Ciconum factus pene aggeris inſtar.

Hunc ubi luſtravit, viſuque intentus obivit
Pignatelliades, dictis ſic ora reſolvit:
Jam ſatis acceptum Getico de nomine pœnæ eſt,
Et labor impenſus nobis; jam martia virtus
Exhibuit recte partes, quas debuit, omnes;
Nec tantum laudi cedet, ſed prorſus ab uſu eſt,
Qui mihi conſpicuus, quem volvo mente, receptus:
Si ſecus, indecores & laſſos obruet hoſtis;
Ille vocat, feſſos nos ille tuebitur agger:
Qui vult conſultum vitæ, proprioque decori,
Per medios hoſtes mecum contendat, ut illum
In collem evadat, conatus hic ultimus eſto,
Quique ſalutaris noſtros attollet honores:
Cunctantes mors certa premet; propellere mortem
Vix ſuper una via eſt, ſi morti occurrimus ultro.
Hæc ubi, præcipitem ſe protinus invehit hoſti:
Illum Cardenides princeps, & cætera pubes
Conſenſu unanimi & fremitu, niſuque ſequuti.
Non aries, non ulla bolis ſe bellica jactet
Tam valido adverſos quatere, & fodere impete muros;
Quam ſubito Heroum par illud perculit hoſtes.
Jam via ſtrata patet, quæ ſanguine decolor: itur,
Itur? an a turmis Cœli per inane volatum eſt;
Ne peditem ſiquidem curſus prævertat equorum,
Alipedum ille jubas lævâ tenet, altera ferrum
Dum manus adglomerat, dum disjicit ictibus agmen;
Atque ita ſupenſo ſimilis, ſimiliſque volanti
It pedes, atque equitem juxta veſtigia confert.
Ne vero a tergo gens Thracum inceſſere poſſet,
Exceſſere Duces, cuneique extrema tuentur,

Et

Et ſoli a Turcis aciem defendere poſſunt.
N.27. Hoc ope mortalis factum virtutis, ab aſtris
An favor acceſſit Superum, quis verſibus uſquam
Eruere a latebris æterni Numinis auſit?
Hoc unum liquido conſtat; quo tempore pugna
Illa ferebatur, tantoque in cardine ſtabat,
Pignatelliadæ Patruo per membra cucurrit
Inſolitus tremor, & ſaliunt in pectore venæ;
Tum menti caſus ſubeunt, & cura nepotis,
Quæ ſenſim in lacrymas exit: vis ſanguinis illos
Ingenita in nobis, Genii an cuſtodia noſtri
Excierit ſenſus imo de pectore, non eſt
Conjectare ſatis. monſtris Franciſcus adactus
Continuo Sacrum templi Penetrale ſubivit,
Cernuus & flexo de poplite Numen adorat,
Quod fixum clavis e ſtipite pendet acerno:
Tum manibus paſſis, animo deſcendit in omnes
Ille preces, ſupplexque orat, ſua vota ſecundet
Numen, & Iſmaridum telis, flammiſque Nepotem
Arceat, & reducem patrias deducat ad oras.
Annuit actutum votis, gladioſque Getarum
Obtudit, atque alio flammas avertit adactas
Rex Superum, intenta voces accepit & aure:
Ut quondam, Præſul cum jam Franciſcus agebat
Sarmatica in terra, miſſus Legatus ab Urbe.
Tempore quo gentes ſtudia in contraria ſciſſæ,
Externiſque opibus fretæ ſcelerata ruebant
In bella, & proprio paſcebant ſanguine flammas
Civiles: medium pacis ſe protinus offert,
Componitque animos, parteſque in fœdera cogit.

Franciſcus; nec contentus quod Martis abegit
Ille procul furias, furias exegit & orci:
Quarum operâ ſtygiis eruperat impia regnis,
Rixarumque parens invaſerat Hydra Rhutenos:
Et prope Relligio lacrymis urgebat amictum
Jam lacerum, dono magni quem Numinis heres
Nacta erat integrum, nec prima ab origine ſutum.
Multiplicem hanc Hydram terrâ Franciſcus abegit
Sarmaticâ, ſtudiiſque animos diſcordibus actos
Compulit amplecti Romani vincula ritus;
Nec lingua obtinuit tantum, cui plurima fandi
Copia, in auctores ſcelerum ſeu fulmine vocis
Et tonat & terret, cœptisque abſiſtere cogit:
Eloquii ſeu melle probis blanditur, & una
Pellicit, aut dubios verborum pondere firmat.
Sed plus obtinuit, dum fixum in ſtipite Numen
Nec jam voce rogat; referunt nam munera vocis
Labentes lacrymæ, & taciti ſuſpiria cordis.
Audiit & pondus dictis infudit, & aures
Et faciles populis animos Deus indidit auctor,
Ille Deus, cujus ſub eodem ſtipite fixa eſt
Effigies eadem, quam nunc rogat, atque rogabat
Sarmaticos inter dum Pignatellus agebat,
Poſſet ut adverſos populi componere motus:
Quod ſimul evicit, revehit ſe Præſul in Urbem,
Regia quæ gentis, portas & victor inivit.
Pignatelliaden porro ceu compede vinctus
Inſequitur mavors, furiæque in vincla petitæ,
Quæque ſuperſtitio ritus averſa Latinos
Imminet exitio, cladisque in imagine tota eſt,

Has

Has Ditis Furias vinctas egiſſe, trophæi
Ceu ſpolium, victor revehit Franciſcus, & illi
Muneris in partem ceſſit pro talibus actis,
Proque inſtauratis rebus, furiiſque ſubactis,
Poſſit ad arbitrium vires ut demere cunctis,
Quos ſibi Relligio queritur Romana rebelles:
Sic prece nunc vicit, ne Turcæ inſtare Nepotis
Agminibus poſſent, neve agmina lædere telis.
Progreditur cuneus, ſtipatoque ordine tendit;
Et licet hac illac Ciconum vis ingruat ingens,
Solvere non aciem valuit, properamque morari,
In tumulum ſeſe donec, lucumque recepit,
Canaque tranſiliens Thracum pede conterit oſſa.
N.28. Tum memores Turcæ, & veſtigia dira legentes
Acceptæ cladis, luco quam fortis in illo
Intulit Iſmariis quondam Fridericus, ibidem Fridericus Saxonum Dux.
Immotis ſimiles hæſerunt: arma remiſſis
E manibus dilapſa fluunt, tremor occupat artus
Concuſſos: revocant ergo ſua ſigna, fugæque
Se dedunt; ſiquidem Fridericum incurrere rurſus,
Et gladio ſibi ſternere iter, rurſuſque per arma,
Perque nemus, perque objectos terno aggere vallos
Illum obluctantem, debellantemque videntur
Aſpicere, & parvo numero magna agmina Thracum
Sternere: ceu quondam luco cum clauſus in illo,
Aggere vel tectus triplici, ſpiſſiſque lacunis
Rex Ciconum haud potuit Friderici avertere fulmen
Ingenti a Thracum numero; cum pene quaterni
Saxonas adverſus ſererent fera bella Geloni.
Felices populi geminas aptate columnas,
Quæ duplices referant inſcriptæ hoc carmine palmas;
Sa-

Saxonis hic pubes Geticos bis contudit hoſtes:
Græcia nec vobis certet, nec martia Sparta
Thermopylas jactet; ſiquidem ne plurima turma
Exiguam obrueret, fecere anguſta locorum.
Hic vero hic juvenum virtus montem exhibet illum;
Nec qui ſuſtentet, ſed qui radice revulſus
Ex ima Ciconum proculcet, & obruat agmen:
Robore jam Spartam, ſtudiis jam vicit Athenas
Lipſia, quæ turmas, quæ direxiſſe Senatum
Scit bene: cui lauri frondes non decutit enſis
Vulnifici fulmen, nec Pegaſis unda furorem
Belligerum extinguit: quæ cincta togâque ſagoque
Et tonat arma rotans, & leges ſancit, & inter
Bellantes Aquilas reſonos demittit olores.
His fuſis ergo, & Tauruni in mœnia Turcis
Compulſis reliquis, campos jam nactus apertos
Eugenius, movit muros expugnet ut Urbis.

FRAN-

Digitized by Google

Digitized by Google



Taurinum 2 EUGENIUS premit obſidione. 3 Gelonûm
Claſſem 4 bina ratis, 5 Galli mox 6 agmina fundunt

NAPOLI

Digitized by Google

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS;

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA;

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER X.

N. 1. *DEſcribitur Taurunum (Belgrado) inacceſſum à Septemtrione ob Savum, et Iſtrum, quibus cingitur: et inexpugnabile a meridie ob innumera opera a recenti arte extructa.*

N. 2. *Eugenius nedum exterritus, ſed lætatus proſpectu Urbis ſua oppugnatione dignæ: a meridie, ſeu terreſtri ex parte obſidet Taurunum.*

N. 3. *Inſternit pontes ſuper utroſque fluvios, et quibus de cauſis. Ducit aggerem a Savo ad Iſtrum, et campos populatur.*

N. 4 *Fernandus Bavariæ Princeps ingens Turcarum templum ſub Urbis muris primo incurſu expugnat, et quibus præſidiis adjutus.*

N. 5. *Eubeno Legato ad pontes, et ad Iſtrum duabus navibus*

bus cura cuſtodiæ mandatur : ne Turcæ hac parte Urbi ſuccurrant.

N. 6. *Turcæ indignati ſe circumſeptos quadraginta naves educunt, quæ primum exponunt duo millia Turcarum in Savi ripa: ut ibidem expugnarent parvam turrim: eam dum irrito conatu Haſſiacis defendentibus oppugnant ab Eubeno, Sechendorfo, & Odvierio fuſi ſunt.*

N. 7. *Deinde naves lata fronte amplexæ invadunt Auſtriacas : ſed Turcicas Storchius, & Pomerſus Duces egregie multatas, unâ depreſsâ in fluvio, conjiciunt in fugam: cui præcipiti mandant ſe Turcæ viſis ſociis perculſis ab Eubeno ripam jam obſidente. Miro interim prodigio intactis Auſtriacis ratibus.*

N. 8. *Id miraculum ad Mariam Virginem adlegatur : cui eadem Virgo adſtructura fidem majoris ope prodigii pontes, claſſem, & Auſtriacum vendicat exercitum. Res porro ita proceſſit.*

N. 9. *Tauruni Præfectus intelligens ſuas in pejus, Auſtriacas magnis incrementis res ire Magum inducit, ut ruinam ſua arte Cæſareis bello invictis conflet.*

N. 10. *Magus infandis victimis, & carmine ſtygios canes ab Inferno avocat : quorum aliis formis rejectis Typhonis probatur.*

N. 11. *Oratio Magi ad infernum canem, & hujus breviſſima ad Magum.*

N. 12. *Turbo incumbit fluviis, pontes convellit, & in caſtra invectus omnia late affligit.*

N. 13. *Eugenii ad Mariam Virginem preces.*

N. 14. *Maria Virgo precibus Eugenii acceptis Cœleſti militia Procerem mittit, is Tartareum hoſtem expellit*

non

non aliis armis, quam enuntiato Virginis imperio.

N. 15. *Turcæ credentes turbine conſternatos Cæſareos eruptionem faciunt, ſed cum ſtrage rejecti.*

N. 16. *Germani ſtructam ex paleis perſonam, & ſago indutam contra Turcas exponunt: quam vivum militem rati, & aſſidua glandium tempeſtate immotam conſpicati Turcæ, Celoce ad id facinus armatâ, & militum manipulo tandem expugnant.*

N. 17. *Ejus ludibrii errore detecto Turcarum riſus: at illorum Ducis dolor, & ſeria oratio.*

N. 18. *Eugenius, captâ in Iſtro inſulâ, inde Taurunî latus fluviale tormentis diverberat, & excindit.*

N. 19. *Eugenius apertos in muro aditus idcirco aggredi abſtinet, ut Viſirium de* Urbis *periculo ſollicitum ad ejuſdem ſubſidium, adeoque ad pugnam cogat.*

N. 20. *Conſternatio Præſidii, & ſpiſsi ad Viſirium miſſi nuntii de Urbis periculo monituri.*

N. 21. *Eugenius admoto Viſirii exercitu aggerem exteriorem firmat: ea ex cauſa ut Viſirius exterritus ſua caſtra invadere: ipſi invadendi Turcarum caſtra foret copia: quod nobiliori & faciliori eventu ſuperanda crediderit. Ejus conſilii probabiles rationes.*

N. 22. *Carolus Auguſtus accepto nuntio, quod Viſirius Turcica ſuis caſtris contuliſſet, veneratur, & exorat Numen omnibus templis expoſitum. Apoſtrophe Poëtæ ad Carolum Auguſtum.*

N. 23. *Eugenius ut velitationes Turcarum plectat, venatores pro ſuo vallo diſponit. Venatorum peritia jaculandi glandes oblongo ſclopo. Felix ejus rei eventus.*

N. 24. *Eugenius multatis ſic Turcis ſuos velites emittit.*

Inter quos Galli Principes Carolois, Dombeſius, & Marilachus, qui aſſequuti Turcas occupant cædere eos, antequam ſe crederent fugæ,cui ſtudebant. Quo punto Viſirius perſpecta Gallorum hac acie, ſuis timens majorem emiſerat; ſed Galli eodem fere tempore expediti primâ, ſecundam hanc turmam ſub ipſis pene caſtris trucidant eo impetu, ut Viſirius ſemipleno ſenſu vix intellexerit Gallorum incurſum, niſi ſuorum ſtrage comperiſſet.

N.25. *Viſirii, ne Galli in ipſum aggerem irruant, timor, nec vanus; niſi enim receptui cani Eugenius juſſiſſet, ibant jam Galli aggerem petituri. Dum vero hi repetunt caſtra, Turcæ fruſtra in eos tormenta librant: inter librandum quippe jam Galli tormentorum a ſcopo ducenos paſſus exierant.*

N.26. *Viſirius ſua caſtra ad Cæſarea promovet: inde aſſidua flammarum procella:perſuaſerat enim ſibi non toleraturum eam Eugenium, ſed cæptis fugienti ſimilem deſtiturum.*

N.27. *Poëtæ Apoſtrophe ad Viſirium inani hac ſpe deceptũ: ſicut decepta Europa inani fuit timore,quem tamen mendacibus invidia auxit ſermonibus; dum eadem dolenti ſimilis de exercitu Cæſareo conclamatum eſſe queritur.*

N.28. *Eugenii in tam arcto rerum articulo & alacris virtus, & cauta; ne enim Viſirius ſe invaſum iri ſuſpicaretur, atque ita ſolutior ſtaret, Eugenius Urbis ſolam expugnationem affectat: qua affectata obtinet pariter ut Præſidium ſollicitum de Urbe, imparatum eſſet ad petenda Auſtriadum terga fervente jam pugna:ſic animis Turcarum falſis tres continentes dies explodi jubet omnia tormenta, ut & oculos hoſtium ſublata a fumo*

luce

luce fefelliſſet. Quod factum eo quoque ſpectavit, ut ob fragorem aſſiduum tormentorum auditu Turcæ fraudarentur. Quin ne conjectarent quidem Turcæ pugnam, aſſidue movet legiones, ut hoſtes ſolitos excurſus putarent, ſi forte per intervalla fumi Germanos ad pugnam procedentes vidiſſent ſtata die.

N.29. *Sed jam aderat dies: ea nempe quæ addicta eſt feſto Mariæ Virginis Cœlo invectæ. Aligerûm eam diem recolentium Pæan. In ea die Eugenii pietas, & pietatis officia.*

Aliud ejuſdem Agnelli de Amato argumentum.

Urbs canitur vallata: Getas Fernandus in æde
Sacrilega cædit. Claſſis tum victa. Typhonem
Eugenius, Turcas Carolus prece disjicit. Hoſtes
Gallica vis abigit. Falſus Viſirius arte eſt.

LIBER X.

N.1. URbs auguſta ingens pinnis turrita ſuperbit
Taurunum, populiſque frequens Regina videri
Affectat; ſiquidem reliquis ex Urbibus illa
(Has porro innumeras tellus contermina jactat)
Abſtrahit indigenas, vaſtiſque in mœnibus abdit:
Multiplices ſic una refert, ſic claudit & Urbes
In gremio: hinc proprii natis ex ubere campi
Haud opibus contenta, ſimul rapit invida gazas:
Et quo liberius populos abducat opeſque,
Jura dat, & gemino repetit vectigal ab amne,
Adjectique ſoli fruges ſibi quærit ab undæ
Servitio: ex Urbis gremio faſtigia collis
Exerit, & dominam muri diademate cingit.
Quippe ſupercilio clivi munimina ad auras
Erigit attollens, & mœnibus ardua latis
Arx ſedet, atque Urbis partes dominatur in omnes,
Quam poſitu editior, tam mole excelſior alta.
Urbs porro occiduum Solis quâ conſpicit axem,
Quâque eadem ad ſeptem vergit devexa Triones,
Et Savo, & vaſti fluvio prætenditur Iſtri:
Hac ergo regione, ſitus ſecura, locique
Eſt ſatis ingenio; gemini nam brachia tendunt
Hic fluvii, & veluti complexam ex hoſte tuentur,
Et firmam efficiunt laticis levitate fluentis,
Ut nuda, aut muri ſit ſimplicis objice cincta.
Quâ vero a fluviis refugit, quâ pertinet illa
Ad Solem, Cœlo medius qui contrahit umbras
Altior, & metâ pariter ſubmotus utrâque eſt:
Hic campus, veluti gemino ſit natus ab amne,

Emer-

Emergit, brevior primum, cum proximus Urbem eſt;
Fluviorum occurſu quando decreſcit, & inde
Angulus exiſtit Savo conflatus, & Iſtro:
(Influit hac ſiquidem perdens ſe Savus in Iſtrum)
Aſt ubi ſe campus fluvio ſubduxit utroque,
Explicat, & late immenſum ſpatiatur in æquor,
Et veluti damnum ſtudeat ſarcire, ſuamque
Jacturam, ut redimat ſpatium, quod fluminis unda
Invidet, in montes creſcit, quibus ire timore
A fluvii liber poſſit, quibus ille coronam
Impexam arboribus variis ſibi velle videtur
Fingere; quod fluvii vel demum eluſa tyrannis,
Vel victa eſt; quando numeroſa cacumina paſſim
Erigit in clivos, nullique obnoxius amni eſt.
Ergo ubi Tauruni tellus contermina muro eſt
Hæc juga ſpectantis, tales tangentis & agros,
Dictu incredibile eſt, quam multa excuderit Urbis
Pro muris opera, & quantas adſtruxerit arces
Ars nova: mæandros varios ſibi mœnia fingunt
Obvia, & errores alio diducta reponunt
Multiplices: illic dentata forcipe ſurgunt:
Hic mediam inſtituunt Lunam, tum cornua bina
Ipſa inſerta ſibi, ſeque exolventia fingunt,
Dum foveas jungunt foveis, atque arcibus arces.
Cumque tot ambages, totque implicitos Labyrinthos
Viceris: objicitur murus, murum excipit alta
Arx demum, non tam niſus domitura manuſque,
Quam præſens, quæ vel viſus animoſque fatiget,
Sive aciem intendant, ſeu molem attendere quærant;
Quandoquidem dorſo modici ſubſidere collis
Indignata, caput tollens procerior exit,

Lu-

Lunatiſque procul ſignis & in aſtra minatur,
Et Cœlo, & bellum Superis inferre videtur.
N.2. Hæc ſeries operum, hic murus, proſpectus & hujus
Arcis, ut audaces omnes ſub limine belli
Terruerit primo cœptis abſiſtere juſſos:
Ejus ab aſpectu virtus ſibi conſcia gaudet
Eugenii; cui perſuaſum eſt, * nihil arte, ſituque
* Eſſe adeo invictum, vel ineluctabile quicquam,
Quin ope virtutis domitum jam denique cedat.
Hac Princeps a parte, licet munitior obſtet,
Obſidio ingreſſus Tauruni cingere muros,
A fluvio ſiquidem nulla eſt vallare facultas.
N.3. Huc ſimul ac ventum eſt, exploravitque locorum
Naturam, fluvios extemplo jungit utroſque
Pontibus; ut liber ſemper trajectus in agros
Pannonicos foret; unde ſuis bona copia rerum
Suppeteret turmis ab amico vecta colono.
Quin et fluminibus gemino ceu vincula ponte
Idcirco injecit; facilis ne forte pateret
A fluviis aditus, clauſamque ingreſſus in Urbem.
Stant ſolidi pontes, ceu propugnacula, ſupra
Flumen, & avertunt illinc ſubiiſſe parantes
Vel frugum numero, vel onuſtas milite naves.
His ita compoſitis late producit ab Iſtro
Ad Savi ripas geminum gemino aggere vallum,
Pro vallo ingentes foveas depreſſit ad ulnas
Bis quinas, addens his propugnacla ſubinde,
Brachia loricaſque, & acuto ſtipite cervos.
Nec metus id belli, ſed diſciplina peregit.
Tum late campos omnes pervaſtat, & urit

Omnia,

Omnia, quæ poſſent concedere Thracis ad uſum;
Cumque ſibi cavit, bellum ſecurior infert.
N.4. Templum immane ingens Urbis pomœria juxta
Stabat, ſacrilegi ſacrum Magonis honori:
Præſidio Ciconum ſtatio robuſta potenſque,
Hanc jubet invadi Princeps: dicto ocyor ipſo
Ingruit, aggreditur, ſuperat Germana juventus:
Nec prius hæc inita eſt, quam raptim expleta ſimul res.
Quid mirum eſt? acies ibat ſpectante Sabaudo,
Auſpiciis Fernande tuis decor inclyte gentis
Vindelicæ: fanum ipſe pias cum ſanguine Thracis,
Vana ſuperſtitio gentis quod polluit olim.
Et ne Tartareus vires Canis adderet hoſti,
Obtinuit pietas Juvenis tua: protinus ille,
Ut templum caſto tactum pede, fugit in orcum
Præcipiti ſimilis: valuit tuus enſis ad hoſtem,
Ne templum auderet ſumptis defendere telis.
N.5. Hæc ubi: Legato Eubeno dat juſſa Sabaudus,
Ut juſto juvenum numero trans flumina Savi
Ripa ex adverſa ponat ſua caſtra, Gelonas
Averſura acies, Urbis ſi forte ſubirent
Subſidio: geminas naves tum præficit amni,
Quæ cuſtodirent, liber ne Thracibus iret;
Nam Geticus cum Savus eat pene omnis, & omnis
Sit Getici imperii regio, quam finit utriſque
Is fluvius ripis: facili certamine Thraces
Nixi ex adverſo poterant abrumpere pontem,
Et muris turmas, & turmis pabula ferre.
N.6. Tunc indignantes Turcæ ſeſe undique ſeptos
Ingentem educunt claſſem; gravis illa catervis,

Par-

Partim ad præſidium retinet, pugnamque ciendam,
Expoſuit partim ripæ ulterioris arenâ.
Agmine tum recto vadunt duo millia Thracum,
Ut turrim expugnent poſitam ſub margine Savi.
Sexaginta intus juvenes, gens Haſſia, turris
Tutelæ præerant: ſi turris nomine digna eſt,
Quæ modo depactis contis, quæ condita terrâ
Spiſſatâ fuit, atque infarto ceſpite ducta.
Id ſepimenti tota obluctatus opum vi
Aggreditur, crebriſque inſtans aſſultibus hoſtis
Scandere conatur; verum repetitus & acer
Niſus ad effectum nuſquam pervenit, & iræ
Nil bene ſucceſſit: furit irritatus & ardet
Thrax breve ſuſpiciens ſeptum,numerumque minorem
Præſidii. hac illac ſiquidem diſtenta ruebat
Multimodo excurſu pubes intenta tueri
Quam partem urgebat confertim Thracius hoſtis,
Quodque loci, cæſis propugnatoribus, eſſet
Nudatum: nullus revocat veſtigia retro.
Spes animos Turcis, deſperatique receptus
Haſſiacis faciunt, furiis certatur & æquis.
Hæc dum pugna tenet, dum pugnæ eventus & anceps;
Quis ſtatus hic eſſet rerum, ſeptique periclum
Comperit Eubenus: volat ilicet ergo, comeſque
It Sechendorfus, fortiſque Odvierius olli,
Quaſque habet in promtu turmas ad prælia cogit:
Qui ſimul ac nacti, magno incubuere Gelonis
Impete; nam denſa multatos grandine plumbi
Eminus aggreſſi, ſtricto tum cominus enſe
Exturbant: tanti molem certaminis impar

Su-

Suſtentare, fugit, ſeque hoſtis navibus abdit,
Cui data ſors: animas plerique in fluminis undas
Projiciunt; miſeris tam protinus ira reſedit,
Tam cito ſucceſſit terror! quem fervida cuſpis
Incuſſit, graviorque ducum furor; itur in amnem,
Tantum fulmineos enſes evadere detur.
N.7. Hic ſimul eventus bellum terreſtre ſequutus:
Par quoque navali ceſſit; nam Turcica claſſis
Rem ſibi non magni duxit certaminis eſſe
Auſtriadum binas naves avertere captas,
Quippe quaterdenis conſtabat navibus ipſa.
In geminas ergo, veluti ſecura trophæi,
Remigiis agitur; ne vero evaderet ulla,
Primum aciem explicuit diductam in cornua latam,
Eſſet ut ad pugnam ſpatium: noſtraſque carinas
Ordine complexas circumventaſque patenti,
Omnibus expoſitas armis, flammiſque petitas
Deprimeret, naves ultro ſi dedere miles
Abnuat: hoc ergo ſubeuntes ordine Thracas
Jam propius magna cum tempeſtate pilarum
Storchius excepit Prætor, conſorſque Pomerſus:
Nam latus obvertunt olli ratis, exque propinquo
In Threſſam explodunt Vulcania fulmina claſſem.
Grandine qua remos, atque armamenta carinis
Detergunt variis: avulſaque fruſta Getarum
Tranſtra per, & fluvii latices ſparſere cruentos.
Tum, velut injecta rabie, ſeſe undique naves
Odryſiæ offundunt, tormenta & bellica librant,
Ictibus at caſſis: moles ſive inſcius auctor
Altius evexit; naves ſeu Virgo Latinas

Ut tegeret, glandes a puppibus altius egit.
Artifici adſcribant alii, me judice Virgo
Servatæ tibi navis honos, tibi gloria cedat,
Et tibi Cæſarei ſolvant pro munere grates.
N. 8. Ut res cumque fuit: late ſe gloria jactet,
Et virtus utriuſque Ducis, dum ſtrenua geſtit
Flammam inter; ſiquidem quantumvis ignis ubique
Eſſet, ubique faces ultro citroque frementes
Ante oculos, perque ora Ducum; color unus, & una
Vis animi conſtat, flammarumque agmina ſpernit:
Mortis & ad caſus nulla formidine pallet.
Quin & conſeruiſſe manus, ferroque ciere
Bella parant, adiguntque impulſas remige puppes,
Et claſſem geminis audent urgere carinis.
Aſt experta ſatis pubes Threiſſa, quid enſe
Cominus in bello poſſet Germana juventus,
Auſtriadum incurſus vitat, revocatque carinas,
Et gladio vires nudo conferre recuſat;
Sternere ſed potius miſſo vult eminus igne,
Quam gladio, nec vi dextræ, ſed glandibus hoſtem.
Utque animadvertunt inopes a milite ripas,
Hunc poſtquã in lembos, vel in amnem cõpulit ardor
Eubeni: tum tota ratis converſa Getarum
Incubuit remis, & concita flumina curſu
Tranſmittit, portuque redux ſe condidit Urbis.
Quodque fidem excedit, quamvis pars maxima claſſis
Multata eſt armis, una & demerſa triremis,
Et Thracum e numero tercenti lumine caſsi.
At parte ex alia cæſis vix quatuor, amne
Victrices remeant geminæ de claſſe carinæ.

Ipſa

Ipſa revertentes etiam (mirabile viſu)
Unda rates lambit niveis argentea ſpumis,
Et ſigna inſolitâ pellucent Auſtria luce.
Carbaſaque, in dubio eſt, ventiſne inflata ſecundis,
Militis an fremitu, & plauſu diſtenta trophæi
Intumuere: ſinus tenſi retinere rudentes
Vix poſſunt tumidos: geminæ ſic denique naves
Se referunt; quod ſi plauſum, cultuſque nitorem
Expendas: non a belli, flammæque periclis,
Aſt a navali credas veniſſe recentes.
Virginis id munus, Divæ ſunt munere victi
Thraces, & Auſtriadis ceſſit victoria dono
Matris, ab illius ratibus lux addita luce eſt.
Neu quiſquam inficias iret, majoribus illa
Prodigiis voluit facti conſtare minoris
Confeſſam, certamque fidem: cum præſtitit aures
Eugenio faciles, cum votis annuit ultro,
Et pontem, & reliquas naves protexit, & omnes
Cæſareas acies: ſtygiique exemit ab hoſtis,
Non Thracum e manibus ſolum: quod Virgo peregit
Adſtructura fidem ſe protexiſse carinas
Hoc argumento, & glandes pepuliſse Gelonas.
N.9. Viderat incaſsum toties fecitse periclum,
Inque ſui exitium quosquos evadere niſus
Tauruni Præfectus: aquis ſeu forte ſecundis
Artifici gravidas flammâ, flammamque vomentes
Impulerit naves, ut pontem abſumeret igne:
Sive frequens miles muris eruperit Urbis,
Ut vallum excindat, vel moliretur abactis
Cæſareis ſeptum; nam ſemper pulſus in Urbem,

 Aut

Aut ignominiam retulit, vel vulnera ſecum.
Viderat at contra noſtras augeſcere magnis
Res incrementis ſemper, caſtique Sabaudi
Ad votum quidquid ſtrueret ſuccedere ſemper.
Ergo ubi nil reliquum, bello quod tentet aperto
Eſſe ſibi doluit: campo permittere turmas
Non auſus, totum magicas ſe vertit ad artes,
Accitumque Magum donis precibuſque minisque
Pellicit, ut ſolitis præſtet miracula verbis
Nuſquam eluſa fide, aut rebus fraudata ſequutis.
N.10. Invidiâ innatâ promtus licet ille Latinæ
Gentis in exitium, donis animoſior omnes
Pollicitus fraudes vadit, caprique peremti
Avellit caput, atque infandâ ſiſtit in arâ:
Tres exin pueros raptos ex ubere matris
A Getico averſæ ritu, Latiumque profeſsæ
Mactat, & innocuo conſpergit ſanguine capri
Cornua, ſacrilegaſque aras: tum lumina circum
Altare accendit, flammiſque alimenta miniſtrat
A pueris ſublatus adeps, dein orbibus orbes
Exortos virgâ ducens inſcribit arenâ.
Ipſe ſtat in medio rectus, mox pronus adorat
(Horreſco meminiſſe) caput, vocemque reſolvens
Cantat, neſcio quid, muſsansque obmurmurat ore.
Hic variæ exortæ facies, gens hoſpita Ditis,
Illudunt; noſtri generis namque impius hoſtis
In varia induerat ſeſe miracula rerum.
Et nunc arrectis villis, rictuque Leonum
Terribiles fallit vultus, abit inde Draconis
In faciem ardentem ſquammis, ſpiriſque minantem.

Tunc

Tunc abolens rurſus ſumtæ veſtigia formæ
Hiſpida fit Tigris: dein verſo a Tigridis ore
Amphiſibæna fuit: mox ſævam evadit in Orcam
Horrendam viſu: Piſtris tum corpora traxit
Quaſsantiſque caput, fluctuſque ex ore vomentis.
Et dum tot variat facies, vultuſque ferarum,
Voces quæque ſuas a rictu explodit hianti,
Sibilaque aſſenſu conſpiravere trementi,
Excipienſque ſonum gemit icta fragoribus Echo.
At Magus intentans virgam, ſimiliſque minanti
Significat tales non arriſiſſe figuras.
Hic ſeſe in nimbos acies inferna revolvit,
Unde ruunt imbres, & fulmina mille coruſcant.
Nec tamen ille probat: nubes tum purgat in auras,
Fitque Typhon: placet ille Mago, ſiſtitque potenti
Carmine, & erectâ virgâ: tunc impete magno
Turbo obluctatur, glomeratque ad ſydera nubem
Pulveream in gyrum ventis diſcordibus actam,
Qui ſibi nil cedunt, parili bacchantur & ira
Adverſi: terram in Cœlum, Cœlumque putares
In terram ruere, & bellum colliſa ciere.
Dumque ita graſſatur, vix paulum a ſede magiſtri
Digreditur turbo, nec vero obliterat orbes,
Queis circumſcriptus ſtabat Magus: undique porro
Contigua his tellus (tanta eſt violentia venti)
In modicos effoſſa ſinus ſubſedit; at ille
N. 11. Impius his lætus moſtris, i, dixit, & Iſtro
Ac Savo incumbe, & campis ubi caſtra Latinus
Ille habet, (Eugenium non auſus dicere linguâ
Sacrilegâ) ponteſque ambos in fragmina ſolve,

Et

Et claſſem inviſam fluvio detrude ſub imo,
Flumina quin fundo cieas violentus ab ipſo,
Abruptaſque rates, raptoſque ex amne Latinos
In campum immitte, & latices infunde ſequentes.
Sub monte undarum, ſi ferro invictus & igne eſt,
Barbarus ille tuus cadat intractabilis hoſtis,
Ille tui everſor Regni, cladeſque Getarum:
Omnia ni perages, noſti, te flagra manebunt.
Omnia, ſi dabitur, de turbine ſubjicit ingens
Clamor, & ante ſonus quam deſinat ire per auras,
N.12. Continuo quâ juſſa via eſt, ruit impetus ille
Tartareus, volvitque imis e ſedibus amnes
Creber, & impactus ponti obluctatur, & undas
Illidit: tabulata gemunt, planguntque carinæ
Commiſſæ: at tanto rurſus certamine turbo
Invehitur ponti, ut reſtes lacerarit, & ipſos
Eruerit clavos commiſſo e ponte trabales.
Tigna ruunt tabulæque effractaque vincla per undas:
Nec ſatis hoc, fluvio cedit mox ſpiritus orci,
Et campum invadens ſternit tentoria, ruptis
Funibus, afflixitque viros, rapuitque per auras
Exuvias, atque arma. ſtupet miracula venti
Inſoliti cernens Princeps, verituſque ruinam,
Seu redeat turbo, ſeu forte diutius inſtet:
Applicuit terræ poplites, & in æthera vultus
Suſtulit, ac palmas, & dictis talibus orat.
N.13. Virgo Parens, cui terra libens, cui paret Olympus,
Cujus & imperii appendix non ultima Dis eſt,
Qui licet invitus debet ſervire jubenti:
Quæ nova nos belli facies, aut unde coorta

Ag-

Aggreditur, ſtygiis ſi forte emiſſa caminis,
Ah precor affer opem, trepidis & conſule rebus,
Neve ſinas Furiis (quando potes omnia nutu)
In gentes, acieſque tuas tam multa licere.
Si vero morti nos deſtinat alta voluntas
Nati Virgo tui, detur cecidiſse Getarum
Fulminis aut ictu, vel adacti cuſpide ferri;
* Et ſtudii, & meriti ſumma eſt, ſi Numinis ergo,
* Thracis & invidiâ liceat fudiſse cruorem.
Haud equidem mortem,*quæ felix meta malorum eſt,
Deprecor, hanc mortis ſpeciem ſed deprecor unam.
Quæ meriti eſt exors, prorſuſque ingloria cedet,
Si ventus miſeros, & ventus perdat Avernus.
* Quam demens, exercitibus cui fidere cordi eſt,
* Sternere quos etiam potis eſt injuria venti!
Si tamen, ut flatu pereant, fert Diva voluntas;
Eveniat: ſolum porro tibi maxima Virgo
Id ſi ſubjiciam, non indignare roganti.
Hic miles, tua turba, tuus Dux ipſe, tuoque
Munere tot caſus defuncti evaſimus olim.
Ne nos, in nobis, precor o, tua munera ſerves.
Nam ſuper his Getici, ſtygiique ſuperbia Regis,
Non ſuper acciſis nobis ſeſe efferet olim.
N.14 Dixit: ineſt dictis pondus, nec turbinis ira
Avehere hæc potuit,quamquam longe omnia ſpargat:
Et licet obſtreperet late, non obtinet aura,
Quo minus ad Divam tendant delata ſupernis
Verba miniſteriis; placidas admiſit ad aures
Hæc Virgo, cujus nutu volat ilicet aſtris
Aligerum Princeps Procerum, cumque imminet illic,
Quâ

Quà fera Theſiphone pervaſtat turbine campum,
Subſtitit, & Cœli mediis ſe librat in auris
Suffultum alarum niſu, tum fulminat haſta,
Atque ait: i, ſtygiæ monſtrum pete viſcera ſedis.
Hic tuus, hic ventus cæcis graſſetur in antris:
Quo tua te quondam ventoſa ſuperbia adegit;
Cum furor inceſſit ſolium transferre Triones
In gelidos, ſimilemque Deo regnare * quis uſquam
* Ut Deus? intactæ Matris quis nutibus obſtet?
Imperat id Virgo. tali ſub fulmine vocis,
Sic abiit celer, & ſtygiis Canis abditur antris:
Haud ſecus, atque olim rapidi ſe fulminis inſtar
Præcipitem dedit, & vetito revolutus Olympo eſt.
Tum venti cecidere, ſilet fragor, unda reſedit
Danubii: curſum ſternit tum lenis aquarum
Savus, & æquatæ ſpirant clementius auræ.
N. 15. At turbo quamvis, & Averna obmutuit ira;
Non ceſſant tamen, aut lenti ſiluere Geloni;
At fractis cecidiſſe animis, damnoque metuque
Perculſas trepidare rati turmaſque, Ducemque
Auſtriadum, multo prorumpunt impete portis.
Ut lupus in caulas rapitur, cum nubilus aër
Admonet, obnubens cæca caligine ſtellas,
Plurimus aut imber juſſit ceſſiſſe Magiſtros.
Sed ſpe fruſtrati Cicones; nam Thracius enſis
Cum procul emicuit, Germano in pectore virtus
Lucis ad aſpectum Getico radiantis ab ære
Non rediit ſenſim aucta gradu, rediviva ſed arſit
Momento: mora nulla, ruit celer omnis in arma,
Collatoque gradu Turcas petit Auſtria pubes.

Sic

Sic canis, ut laſſis jaceat dejectus in herbis,
Si lepus emergat, revocans ſub pectore vires
Emicat ille ferox, prædæque illectus amore
Evolat aſſultim, & celeri campi æquora curſu
Corripit: oblituſque ſui, nec gramina lædit
Summa, nec in molli veſtigia ſcribit arenâ
Calce terens leporis calcem, & jam dente moratur.
At clandeſtinum Thracis licet occupet auſum
Nonnullos, Savvi ad ripas qui forte ſoluti,
Diſcinctique aderant: pubes armata redemit
Illorum peccata, & Thracum cæde piavit.
N. 16. Nec tantum edocuit Turcas Germana juventus
Se nullo afflictam prorſus torpere timore:
Sed rebus potuit vanis inferre pavorem.
Perſonam ſiquidem nexis concinnat ariſtis,
Et capiti affigit vulpis de pelle galerum,
Inducitque ſagum, ſclopumque accommodat aptum
In manibus, jam jam fulmen librare paratis.
Perſonam hanc ſtructam paleis, atque aſſere fultam,
Auſtriacus miles decepto imponat ut hoſti,
E valli exponit furtim regione Geloni.
Tum vivus miles ficti poſt terga ſubinde
Explodit ſclopum, ſeſeque in caſtra reducit.
Clam vero id præſtat, nec turmis ille Gelonis
Conſpicuus vadit, ſed poſtquam fulmina ſclopo
Torſit in Edonos, revocat veſtigia ſenſim.
At Turcæ falſi credunt a milite ficto
Incuſſas plumbi glandes: bolidum ergo procellam
Hunc contra emittunt, manet ille immotus ad ictus,
Et ſua conſpicitur ſemper collectus in arma.

Hærent attoniti rerum ad miracula Thraces:
Inde irritati rurſus ludibria telis
Millibus inceſſunt: conſtat ſed ludicra forma
Ut ſemel, & patitur velut inconcuſſa Getarum
Vim cunctam, hi flamma excandent graviore, nec ullus
Interea e Turcis audet contendere contra.
Quid faciant dubii, tandem ornavere celocem,
Sarcina cui ceſſit Turcarum pene maniplus:
Qui poſtquam applicuit terræ, propiuſque pilarum
Ictibus innumeris laceros terebravit amictus.
Ludicrus hic tandem miles cadit, advolat hoſtis
Ad caſum (neque enim juxta ſuccedere quiſquam
Tentaſſet) paleamque videt pro milite victam.
N.17. Grex Ciconum aſpectu ridet; ſed fortis, & æque
Dux ſollers, juſtâ pectus ſtat ſaucius irâ
Torva tuens, gentis riſum dum conſpicit, inde
Cum via laxata eſt lacrymis, vocique dolore,
Flevit, & hæc inquit. ſtulti ridetis, ariſtam
Quod demum Auſtriacam Geticus ſuperare maniplus
Evaluit: ſegetem, meliore & fruge, dediſſent
Hæ lacrymis paleæ, & veſtro fortaſſe cruori
Parceret hic fletus; ſtimulo ſi pectus honoris
Pungeret, audentes bellis, forteſque futuris
Vos præſtans; qualis Turcarum ſtrenua quondam
Gens fuit; aſt etiam riſu indulgere libido eſt?
Plaudite, & his paleis ceu lauro cingite frontem,
Vadite, & his ſtipulis palmas innectite Regi,
Ite, paludatis riſus ſit copia; fletus
Fundere me præſtat, fletus hoc fonte petitos;
Quod nempe a ducibus noſtris id maſcula diſtat
Eu-

Eugenii virtus, illo duce terret ariſta
Agmina, ſub noſtro ductu timet agmen ariſtam.
N.18. At vero interea nudum dum conſpicit Urbis,
Infirmumque latus, geminos quod vergit ad amnes,
Hac parte inſtituit murum oppugnare Sabaudus.
Inſula ſtat medio fluvii, ceu turris, in alveo,
Et munimentis, & Thracum firma ſtativis:
Præſidio pulſo Princeps hanc obtinet, inde
Tormentis fluviale latus diverberat Urbis.
Res nova, non ullis ævo tentata priori;
Haud ſemel obſidio fuerit licet illa ſubacta
Urbs olim: tenuit fluvii fiducia Thracem,
Ne parte hac ſtrueret vario munimina flexu.
Nil opus hoc facto, & ſatis intractabile credens
Id latus, & firmum fluvii revolubilis undâ.
Atque ut Biſtonidum gens advena quicquid ab uſu
Jam bello fuit in partem, quæ poſſet adiri,
Largius impendit, muros ubi turre frequentes,
Et conjecturas oculi qui vertice fallant,
Inſtituit; ſic illa latus, quod flumine tectum eſt,
Neglexit; norat ſiquidem gens Thraſſa, quod illac
Multiplices operum ſumtus natura remiſit.
Aſt ut ſæpe alias, Turcas mens læva fefellit.
Fallor, an impoſuit Turcis doctrina Sabaudi?
Utque erat in votis, fauſto res omine cœpta,
Conſilium eventu tandem meliore ſequuta eſt.
Murus ab igniflua nam tempeſtate petitus
Corruit extemplo, & lato diſceſſit hiatu.
N.19. Cautus at abſtinuit (quamvis lato ore vocaret
Murus) ab aſſultu Princeps, ſatiuſque putavit

Taurunum, & Geticas pariter ſuperare catervas:
Atque id jacturâ ſociûm fortaſſe minori,
Quam feceret, murum ſi ſcandere vellet hiantem,
Et quâ conſtarent arcis compendia victæ.
Dum vero aſſultu parcit, non deſtitit Urbem
Tormenti aſſiduis, bombardarumque procellis
Infeſtam facere: & tali ratione Gelonos
Diſtinet; in vallum ne ſæpe incurrere poſſent.
Res iit ex voto; nam confluit ilicet illuc
Vis omnis Ciconum; metuens ne forte Sabaudus
Hac parte aggreſſus facili certamine muros
Scanderet: & ſeries operum longiſſima, totque
Multiplices illi muri, queis cingitur Urbis
Pars ſolidam aſpiciens terram, tot ſepta, tot arces,
Credita quæ belli moles, nodusque fuere,
Parietis eventum fragilis, caſumque ſequantur.
Et quamquam melior bello ſe copia Thracum
Hac parte offundat, quamquam tumuloſque ſcrobeſq;
Cis murum inſtituat; nullam ſed ineſſe ſalutis
Moli operum, turmiſque putat. Jam diruta credit
Mœnia, & æquatos fluvio ſubſidere muros
Mens Ciconum poſſeſſa metu: jamque hoſtis adeſſe,
Et ſiccis Iſtrum pedibus tranſire videtur,
Stragem invaſurus muri, laturus & Urbi
Excidium: vario ſenſu tum verba feruntur:
N.20. (Et deploratis ut rebus ſæpe) tumultus
Exoritur: ducibus miles, quod multus in hoſtes
Non ruat, arguitur: quivis dux militis ore
Non tantum ſegnis, quantum perhibetur & amens,
Quod non excedat, non Urbem dedat & ultro

Eu-

Eugenio, cujus nihil inſuperabile dextræ:
Quin addunt etiam non flumina præter, in ipſis
Non Urbem fluviis ponendam, at nubila ſupra;
Poſſit ut Eugenii ſic ire immunis ab armis,
Idque palam; jam nulla ducum reverentia, major
Terror ab Eugenio ſenſum levioris abegit.
Poſt ubi paulatim ſubitus timor ille remiſit,
Aſſuevitque malis pubes Threiſſa, ferendo
A fluvio incuſſos ignes, jactusque pilarum;
Tunc animos revocat frugis melioris ad uſum:
Omnis & aſſenſu unanimes mileſque, duceſque
Ire jubent aciem juvenum: non unus, & alter
Liber ut Auſtriacum poſſet pervadere ſeptum;
Et ſociûm admiſſus caſtris ibi nomine triſtis
Præſidii, moneatque Ducem, precibusque fatiget:
Ut citet auxilium, & rebus jam conſulat arctis:
Gloria ſi Regis ſubeat, ſi cura ſit arcis:
Ductoremque iterum doceat, quam perditus Urbis
Sit ſtatus, & quid jam rebus diſcriminis inſtet:
Ut maturet iter, plenoque exercitus omnis
Accelerare gradu tendat, depellat & hoſtes.
Hoc unum Eugenius porro quærebat, eoque
Spectabat, variis muros dum partibus urit.
Scilicet ut Thracum Ductor feſtinet, & Urbis
Auxilio veniens, pugnæ ſeſe alliget ultro.

N.21. Nec mens Eugenium rerum divina fefellit;
Threicius ſiquidem Ductor maturat, ut arcem
Eximat obſidio, quantum tormenta, vehesque,
Militis & numerus patitur tercenta virorum
Millia complentis: cujus cum rumor ad aures

Eu-

Eugenii venit: tormenta curulia paſſim
Digerit in vallo, quoquo ſe faſcia tendit
Aggeris exterior, contra quam deſtinat iras
Odryſius Conſul, miſeræ ſuccurrat ut Urbi.
Nec tamen id peragit Princeps, quia palleat hoſtis
Aſſultum: ad ſpeciem vero commentus id ille eſt,
Terreat ut Thracas, ne vallum invadere tentent:
Cum velit Iſmarii ſepti munimen inire
Ipſe prior, vallique decus meruiſſe ſubacti.
Nec decus allexit tantum, ſed certa triumphi
Spes illum admonuit Thracem inter ſepta manere,
Et ſinere, ut campos vallo prætenderet hoſtis.
Momento ſiquidem Princeps leviore putavit
Poſſe Getas fundi ſeptos indagine valli:
Quâ non diluvies Equitum, viſque illa pedeſtris
Magna, ſalutaris poſſet prodeſſe Gelonis.
Tum quippe explicitis vetitum procedere Thraci
Ad pugnam ordinibus, dum plures ſubmovet agger
Pro numero anguſtus, brevior dum faſcia valli
Impedit, & veluti claudit; numeruſque Getarum
Conſerit is tantum pugnam, quem vallus & agger
Contraxiſſe ſinit, patiturque anguſtia campi.
Unde nec Edoni ſe circumfundere poſſent
Teutonidum a tergo, ſed bellum a fronte cierent.
Nec numerus juvenum, virtus polleret at una,
Virque viro, pede pes, collataque dextera dextræ
Rem gererent: ubi non juvenum vis plurima: verum
Vivida vis dextræ palmas ex hoſte referret.
Scilicet ut quondam magni doctrina Sabaudi
Traxit in anguſtos Thracum tot millia clivos,

Ut

Ut ſic æquaret tenues ſollertia vires
Biſtonidum ingenti numero: prudentia rerum
Fecit, ut Eugenius nunc inter ſepta Gelonos
Opperiens, ſineret vallo ſe Thracas obire.
Quà minus illorum numerus componere poſſet
Se rite inſtructum, vel belli ut poſceret uſus,
Tendere ad arbitrium: et valli ceu compede vinctus
Non fereret pugnam, at pugnæ ſpectator adeſſet.
Hoc argumento Taurunum milite cinxit
Eugenius; non quod murum expugnare ſtuderet;
Sed quia de Turcis ſic debellare putaſſet.
Ut ſibi perſuaſit Princeps, hoc ordine ceſſit
Res prorſum. Edoctus repetiti auctoris ab ore
Odryſius Conſul fluvii de parte periclum
Tauruno impendens, & ſtrage dehiſcere muros:
Continuo expavit, veritus ne forte Sabaudus
Mœnia Tauruni teneat ſuperata, priuſquam
Auxilium ferat ipſe: gradum tunc addere turmas
Et rapidas intendere iter jubet: ocior ipſe
Præcipiti delatus equo volat ante catervas,
Et fremit, alipedem & fixo calcare fatigat.
Ne nimio, inviſæ gentis Dux impie, curſu
Ne propera; veniſſe citum te ſero pigebit:
Te ſine, ne dubita, damno non imminet Urbis
Eugenius, tales trepido de pectore curas
Excutias, tardus venias licet, ille manebit:
Te petit, haud Urbem, fies gradus ipſe, tuiſque
Artubus, & cæſis ſociûm poſt prælia membris,
Et tumulo ingeſtis conſcendet mœnia Princeps.
Sed jam deventum eſt, tenuit iam denique campos
Quos

Quos curſu petiit, geſtit Viſirius, Urbe
Integrâ, caſtris confert contraria caſtra,
Et ſua metatur campo ſubmota Latino
Quingentos paſſus: tum mutua flamma per auras
Acta volat: ſeque ipſa, ſibi ſæpe obvia, perdit:
Sæpe infeſta facit populis utriſque ſtativa.
N.22. Ut ſtatus hic rerum Caroli delatus ad aures
Accidit, exponi panis ſub imagine Numen
Omnibus in templis juſſit, quâ cernuus ipſe,
Demiſſuſque oculos, & mentem erectus ad aſtra
Cœlicolum Regem pariter veneratur, & orat;
Exemploque ſuo populis intendit amorem
Fundendi vota, & Superos in bella vocandi.
Ne dubita, Rex alme, fides nam certa Tonanti
Conſtat, & obſequium centeno fœnore certat
Reddere: tu regnum caſus ut projicis inter
Nil tibi, nil patriis opibus pro Numine parcens
Sic præſto tibi ſemper erit Deus: ille roganti
Conſulet, & gazas cumulo majore reponet.
* Nam ſi recta petunt, precibus ſi juſta petendi
* Cauſa ſubeſt, nubes vincunt, Cœloque receptæ,
* Nuſquam erit ut vacuæ redeant. Cumque omnia poſſit,
* Cum Deus incedat liber, ſeſe obligat ultro,
* Obſtringitque fidem, laqueis & vinctus amoris
* Haud vires tolerare precum valet: unde ligatus,
* Quoquo vota jubent, liber ſimul, atque coactus
* Is ſequitur (deſit noſtris audacia dictis,
Sit veniâ id dictum), neque enim mirabile dictu eſt.
* Nam ſi Mortalis, cretus licet ille maligno
* Ingenio, victus ſuccumbit denique votis:

* Quid

* Quid Deus abnuerit, Patris qui nomine gaudet,
* Et cujus potior genius ſuccurrere laſſis?
Aude age Rex ingens armis, ingentior idem
Cognata pietate, vadi confide Tonanti,
Quem tua dona juvant, majora ut reddere poſſit;
Qui texit, cui ſemper erit res Auſtria cordi.
Aude iterum, tuus ipſe Pater Leopoldus ab aſtris
Exaudit, cumulatque preces, offertque Tonanti:
Inde eventa tuis reſpondent conſona votis,
Pluſque tuæ Cœli ſublatæ ad ſydera palmæ,
Quam juvenum manus illa potens tua ducet ab hoſte
Biſtonio palmas: taciti ſuſpiria cordis
Plus Tracem exterrent, quam Martia fulmina bombis.
Promoveant vallum Germana ad caſtra, ferantque
E foveis foveas, quarum ſub tegmine tuti
Procedant Turcæ: & ſpiſſo certamine Veles,
Dum ſeſe adglomerat, nimbo dum jungit equeſtri,
Campi interſtitium turmas tangentis utraſque
Infeſtum faciat, propriam citat ille ruinam.
N.23. En tuus Eugenius levibus proludit ad hoſtis
Excidium pugnis; quippe ille excurrere Thracem
Præter caſtra videns hoſtes ad bella cientem;
Abnuit ardentes juvenes procedere vallo
Ad ſpeciem timidus, quo confidentia major
Hoſtibus accedat: ne vero hic iret inultus,
Neu ſe Turcarum furor hos jactaret ob auſus,
At lueret pœnas multatus, ab agmine Princeps
Expertos juvenes (quorum bona copia) legit,
Oblongis habiles ſclopis inceſſere Thracem.
Servitum Eugenii juſſis venatica pubes

Vadit, & ut patitur turbam productior agger,
Sic ſe pro caſtris eadem digeſta ſubinde
Explicuit: ſtat quiſque ſua ſtatione, manetque
Cæſareos equites ut Turcæ in bella laceſſant:
Et tanto propior cum caſtra equitatus adivit
Threicius, quanto ſclopi duo tendere jactus
Poſſe putat; preſſis illic ſubſiſtit habenis;
Nam credit, quod ſe tutum diſtantia præſtet.
Auſtria tum pubes pro vallo inſidere juſſa
Excipit incautos Thraces: glandeſque minores
Procero excuſſas ſclopo delibrat in hoſtem.
Glans venit, & Turcas haud caſſo vulnere figit.
Nec longi ſpatium campi tegit agmina Thracum.
Sed ferit a longo fugiens bolis ignea ſclopo.
Conditio quippe illa tubi eſt, quo longior idem,
Hoc intervallum campi plus trajicit igne,
Et duplo ſuperat ſpatio plerumque minorem.
Hæc acies porro bolidi non deſtinat hoſtes
Turmatim, at ſtudii pars eſt intendere certum,
Nec forte (ut ſolitum eſt cum pugna recruduit) ictum:
Immiſſum gradus ipſe ducis ſed terminat ignem.
Hoſtem quisque ſuum, feriat quem glandibus, ante
Connivens lævo, & dextro ſortitus ocello
Deſignat: nec jam totus Mortalis ad ignem
Deligitur, glandi frontem ſed deſtinat unam,
Hanc contra intendit flammas, flammiſque ſagitta
Ejaculata ferit metam non ſecius ipſam.
Sic gens a teneris venandi exercita curâ
Quocumque intendat, neſcit peccare ſagitta.
Illa vel exiguam ſtudeat tranſire coronam

Glan-

Glande petens, arctum præpes glans trajicit orbem,
Aëre vel medio jugulum ſecuiſſe volucri:
Ales trunca ruet, collum bolis abſcidit, illinc
It caput, hinc vero mutilum jam nomine corpus.
Quod vero Iſmariis pubes venatica frontem
Impetat; in cauſa eſt, metuit ne lædat amictum,
Quem pretio integrum Sector majore licetur.
N.24. Sic ubi Biſtonidum multata audacia miſſis
Glandibus, erupit caſtris equitatus in hoſtem.
Alas Pannonicæ gentis, juvenumque Sabaudus
Eduxit turmas nulla mercede merentes.
Pergit liber equus, levibus qui pugnat in armis:
Fulmina, non equites merito quos credere poſſis.
Abripuit prima ante omnes ſe Gallica pubes,
Flos ille inſignis juvenum, lumenque virorum,
Præcipui candoris equi qui terga premebant;
Et licet abnuerit Princeps hos credere campo;
Quod nimium generi tribuat, roburque virorum
Ad belli ſummum cupiat ſervare periclum;
Aſt expugnatus tandem prece ſivit abire.
Tum ſeſe ejecit caſtris Carolois, & acer
Dombeſius, ſtimuliſque ictus Marilachus honoris:
Quos juxta alipedes confert & cætera pubes,
Cornipedique adigunt calcar, celer ille per auras
Aut volat, extremo vel ſtringere calce videtur
Dedignatus humum: verum mora tarda putatur
Hæc fuga Gallorum furiis, qui Thracas adepti
Acrius incubuere: ſilet victa ira Getarum,
Nec juvenum incurſus patitur, Galloque furori
Vertere vult tergum, ſed vertere terga parantes

Occupat, inque ipſo niſu romphæa prehenſos
Galla ferit, Turcaſque ingenti clade trucidat.
Ecce ſub id tempus vix caſtris grandior ala
Prodierat, Ductor Ciconum quam juſſerat ire,
Ut foret auxilio ſociis, ubi fulmina Martis
Pulveris e nimbis is primum erumpere vidit;
Nam tum pro vallo Dux ſtabat forte Gelonus.
Vix bene ſed caſtris equitum proceſſerat agmen
Threicium; Turcis cum protinus imminet hoſtis.
Vix primâ expliciti, Galli videre catervam
Adventare novam: concors tum clamor ad auras
Surgit: io properemus, io: necdum edita vox eſt,
Edita cum Ciconum ſtrages fuit, invehit hoſti
Gallica ſe pubes celeri rapta impete, quique
E ſummo extabat ſepto Viſirius agmen
Vidit adeſſe, videtque ſuos in fruſta reſectos:
Hoſtis at adventum non plene advertit, iterque
Quadrupedum præceps oculos effugit acutos.
N.25.Hinc oculis captum primo ſe credit, & inde
Stragis ut inditio Geticæ fuit error apertus,
Juravit Gallos equites tellure coortos:
Quin alios veritus ſubter veſtigia naſci,
Horruit, inque fugam ſe concitat: unde tumultus
In caſtris oritur, confertaque turba Getarum
Vallum expugnari credens, ſe accingit ad arma.
At non vana fides Thracis fruſtrata timorem,
Reſque ita proceſſit: ſiquidem Carolois inibat
Jam ſeptum, confertque gradus Marilachus, & una
Dombeſius: quando tormenta exploſa receptum
Eugenii edicunt juſſu, tum Gallica pubes

Se

Se revocat; torquent fruſtra ſua fulmina Turcæ
In Gallos; nam dum librat, dumque admovet ignem
Thraſſa manus, paſſus aberat regreſſa ducenos
Et procul exierant in tempore Galla juventus
A meta, Geticus telis quam deſtinat auctor.
Hoc belli facinus ſeſe intra ſepta tenere
Edocuit Turcas proprio diſcrimine cautos.
At licet Auſtriacas acies inceſſere Veles
Abſtineat, Thracum Ductor non deſtitit auſis,
Nec ceſſare licet; Getici nam juſſa ferebant
Regis, ut illata jacturam morte luiſſet,
Si minus obſeſſæ damnis occurreret Urbis.
N.26. Explicat hic ergo, quantum producere vallum
Ad noſtras acies potuit, qui parte ſiniſtra,
Et lævâ eſt adeo propius ſubmotus, utrinque
Ut ſeſe poſſent acies petere undique ſclopis.
Grandinis ignitæ tum vero injuria gliſcit,
Tum caput a ſepto ſi quis latum exerat unguem,
Certatim inceſſit ſexcentis glandibus hoſtis.
Quin hic oppleti corbes aptantur & illic
In vallo, quorum tenues ubi pandit hiatus
Commiſſura: ſuos ſclopos hac inſerit hoſtis,
Tortaque in adverſas infligit fulmina frontes.
Idque parum: tumulos paſſim Viſirius edit,
Hos ſuper aptantur Martis tormenta, pilaſque
Explodunt: quin & molem jaculatur in auras
Ignivomam bombarda, ſuo tentoria caſu
Quæ ſternit, Dominos & ſtrage involvit eadem,
Quodque vicem retulit tecti, facit illa ſepulcrum.
Parte alia obſeſſis Turcæ de mœnibus Urbis

Per-

Perpetua turmas cum tempeſtate laceſſunt.
Quin & Caſtellum preſſa tellure, paliſque
Inſtituunt fixis Urbis pomœria juxta,
Auſtriacas propius feriant ut fulmina turmas.
Denique non ulla eſt ſtatio, non angulus ullus
Eugenii in caſtris, quin centum obnoxius extet
Ictibus, aſſiduo plumbi quin imbre petatur.
Conſilio hoc porro Geticus molitus id hoſtis;
Quod ſibi perſuaſit, dudum non poſſe Sabaudum
Agmina flammarum, & plumbi durare procellam;
At migraturum, ne flammis obrutus eſset,
Et ſimilem victo moturum ex Urbe, ſilenti
Agmine: tormentis hoſti, ſpoliiſque relictis.
N.27. Ah rudis! ah cæcus! laqueis, quos tendere credis,
Captus es: hic agger, quo ſperas poſse Sabaudum
Dimoviſse loco, te circumſcripſit: & idem
Agmina non munit, verum tua claudit: & inde
Ne quondam excedas, tranquilla indagine ſeptum
Irretit: demens quid gaudia fingis, ovaſque?
Deteget eventus, nimium qui proximus inſtat,
Te quantum Eugenio, vel tantum accedere morti.
Quâ potes Auſtriacos inceſsas eminus igne;
Nam res ad ſtrictos cum demum venerit enſes,
Tum ſero agnoſces, ſi te mens læva fefellit:
Ut ſero agnovit vanos averſa timores
Se falſam Europe, cujus dum fama per Urbes
Didita, quod Princeps ſeptus munimine Thracum
Eſset, & Auſtriadum res verſaretur in arcto,
Palluit, & Thracum timuit ſibi vincla parari,
Inque omnes effuſa preces a Virgine ſupplex

Po-

Poſcit opem, populoſque ſuos ut protegat, orat,
Et procul avertat, Geticas contundat & iras.
Nec vero abſtinuit livor falſa addere veris,
Ut timor incideret major, fingenſque dolorem
Ad ſpeciem, mœſto ſtruxit mendacia vultu
Compoſito ad luctum: numerum nunc quippe Getarũ,
Nunc artem extollit, quæ circumplexa phalanges
Cæſaris, exitio jam jam imminet illa Latini
Nominis: hinc queritur quod conclamata ſalutis
Spes periit; mox ceu miſerans, ſimiliſque gementi
Eugenium incuſat: ſegnis qui paſſus, ut hoſtis
Aggere ſe firmo, foveis vallaret & altis,
Nec Thracum adventu primo certamen iniſſet,
Cum poſſet laſsos in apertis fundere campis.
Hos, atque, his ſimiles ultro citroque ſerendo
Sermones livor quærit: detracta Sabaudi
Ut tandem ex hominum caderet fiducia mente:
Spectat ad id pariter, quæ regna a Cæſare ſtabant
Tentat ab officio, ſtudioque avertere Regis.
N.28. At vero hos inter caſus ſibi conſcia ridet
Eugenii virtus, animoque & corpore conſtat.
Et locus in caſtris quamvis non ullus ab igne
Immunis Getico, volat ille interritus, albo
Vectus equo, fortes illic inſtigat ad iras:
Lenius hic timidos dictis caſtigat amicis,
Aut intermiſsas foveas, ubi terminat agger,
Continuat, ſummi Caſtella aut margine valli
Inſtituit: fluviale latus nunc acrior Urbis,
Nunc opera Iſmaridum flammis majoribus urget:
Omnia molitur demum, queis poſſit ad hoſtes

Affe-

Affectare fidem, ſe tantum intendere, ut Urbem
Expugnet, pugnæ ſed detrectare periclum;
Quo minus accinctus Turcarum exercitus eſſet
Ad bellum: & ſtaret, veritus nil tale, ſolutus.
Atque ut præſidium, dum belli ferveret ardor,
Haud poſſet promtum Germano incurrere tergo,
A muro intendens modo propulſare periclum.
Nec ſatis Eugenio, tali ſi falleret aſtu
Odryſios animos: aliam commentus inivit
Mox fraudis ſpeciem, viſus qua falleret ipſos;
Omnibus e tumulis ſiquidem ſpectantibus Urbem
Omnia diſplodi tormenta curulia juſſit:
Et vice non una, verum noctuque diuque.
Scilicet ut fumus ſuperas glomeratus in auras
Perpetuis nimbis Turcarum offunderet umbras
Luminibus: lucemque adimens, quâ protinus unâ
Intuitus conſtat, nullus proſpectus in agros
Eſſet, & Iſmarii pugnam ſpectare negarent.
Sed cum non oculis tantum ſit ſenſus, & aures
Colligere a ſtrepitu poſſent, pugnamque fragore;
Quam bene conſuluit Princeps, ubi fulmina juſſit
Omnia librari: flammis nam rupta, crepansque
Temperies Cœli ſi perpetuo ululatu
Auribus obſtreperet Thracum, dum bella cientur,
Falleret auditum: fumoque, & murmure Turcis
Jam ſtolidis nullus pugnæ intellectus ineſſet:
Quo bellum aut oculis poſſent hauſiſſe, vel aure.
Omnibus his porro major mox additus error.
Ut magis imponat Turcis, ſæpe agmina Princeps
Duxit, & alternis juſſit mutare ſtativa

Ut

Ut ſi per fumi laxa intervalla malignus
Aſpectus foret, & motus aperiret euntis
Agminis: aſſueti Thraces vidiſſe phalanges
Tranſductas, pugnas hinc conjectare nequirent,
Credentes ſolitis vexari excurſibus hoſtem,
Seque fugæ potius, quam bello accingere velle,
Spe prorſum abjecta tot ſuſtentare Gelonos,
Quos fronte explicitos lata Viſirius egit.
Principis hæ vero fraudes, aſtuſque magiſter
Tres tenuit ſoles nuſquam intermiſſus in umbra;
Ne novus accideret clamor motuſque fragorque
Thracibus; addictum pugnæ cum tempus adeſſet.
N.29. Ac jam tempus erat: terris jam ſacra redibat
Annua lux, toto late lux candida Coelo,
Quæ revehit magnæ ſolemnia feſta Parentis
Ad Cœlum evectæ: & laudum præconia læti
Certatim Superi recolunt, clamantque ſtupore
Defixi (laudumque vices ſtupor exhibet ipſe)
(A) Quæ vero, quænam iſta ſubit deſerta relinquens,
(B) Cum bruma exivit, ſpinis modo fœta dolorum,
Cum lacrymis conſtans unis jam deſtitit imber?
En en alma venit, (C) qualis Matuta, nitetque
Pulchra velut Phœbe, & Phœbæi eſt luminis inſtar.
(D) Lilia ceu ſpinas inter, ſic illa puellis
Eminet in reliquis, (E) maculâ nec decolor ullâ eſt:
Ede tuum (F) formoſa: tui vel nominis omen

Xx Effu-

A Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto. Cant. c. 8. v. 5.
B Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. ibid. cap. 2. v. 11.
C Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens pulcra ut Luna, electa ut Sol. ib. c. 6. v. 9.
D Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter Filias ib. c. 2. v. 3.
E Macula non eſt in te. ibid. c. 4. v. 7.
F Pulcherrima inter mulieres. ibid. c. p. v. 7.

(A)Effuſum eſt Oleum? (B) florum quid fulta coronis
Ire ſtudes, vel quid malis ſtiparier optas,
Dum caſti jaculis languet tibi pectus amoris?
En tuus almus Amor gaudens te fulcit (C), & ejus
Læva ſubeſt capiti, dextrâque amplexus inhæret.
Hoc ubi jam nixa es; Cœli, Regina, penates
Succedas: (D) Proceres veſtras recludite portas
Ætherei, aut potius portas laxate refixo
Cardine; nam major Domina eſt, quam Cœlica clauſtra
Hæc capiant, (E)Cœli Regem ſi clauſit in alvo:
Quem mare, quem tellus, quem non determinat æther.
(F) Egredere, egredere o Cœleſtis Curia portis,
Ut contempleris quali diademate Mater
Induerit Natum, (G) & quali diademate Matrem
Induerit Natus: tacitique ſilentia defer
Oris, & obtutu fixo venerator utrumque;
Nam neque vox, quamvis recolat miracula dictis,
Aſſequitur, nequeunt expleri & lumina viſu.
Dum Superi pæana canunt, & feſta Sabaudus
Virginis avectæ coluit, quâ caſtra ferebant.
Luce nova numeros deflexo poplite ſupplex
Obloquitur, quos Antiſtes Romanus honori
Virginis adſcripſit, tum mentem a ſenſibus omnem,
Rebus & a fluxis revocat, Cœloque receptus,
Quem prius expendit, merito gratatur honori

Vir-

A Oleum effuſum nomen tuum. Cant.c. 8.v.5.
B Fulgite me floribus, ſtipate me malis; quia amore lanqueo.ib:c.2.v.5.
C Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.ib.c.2.v.6.
D Attollite portas Principes veſtras.Pſal.23.
E Quia quem Cœli capere non poterant tuo gremio contuliſti.
F Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater ſua.Cant.c.2.
G Interim ſane egredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius ſuus. Bern.ſerm.in c.12.Apoc.ante med.

Virginis ad Cœlum vectæ: dein crimina fletu
Eluit, in caſtâ fingas ſi crimina mente.
Mox reus, & teſtis fatus ſua detulit acta,
Quæ ſacer exolvit dio cum carmine Judex.
Exin cœleſtes epulas ſubmiſſus ad aram
Excipit: hinc vires animo, membriſque vigorem
In Stygios pariter, Geticos hauſturus & hoſtes.
His epulis Deus, ipſe Deus ſe ſcilicet abdit:
Cum ſpecie integrâ, quamvis non integra res eſt,
Piſta Ceres tranſit mutata in Numinis artus.
Quod Princeps, peragunt Proceres exempla ſequuti,
Et miles: Divamque rogant in bella ſecundam.



Quisquis ut affligat nemo tamen 2 aggere 3 Turcas
Exigit 4 EVGENIJ nisus ea palma manebat.

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,

SEU

MARIÆ VIRGINIS

PER EUGENIUM TROPHÆA.

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER XI.

N.1. *EUgenius antequam pugnandi ordinem ſcripto exhibitum Ducum fidei mandaret, enixe B. Virginem deprecatur, ut ſibi veniam, Caroli armis opem impetret: rogandi porro argumentum, & obtinendi ſpem a duplici capite petit; ſcilicet, quod Virgo ſit noſtra, & Dei Mater.*

N.2. *Viardas, caſtrorum ſibi permiſſâ cuſtodiâ, ſedulo implet ſui partes officii.*

N.3. *Reliqui Duces pugnaturi referuntur.*

N.4. *Eugenius in exercitu nullum ſibi locum definit, idque ex probabili ratione.*

N.5. *Eligitur alius militum numerus pro re nata opem laturus.*

N.6. *Ejuſ-*

N.6. *Ejuſmodi conſilium commendatur: & quid diſtet vanus a cauto timore deſcribitur.*

N.7. *Lętitia Ducum, & militum ex pugnæ notitia.*

N.8. *Sub auroram caſtris egreditur exercitus invaſurus Turcarum heſterna die conſpectos aggeres; ſed in novum munimen noctu extructum incidens, obſtupeſcit.*

N.9. *Eunte exercitu denſa nebula exoritur.*

N.10. *Hæc porro nebula non a terra, ſed ope Virginis Mariæ defenſuræ Eugenij ſui milites adſtruitur exorta.*

N.11. *Quo miraculo Comes Palphius expeditionis Dux ſuos animat, nil territus aſpectu novi aggeris nocte extructi.*

N.12. *Miles non tam Palphij concione, quam prodigij intellecta in pugnam ruit.*

N.13. *Turcæ non modo oculis, ſed & auribus Cæſarei exercitus adventum animadvertunt, & a murmure colligunt plane: unde ad pugnam accinguntur.*

N.14. *Hinc atrox prælium, & cædes promiſcua ſclopis edita.*

N.15. *Exclamatio in bolidas plumbeas, et in earũ inventores.*

N.16. *Palphius, ne otium eſſet Turcis iterum ſclopos armandi, aggerem invadit.*

N.17. *Ad vallum obſtinatior pugna.*

N.18. *Palphius junctâ foſſâ vallum trajicit: ab eodem Turcis ſtrages illata.*

N.19. *Vt Palphium diſtineant, contrahuntur Turcæ.*

N.20. *Interea alibi Comes Staremberglus inſert pedites, et atrox inibi pugna oritur.*

N.21. *Emmanuelis Sabaudi cum Roſtano Turcâ ſingulare certamen, et inter pauca memorabile.*

N.22. *Non inclementior eſt pugna in ſiniſtra ala, cui præeſt Alexander Vittembergiæ Dux. Alexandri virtus.*

N.23.

N.23. *Heyſterus, et Princeps Beverenus medium agmen movent.*
N.24. *Clivus tormentis armatus Cæſareos petit in illum adnitentes.*
N.25. *A ſtrage Cæſareorum ira, & Heyſteri virtus.*
N.26. *Principis Bevereni virtus Turcis metum & cladem inferentis.*

ALIUD ARGUMENTUM.

Eugenius Matrem ſupplex exorat, ut adſit:
Inde dat in ſcripto pugnæ mandata gerendæ.
Auſtriacas acies nebulâ pia Virgo tuetur.
Nil habet effectus, multum ſed pugna cruoris.

LIBER XI.

N. 1. HÆc ubi cōmentus;tacito tum pectore Princeps,
Quæ via Cæſareis turmis ineunda modusque,
Excutit, ut pulſos exturbet ab aggere Turcas.
Quæ vero potior ratio, quæ credita tantis
Conſiliis prona eſt, niveæ non ante papyro
Mandata, auxilium quam Virginis ille rogaret.
Hoc ut præſtaret, penetrali ſede receptus
Procidit in vultum, & tacitis ſic vocibus orſus.
O quam te memorem Virgo: Regina voceris
Si mihi Cœlicolum, titulus parit iſte timorem:
Sin autem noſtri generis Regina, per artus
Jam timor inſinuat major, qui ſæpe negavi
Servitii vectigal: amem ſi dicere Matrem,
Ingruit, & multus miſero pudor inficit ora,
Qui minus obſequium, Mater quod tanta merebat,
Exhibui: an Matrem potero dixiſſe Tonantis,
Quin ſubeat ſcelerum nubes inviſa meorum,
Et quin diluvies donis Cœleſtibus aucta,
Conjurentque pari ſtudio, mentique timorem,
Ut decet, incutiant? at noſtro a pectore cedas,
Quiſquis es, o nobis ſemper venerande, tibique
Spes bona ſuccedat, quæſo timor: unde ſilere
Spes mea debuerat, creſcat magis. ergo Tonantis,
Et mea quod Mater ſis inclyta Virgo, rogandi
Eſt pignus, ne vana fides mea vota ſequatur.
O mea quæ Mater, Mater quæ Numinis alma es,
Et ſcelerum veniam precibus mihi quære meorum,
Regis & Auſtriaci felix adlabere bellis.
Haud equidem inficior, tenues excedit arenas

Cul-

Culparum numerus, dulces ſed Matris amores
Non ille excedit; nati mihi crimina nomen
Abſtulerunt,ſed Matris amor, ſed nomen ademtum
Non tamen inde tibi, & geminis velut ignibus arſit
Auctus amor; noſtro ſiquidem quæ plurima cordi eſt
Pauperies, geminat ſacro ſub pectore flammas:
Nec durare potes, miſero quin rebus in arctis
Succurras: gratam penitus tibi detulit anſam
Hæc mea paupertas, facias ut cordis amori
Sic ſatis: accepta eſt duplici cui nomine roris
Copia Cœleſtis, quô ſcilicet ipſe fruatur,
Et ſimul impendat: duplici ratione beatum
Se ratus, a ſummo referat ſeu munera Rege,
Seu data derivet: tumidos modo deſpicis ipſa,
E quorum numero deraſit inopia dudum
Me mea, dejectus ſemper, quia ſemper egenus
Incedam; ſpes ergo ſubeſt hinc plurima menti,
Ut me demiſſum ſenſus, ut Mater egentem
Aſpicias felix. gliſcas ſpes ſedula gliſcas,
Cui nimium fidiſſe licet; ſi gloria Matris
Se magis attollet, quo major inopia noſtra eſt.
An ſpe deſtituar, dum culpas execror actas:
Me tua, ſi Mater, pietas tum plurima fovit,
Dum ſcelus audebam? miſero mea Mater adeſto
O precor, ut veniam Natus tuus annuat auſis:
Quo facto, felix ibit ſucceſſus in armis.
Si vero renuas quoniam mea Mater, id oro
Exhibeas; quoniam Mater veneranda Tonantis:
Cujus ubi Genitrix facta es, tunc ignis amoris,
Qui tibi jam ſuberat, duplex evadere cœpit

In noſtri auxilium generis : de pectore cura
Hæc forte exciderit, ni cura laborque fuiſſet
Vel tuus impenſus quondam, gens noſtra redemta
Ditis ut a laqueis eſſet; tua plurima nempe
Pars opere in tanto, quodque egit ſanguine Natus
Hoc tibi per lacrymas actum eſt : lacrymaſne negabis
Virgo mihi, Natus fudit cui Sanguinis undam?
Ni tu Dia Parens a Nato edocta fuiſſes
Pro ſcelerum cœno cœleſtes fundere rores,
Et mihi ſupplicii ſemen ferale ferenti
Immeritos veniæ fructus orare, quid actum
Jam de me miſero? miſero mihi gratulor inde,
Quod ſtudium commune tibi cum Numine noſtrûm eſt.
Ah mihi crudelis, Cœloque injurius eſſem,
Si male negligerem votis hic cernuus uti,
Cui tuus injunxit jam Natus adire tribunal
Virgo tuum, pietas partes ubi tranſigit omnes
Iuſtitia ceſſante ; mihi ſi conſulis ergo,
Qui refero, & Nati meritis qui lætor onuſtus
Rite tui, quænam facies impendia Virgo?
Vel mala plebs Erebi, vel Olympi Curia norit,
Quod tibi ſit Nati ſtudium , quæ gratia ſtringat
Pectus; ob illius nomen ſi Virgo rogata
A me non merito ; votis nil inde negare
Ipſa potes ; non eſt adeo perfricta mihi frons,
Quin fatear (reus ipſe ſimul, mihi certus & index)
Me noxâ implicitum quâvis mala quæque mereri.
Quis vero in melius, præter te Virgo, referre
Cor poterit, ſimilemque tuo me reddere Nato?
Quo coram non ipſa rogas, aſt uſa Parentis

Im-

Imperio tituloque jubes; & parcere neſcis,
Quin felix miſeris, una jubeaſque rogeſque.
Omnia cui debent, tibi nempe obnoxius uni
Eſt Deus, exuvias carnis cui ſola dediſti.
Hoc ego te propter munus precor, annue votis,
Victoremque mei primum me redde, Caniſque
Inferni, ut Turcas victor ſic ſternere poſſim.
Hoc te Virgo rogo, cui conſtant omnia verbo.
Spe tali erectus mentem nunc ſolvere grates
Ingrediar, grates nullum quas finiet ævum.
His ſimul oravit, tum demum auulſus ab ara
Procedit ſecurus opis Cœleſtis, & inde
Omnis conſilij tabulis committitur ordo,
Ne forte intereat: ceduntque exempla libelli
Legatis, primiſque Ducum. permiſſa Viardo
Caſtrorum ſumma eſt, & ſepti cura tuendi:
Hic vice plus una juſſus, ſe comparet omnes
Sollicitum ad belli caſus; ne forte ſupinis
Septorum excubiis Getici furor incidat hoſtis,
Tempore ſi capto ſe portâ ejecerit Urbis,
Dum nudis feritur jam pugna atrocior armis:
Incuſtoditum ſiquidem ſi barbara pubes
In vallum incurrat, facili certamine ſtabit
Laxatam penetrare aciem, & perrumpere ſepta.
Quo facto, vel ſe poſſet ſocialibus armis
Addere, vel clauſtris ſocias admittere turmas.
N.2 Haud ſecus ac juſſus peragit mandata Viardus,
Et ſeſe accingit belli diſcrimen in omne:
Nam jubet excubias pro caſtris ſemper adeſſe,
Inſtratosque agitare equites in margine foſſæ,

Aggeris & labro pedites adſtare paratos.
* Dimidium palmæ eſt, curis pugnare ſoluto
* Corde, nec incurſus hoſtis poſt terga vereri;
* Nil ſibi ſollicitus miles nam ſæpe periclis
* Obvius it notis, propriæ virtutis & idem
* Erectus ſpe, pene ſuæ necis immemor audet;
* Si vero timor eſt, hoſtis ne terga coortus
* Occupet adverſo miſcentem pectore pugnas,
* Succidit ; & veritus, ſocii ne forte ſupini,
* Aut timidi campo cedant , ſibi deficit ipſe,
* Qui modo certus erat ſe caſu exolvere quovis.
* Si timor eſt certus, juvat illi occurrere, contra
* Si dubius, ratio reddi ſi nulla timoris
* Certa poteſt, tunc ille habilis percellere vires.
* Pars Ducis hæc melior, ducendique arrha triumphi,
* Si bene cuſtodit, niſus intendit & omnes,
* Contrahat ut pugnam liber formidine miles
* Huic curæ inſiſtens viſos affligat ut hoſtes,
* Securusque doli ſenſus huc deſtinet omnes.
* Mens perculſa adimet, vires interrita reddet:
* Mentis & arbitrium plerumque eventa ſequuntur:
* Vincere ſi credas, vinces ; ſi cedere, cedes.
Poſt ubi conſuluit caſtris, acieſque Sabaudus
Elegit, queis incumbat cuſtodia valli,
Adſtruitur pugnæ ſeries , ratioque ciendæ.
N.3.Palphiadæ moles dextræ committitur alæ,
Ut primas equitum turmas admittat in hoſtem:
Merciades itidem dextræ curare ſecundas
Eſt juſſus: pedites hic Starembergius Heros
Ductor agit: quos præterea Martignis, itemque
For-

Fortis Ebergenis, Daunuſqne,feroxque Velenus,
Valmeroduſque, & Humada, & Vindiſgratius acer.
Durus Alexander, lumenque & gloria gentis
Vittembergiacæ lævam tenet: ille cohortes
Primanas bellator habet moturus in hoſtem
Strymonium; reliquas turmas, quæ pone ſequuntur,
Montecucolides egit, validuſque Nidaſtis.
Ducit Heiſterus, medium Beverenus & agmen.
Excipit hunc, alios ductans in prælia verſus,
Starembergiacæ gentis lux altera, magnus
Ottocharus: ſubit inde aliis Harrachius armis.
Juſſa in ſubſidiis levis armatura morari,
Ad Splenin imperii reſpexit ſumma: volantes
Ut turmas equitum raperet, quâ poſceret uſus.
N.4. At vero Princeps ut adeſſet multus ubique,
Et quaſi præfecto nullo regat omnia ſolus,
Haud ſibi præſcriptam voluit partemque locumque.
Scilicet ut campo ſemper credatur in omni,
Et veluti præſens vegetos extollat ad aſtra,
At ſegnem increpitum dictis accendat ad iras:
Et coram ignavus ſemper, vel gnavus adeſſe
Eugenium credat pœnæ doniſque paratum.
O bene conſultas invicti Principis artes!
Semper abeſt, & ſemper adeſt: a corpore quamquam
Sit procul, eſt veluti præſens in pectore ſemper.
Utque animus noſtro quamvis in vertice ſedem
Obtineat, quando rerum intellectus ab illo eſt,
Integer aſt omnes idem diffuſus in artus,
Nil ſibi dividuus, totuſque operatur in omni
Corporis articulo: tali ratione Sabaudus

A cam-

A campis, queis altus equo, metuendus & armis
Inſiſtit, rerum inde ſtatum tenet, inde futuros
Aſſequitur mente eventus, agit unde recedit.
N.5.Quin has præterea turmas, quas cautus honoris
In partem adſcivit Princeps, partemque pericli:
Haud quaquam inferior numerus delectus, ut idem
Pro caſtris ageret, ſemperque accinctus in armis
Fræna manu, gladiumque terat, ſimilisque ruenti
Auxilio poſſet feſſis ſubiiſſe catervis:
Si forte Iſmaridum virtus obnixa repugnet
Acrius, & renuat victis excedere caſtris:
Tunc ibit junctura manus, vireſque recentes,
Incidet & Turcis violentior Auſtria pubes.
Aut ſi, quod Thraci ludo fortuna ſecundo
Arriſit, felix ceſſit quod & alea martis,
Ille inſtet, victaſque acies urgere ſequatur,
Et miſtus profugis tentet perrumpere ſeptum.
Tum manus Auſtriadum degens in limine valli
Obvia ſit, laſſoque recens ſigna inferat hoſti.
Atque adeo pugnans pariter, pariterque recedens
Diſtineat Thracum furias: incondita donec
Teutonidum pubes ſe demum in caſtra recepit.
N.6 Nec timor infirmus, nec degener ille Sabaudi eſt,
Sed neque judicio fractæ qui mentis obortus:
Sed flos conſilii, & potior ſollertia belli.
* Quippe ea corrupto parti de corde timoris
* Conditio eſt: illic ſibi fingit ineſſe periclum,
* Pax ubi multa: levi captus vel imagine, majus,
* Quâ minus eſt, retur; diſtans ſic ſæpius ergo
* Acceſſit, damnumque citat, verituſque futurum,

* Ela-

* Elabi patitur, quod præſens obtulit hora.
* Sit leve, ſit durum, quodvis diſcrimen inire
* Detrectat, dubiuſque fugâ ſibi conſulit unâ,
* Enervesque ſuos animos, & debile robur
* Expendens, pondus non excutit ille pericli.
* Hinc timidum Pecus omne, cicur non redditur uſquam;
* Nam ſibi diffiſum plauſus cervicis amicos
* Odit, & admotas fugit intractabile palmas:
* At patitur generoſa manum Fera: ſeque magiſtro
* Committit, ſpernitque dolos ſibi conſcia virtus.
* Hæc imbecilli ſegnis natura timoris.
* Sed contra ingenium cauti eſt, non ille futuris
* Angitur eventis, verum cavet; itque periclis
* Obvius haud temere, ſed ſeſe accingit, & ante
* Præſidium vigilis quærit virtutis & artis.
* Qui pavet inſidias, in nullas incidet uſquam,
* Qui timet, haud facili doluit ſuccumbere damno.
* Si junctus virtute timor, virtuſque timoris
* In duce ſit conſors, tum demum fortis habendus.
* Peccatumque ducis juxta eſt ſpreviſſe timendos:
* Ac contemnendos ſi forte expalleat hoſtes.
Plurimus imcumbit pelago Notus, unda dehiſcit:
Præruptas hyemes fortis nil nauta veretur.
Aura ſilet, criſpat pontus tractabilis undas:
Armamenta timens nuſquam tamen ille remittit.
Sit leve, non ibit liber curiſque ſolutus:
Sit grave diſcrimen, Princeps generoſior audet:
Inter & abſimiles eadem eſt conſtantia fortes.
Inde ubi jam Princeps pugnæ mandata gerendæ,
Edocuitque modum pellendi ex aggere Thracem,

Si

Si forte ingrueret victor: tum Sole cadente
Dimiſitque Duces, curare & corpora juſſit.
N.7. Militiæ Proceres repetunt tentoria læti,
Et lætis ſociis ventura luce ferendam
Edicunt pugnam: Ducibus ſpes proxima pugnæ
Ut primum accepta, & turmas pervaſit in omnes:
Proſiluere: ſtupet captum dulcedine pectus
Inſolitâ: dumque illa fovet, tum pectoris æque
Et ſenſus hebetat; neque enim cognoſcere cuiquam eſt,
Gaudia ſint, Martiſve furor, ſtudiumve triumphi,
Quod ſubit, & dulci pertentat pectora curâ:
Hæc lapſa ex animo corpus ſubrepit in ipſum,
Et mulcens blanda ſub imagine torquet utrumque.
Hinc alios ſtratis tædet componere membra:
Aſt alii contra quamquam incubuere cubili:
Aut ſopor exul abeſt, aut idem obrepere tentans,
Condere non oculos potuit, laxare nec artus.
Lumina nam tardi rimantur lampada Solis,
Corpus & impatiens, perculſum & laudis honore
Fluctuat hac illac: ſiccis ita febribus æger
Implicitus tenebras odit, lucemque moratur,
Proluat ut fauces undis, & cymbia vertat:
Dum ſenſim exurens artus, & paſta medullas
Torrida vis morbi negat indulgere quieti.
Si quis at invitus multa jam nocte ſopori
Succubuit , non ille fuit ſopor, ægra ſoporis
Sed ſpecies; torpens dextrâ nam ſpicula miles
Tractat agens, vallum ſuperat, Turcaſque trucidat.
* Quodque audere juvat vigiles, audere videntur
* In ſomnis, curas ſomno reddente diurnas.

Ergo

Ergo ubi maturum tempus tuba prædicat: omnis
Corripit e ſtratis artus, ſeque induit armis
Miles, & effuſi coëunt ad ſigna frequentes.
Nam litui clangor juvenum ſic dulcis ad aures
Accidit, ut ſiccis exacta æſtate colonis
Intonat, inſtanteſque ignis denuntiat imbres.
N.8. Tempus erat, quando dubiæ confinia lucis
Nox pene attigerat bigis, eademque ſeneſcens
Luciferi radiis regnum cedebat olympi.
Nulla mora eſt: geminis raptim, quæ copia juſſa eſt,
Caſtrorum egreditur portis, & protinus agros
(Qui jam condicti fuerant) juveneſque duceſque
Digeſti in verſus adeunt; dumque agmina pergunt,
Tympanaque, & lituus murmur cantuſque repreſſit.
Scilicet ut ſigno potuiſſent ire ſilenti,
Et clandeſtino Turcas invadere niſu.
Ante ſed ad Thracas ventum eſt, quam credidit ipſe
Palphiacus Ductor, juvenumque exercitus omnis;
Quandoquidem illunis tecti caligine noctis
Inſtituunt alium Cicones, qui tertius agger,
Et circum longâ prætendunt brachia foſsâ.
Hunc igitur vallum, quamquam ſecus ante putarat,
Palphiadæ offendit cornu; ſtupet inſcia pubes,
Imprudenſque novi miles muniminis hæret.
Nam ſibi præſcriptum recta regione ſecundum
(Quod viſum heſterna fuerat jam luce) petebat
Cæſareus ſeptum, contra quod deſtinat iras.
Ut vero ignoto gens incidit inſcia vallo
Auſtriaca, expavit caſus iniiſſe ciendi
Bella, prius calido quam pectore ſuſcitet iras
Martis: ab aſpectu porro nox plurima texit,

Et ſeptum occuluit dubiæ nebula addita nocti.
N.9 Quandoquidem extremo noctis ſub tempore multa
Se nebula offundens campos caligine veſtit:
Hæc ſi quæ reliqua eſt, jaciant quam ſydera lucem
Incertam, eripuit penitus, cæciſque tenebris
Aëris affines tractus damnavit, & agros.
Si nebulæ cauſam quæris, non illa ſuborta eſt
Humore ab putri, aut requieti uligine ſtagni,
N c campis eadem Phæbo demiſſa cadente.
N.10. Myſtica quæ nubes ſuperis effudit ab oris
Illam Virgo Parens, gentes tectura Latinas.
Nam ne conſpicuum Thracis tormenta laceſſant,
Occuluit veluti cæcis pia Virgo latebris
Agmen: & interiit tali ratione Gelonis
Tormentorum uſus: pergit defenſus ab igne
Cæſareus miles, propiuſque in caſtra ſubivit.
N.11. Huc ubi proceſſum eſt, & euntibus obvius agger
Ex improviſo; quamvis invaſerit omnes,
Palphiades unus pugnæ a formidine liber
Intempeſtivæ conſtat, quin gaudia pectus
Horroris ſubiere loco: mens alta periclum
* Temnit ubicumque eſt, ſeu quod præceperit ante,
* Aut inſperatum eſt: palmis ad ſydera paſſis
Palphiades ſolvit grates hic ergo Tonanti
Et Matri: tunc ad ſocios ſe vertit, & inquit.
Si Numen, ſi Dia Parens nos Principis ergo,
Qui nimium acceptus, qui Matris cura Deique eſt,
A flamma aſſeruit, quid non ſperare licebit,
Cum res ad gladium veniet? ſub pectore veſtro
Incaleant ignes, quos Virgo avertit: in hoſtem

Per-

Pergite, quem veſtro nebulæ miracula ferro
Devovere: vapor fumans e ſanguine gentis
Biſtoniæ tenues nebulam diſſolvet in auras.
Me ſequere o miles, ſequor omen Virginis ipſe.
N.12. Palphiacis monitis, quamquam defixa ſtupore
Aggeris ignoti ſteterat Germanica pubes,
Se ſibi reſtituit, flammâque inſtinta furoris
Inſolitâ, favor illa, favor a Virgine flamma,
Flamma ferox, flamma armipotens: hac uſus utraſque
Tum miles nebulæ vicit, noctiſque tenebras:
Hujus ope a quovis mens eſt intacta timore:
Dum furor exuperat ſenſum formidinis omnem.
Eſt ſibi quiſque ſuus monitor, nec jam amplius ullus
Attendit præcepta Ducis, voceſque monentis.
Quæ ſatius moneat nebula eſt; ea credita juſſis
Virginis in Thracis meritam demiſſa ruinam
Obtinet, ut nulla torpens formidine miles
Contendat; volat ergo pilis non obvius ullis:
Dum nebulæ a tenebris lucis filet uſus ademtus,
Nec procul aſpectu campos aperire liceret
Iſmariis, noſtras acies quo figere poſſent
A Ciconum caſtris longa regione remotas.
N.13. At vero propius cum ventum eſt denique, cumque
Promovere gradum, ſeptumque iniere ruentes,
Proditus incurſus; nam crebrior impulit aures
Iſmarias ſtrepitus (qualem ſolet edere turma
Plurima, dum muſſat) graviorque inceſſus equorum.
Hic Turcæ intendunt aciem, luciſque malignæ
Præſidio propior demum eſt conſpectus apertus
Agminis; apparent galeæ, ferrumque renidet.

 Hoſtis

Hoſtis adeſt, rapite arma, faces immittite, clamant
E ſeptis vigiles; neque enim laxata manebat
(Ut foret extremum noctis)cuſtodia Thracum:
Aſt iidem ſtabant juſſa ſtatione frequentes,
Inque armis, ſtrictiſque accincti ad prælia telis.
N.14.E ſclopis ergo bolidum contorta Gelonis
Denſa procella ruit, tum denſior excipit imber
Teutonidum e ſclopis: oritur promiſcua cædes
Hac illac: pereunt una mileſque duceſque.
Didita mors late plumbi vulgatur ab alis,
Igniti plumbi, & nullo diſcrimine fortes
Cædit, & imbelles: & utriſque ingloria juxta eſt;
Nam quo tempeſtas incumbit plumbea, nullum
Eſt ibi diſcrimen: moritur piger, impiger: itque
Segnities primi, bonitas ignota ſecundi.
N.15.In ſua quid ſollers hominum prudentia damna
Non facit! en armat plumbum, certamque ruinam
Addidit; innocuum quamvis natura crearit,
Cui neque duritiem ferri, nec durius auri
Adjecit pretium: jam vile & flexile pondus
Bella gerit, pejus ferro, exitialius auro:
Et venit a plumbo peregrina injuria mortis,
A quo nil tecti eſt; licet inde receſſerit hoſtis,
Aſſequitur: dextrâ quamvis ſit ſtrenuus, icit.
Ah ferus, ah ferrum, qui plumbum excudit in auras!
An ferus, & ferrum eſt, plumbi qui protulit uſum
Tam nocuum, & prunis modicos formavit in orbes,
Intruſitque tubo, flammiſque excuſſit adactum?
Credere quis poſſet, plumbum volat ocius Euro,
Exitioque ſuo (nam flictu obtunditur ipſo)

Nec

Non tantum oſſa terit, chalybem ſed traiicit ictum,
Loricæque moræ, clypei terebrantur & orbes.
N.16. Palphius hic citior tendit, cum prima reſedit
Tempeſtas bolidum, turmis ne qua otia rurſum
Suppeterent Geticis pyrio cum pulvere plumbum
Injicere in ſclopum: & properans ſecum applicat agmen
Pernici ad vallum incurſu, volat incitus ipſe
Inprimis, & nil reliqui facit eſſe maniplis
Ad curſum. pleno ire gradu, raptimque videres
Agmina, & acclives æque procedere cultros
E ſclopo extantes; queis ſi committere quicquam eſt,
Sic cum ſublatis ſurgit ſeges hiſpida ſpicis,
Cui levis incumbit ventus, variuſque ſubinde eſt,
Mitior, aut gravior; glumas, ut ſerviat auris,
Erigit, & culmus revocat ſimul, inde putantur
Vadere, & evulſæ terrâ procedere ariſtæ:
Si procul aſpicias mollis de vertice clivi.
N.17. Tum ſimul Auſtriacæ vallum tenuere cohortes,
Exarſit rabies, pugnæque excanduit ardor.
Ut Turcæ intendunt ſtudium ſua ſepta tueri,
Sic ictu Auſtriadæ vallum conſcendere primo
Elati ſtudiis: illi depellere tendunt
Proceriſque haſtis, intentatiſque sariſſis:
Hi pede promoto, collatiſque undique ſignis
Inſiſtunt iniiſſe: pari tranſacta furore
Integra res pendet, belli & communis utriſque
Mars hæret: quantum Thracis vis multa repugnat,
Teutonidum oppugnat tantum furor acrior hoſtes.
Barbara gens animis ſoli concedere morti
Deſtinat; ante mori, quam ſe convertere pubes
Obſti-

Obſtinat Auſtriaca, & conſtat furor æquus utrinque;
Nec ſatis excutere eſt, major num cura Gelonum
Urat, an Auſtriacos ardor; ſuperare Latini,
Hoſtis ab his vallum obnixus defendere geſtit.
Ergo alii in foſſas ſe proripuere, nihilque
Eſt penſi, an pereant; quod ni contingat inulta
Mors votum eſt, pretium fiet, ſi ſcanditur agger,
Atque ultra ſeptum fato concedere detur.
Pars quota contingit voti; nam pœna caducis
De Thrace exacta eſt; ſed mors pretioſa negatur
Auſtriacis, nec vallum intra ſuccumbere fatis
Poſſe datur, ſeptoque animam effudere ſub ipſo,
Quos Turcæ oblonga confoſſos cuſpide cædunt.
Inſiliunt ſociis alii, ſociûmque ruina
Non cautos, verum cæcos facit eſſe furore
Vindictæ; cujus multis tam dira libido eſt
Seminecum e numero, ut quamvis a mole graventur,
Et comitum pedibus vultus, & membra terantur,
Semianimûm haud unus pro luctiſono ululatu
Edidit has hilaris voces: comes utere noſtro
Corpore pro gradibus, quo tutum in Thracia caſtra
Expedias aditum, nil ipſe indignor, at oro
Ne curâ adſtrictus noſtræ cunctere ſalutis:
Si gradus evadam, quo poſſis ſcandere vallum,
Protere; ſi ſtimulus, quo poſſis pellere Turcas,
Proculca, ſi forte pii ſum cauſa furoris,
Ut vice de noſtra pœnas ſumturus ab hoſte
Numinis affligas penitus, Matriſque rebelles,
Peſſunda: placet iſta, mihique injuria cordi eſt.
In me (ſi qua ſubeſt pietas) precor impius eſto.

Mi-

Miles ſeminecis votis indulget, & acer
Inſilit, intrepidiſque inſiſtens corpore plantis
In ſeptum invehitur, lævâque amplexus inhæret
In conto: adnixus totis dein viribus enſem
Dirigit incutiens, & quo cumulatior illic
Copia Biſtonidum eſt, & circumfuſa corona,
Hoc minus incaſſum romphææ intercidit ictus.
Aſt alii, quorum major vis inſita plantis,
Se raptim jaciunt, & foſſas impete jungunt,
Inque pedes recti ſalientes prælia miſcent.
N.18. Primus in his vero ſaltu ſe Palphius actum
Librat, & exceptus pedibus munimen inire
Atque Getas premere, atque Aquilas inferre Latinas.
Et licet haud princeps aggreſſus ſcandere ſeptum,
Primus at ingreſſus ſeptum eſt: pomœria valli
Ut pede jam ſubiit lævo, ſuſpenſus in aura
Plantam aliam; (a dextrâ refugit nam terra dehiſcens
Ingenti ſcrobis ore) manu rotat ilicet enſem
Fulmineo gyro, & contos obtruncat, & artus.
Cernere erat, quantum patitur caliginis atræ
Horror, acervatim varia pro ſtrage volare
Brachiaque, mutilaſque manus, contoſque reſectos.
Barbara gens, quamvis cernens miracula dextræ
Palphiacæ torpet, pugnam non inde remittit,
Nec ſe ſe ut victam penitus gerit, utque pavore
Conſternati animi jaceant, tamen æqua timentes
Spes animos recreat; ducibus placet ergo Gelonis
Undique turmarum revocare ex aggere partem,
Quâ minus infirmus, nec tanta is mole laborat.
N.16. Juſſi conveniunt hoſtes, aliique periclo

Ad-

Admoniti, e vallo Thraces venere ſecundo.
Hi porro incuſſa ſociis formidine non dum
Perculſi fuſas acies monitiſque, miniſque
Reſtituunt; quo congreſſu miſcetur ubique
Lætitiâ gemitus, trepiduſque hortamine clamor.
Nam non dum experti primi, quam multus in enſem
Palphius inſurgat, quo turbine torqueat ictum,
Incuſant profugos, avidique in prælia tendunt.
Ergo hoſtis partim trepidus, partimque recepto
Confluit huc animo, & ſtudiis diſcordibus actus
Occurrit ſibi, ſeque fugit, rurſumque reductus
Involuit ſeſe ipſe ſibi, dum Palphius urget.
Sic ubi Crabronum tectis admoveris ignem,
Excitæ volucres alio contendere pergunt,
Ut torrem fugiant, alio ſed parvula proles,
Vindictæque ardor revocat, cellæque relictæ
Dilapſas: fumuſque abigit ſoboleſque reducit:
Creſcit & immenſum, diſcors dum cauſa, tumultus.
N.20. Dum pugnæ hic ſpecies adeo contenta cietur:
Non minor eſt alibi, mage nec manſueta malorum
In Thracem facies, ubi Starembergius inſtat.
Hic ſimul invectus, peditumque in robore primus
Incubuit Turcis, ſtrictum violentior enſem
Torquet agens, quâque incuſſæ lux cuſpidis ardet,
Illius ad fulgur vitæ cito lumen ademtum
Occidit Iſmariis: nec vero dixeris enſem,
Starembergiadæ fortis quem dextera tractat,
Sed Lacheſis falcem, tot Thracum demetit artus,
Membrorumque ſtrue terram ſic ſternit opertam.
Nam Ciconum ordinibus ruptis dum pandere callem
Vult

Vult pedibus, qua fecit iter ratione, recluſum
Obſtruit: armorum ſtrages tam plurima limen,
Membrorum & cumulus, facto velut objice, claudit.
Nec modo jam gladius radios a ſanguine perdit:
Ipſe ſed & thorax, caſsis madet ipſa cruore.
Dum vero lorica fluit, dum decolor enſis,
Purpureo juxta veſtitur terra colore.
Nec quiſquam Iſmaridum clypeo ſeptemplice fretus,
Loricâque ferox, animiſque ingentibus audens
Immunem retuliſſe pedem lætatus ab hoſte;
Nam quiſquis Ciconum ſe juxta audacior infert,
Corruit, illatique gradus veſtigia vitâ
Mercatur, pœnaſque auſi cum ſanguine pendit.
Et licet ediderit cædes, & trunca Gelonûm
Membra catervatim cumulo congeſſerit alto,
Ille tamen ſemper Geticis obſeſſus ab armis:
Nec procul in cunctos fœda de clade coortus
Se timor evulgat; ſed Thracum copia tanta eſt,
Ut circumfuſus ſemper novus affluat hoſtis.
Dumque ciet Ductor ſtragem, non ſegnis inerſque
Stat miles; ſiquidem variis incurſibus inſtans
Applicat huc illuc ſe fervidus: omniaque idem
Expertus Geticum tentat perrumpere ſeptum.
Nunc explere ſcrobem, ſectum nunc vellere vallum,
Et jacere in foveam, atque avidus vult quiſque ſubacti
Aggeris inprimis ad ſemet vertere plauſus:
Plauſus is eſt vitâ potior pene omnibus, omnis
Multa ope connixus ſeptum tranſmittere tendit:
Nilque intervalli facit uſquam, ut Thracia pellat
Agmina, & hoſtili tentet ſtatione potiri.

Guttur ut elidens repetitus anhelitus angat;
Spiritus excluſis nec rite reciprocet auris.
At quamvis adeo violenta impreſſio Turcas
Urgeat, inclinat neutri victoria parti.
Claſſicus hic ſiquidem miles, Prætoria pubes,
(Cui tutela loci ceſsit) quanto acrior infert
Auſtria ſe pubes, hoc firmior ille repugnat.
Nec ſepto dejectus abit; qua quiſque prehenſus,
Hac ſtatione perit: certum eſt prohibere Latinos,
Et ſi non aliter poſsit, vivoque negatur,
Stat ſaltem extincto defendere corpore ſedem,
Quam primum obtinuit; nec vero ingloria cæſis
Mors ſua contingit: refert, utrumne timentis
In pecudis morem Turcæ cædantur inulti,
An verſi in furias animos, & funere funus
Reddentes; ferrum nullus timet ergo necemque,
Sed timet, admiſſus ne ſit ſtationibus hoſtis:
Cura necis, vitæque ſubit poſtrema: medullas
Quæ carpit potior, quæ durior exedit, illa eſt;
Exigere inſtantes acies, & pellere vallo.
Hoc unum in votis, deque unis pugna ſtativis
Anxia contrahitur: fuſi jactura cruoris,
Et vitæ in pretio eſt, liceat modo caſtra tueri.
Hinc multis Ciconum non uno ut vulnere pectus
Sit fixum, & quamvis quotquot ſunt pectore plagæ,
Ceu totidem e ſcatebris cruor emicet, ardua conſtat
Dextera, & ut quondam ferro robuſta minatur:
Nec pes ſede ſua latum ſe dimovet unguem:
Artus vis animi, atque animum vis ſuſtinet iræ:
Nec niſi vulneribus confoſſum millibus artus

Cor-

Corruit, exhauſtoque occumbit ſanguine corpus:
Sic artus anima, atque animam ſic deficit ira.
Continuo at pugnam nullis cogentibus ultro
Integer a ſocio volat accepiſſe peremto.
Ergo diu, ſemperque anceps tenet horrida pugna:
Et ſe collidunt acies cum viribus æquis.
Sic quondam pelagus pelagi revolutus in undas,
Quâ fauces aperit Calpe, quâque oſtia Seſtos,
Murmure multijugo ſeſe invehit æſtus in æſtum,
Impete quo, rupti ſuperos aſpergine campos
Offundunt, ſeque obnixi lacerare videntur,
Alter & alterius ruit abſorbendus hiatu.
N.21.Dum furor hic ardet, ſtimulis ſeque omnibus ira
Efferat inſultans, & neutra e parte ſeneſcit,
Parque eſt conditio Getici, populique Latini,
Grandius accedit monſtrum. Subit impete jactus
Aggeris in labrum, rurſuſque e margine valli
Proſilit in campos, ubi pubes Auſtria pugnat,
Et ſeſe excepit pedibus Solimanus ibidem
Arduus: hic Pharias acies in prælia quondam
Duxerat: adjectum ſummo qui vertice ſeptum
Æquat, & adverſas dum brachia jactat in auras,
Excedit: turrita ingens cui cætera moles
Membrorum aſſurgit; pectus thorace ſuperbit
Effuſo, lumbique toris ſpatiantur obeſis,
Et magnos agitant immania crura cothurnos.
Haud ſecus Iſacidæ quondam videre Gigantem
Voce laceſſentem, proceroque enſe minantem,
Dextera quem Pueri, ſaxi quem perculit ictus.
Membrorum hanc molem gemino cum tergore veſtit,

Et late obnubit pellis direpta Draconi,
Hoſpita cui Nili ripa eſt: pene ærea pellis,
Et quam ſi ferias, operam fruſtrabere luſam.
Ergo ubi jam pedibus campi jus hoſtis adeptus;
Quæ pedibus nactus, dextrâ vult regna tueri,
Aut potius proferre; rotat nam protinus enſem
Fulmineum, invictum, rapidoque volumine tortum
Incutit incumbens, quo fulmine purgat, an omnem
Artubus inſternit mutilis, & ſanguine campum?
Area lata vacat, quo barbarus incidit ille,
Vel clades, vel ubique fuga eſt; nec cominus ullus
Promoviſſe pedem, vires conferre nec audet.
Cum fractos animos vidit Solimanus ubique,
Subſtitit infrendens, dextrâque innixus inhæret
In capulo, & lævam contra munimina tendit,
Atque ait, en vallum quem quæritis, ite Latini,
Ite, quis avertit? ſociis prohibere negatum eſt
Vindice me; Ciconum vos ſiquis ab aggere lædet,
Sentiet ultorem; noſtros nam lædet honores.
Vallus ego, & valli cuſtos, quid nectitis ultro
Uſque moras? veſtræ num flamma obmutuit iræ,
Nunc ubi jam ſegnis ſclopi ceſſavit & ignis,
Quo modo polletis, quo furtim ex hoſte triumphos
Ducitis? hinc vobis ingloria gloria cedit,
Atque inhonorus honos, fumoque ſimillimus ignis.
Si laudes petitis ſolidas, hic judice ferro
Certandum eſt, ferrum veros adſciſcit honores:
Hoc decus Heroum eſt, vivæ virtutis & index.
At ceſſatis adhuc? ferar ipſe, & ſternere ferro
Non prius abſiſtam pecudes, mihi donec & ipſe

Eu-

Eugenius . . . Stolidi voces huc uſque Sabaudus
Accipit Emmanuel, nec plura his addere paſſus,
Aſt inhibens ſclopo ne quiſquam inceſſeret hoſtem:
En, ait, en adſum, qui ferro judice certem,
Qui magni Eugenii miles, cognatus & idem,
Qui pecudum e numero te tantum Heroa docebo;
Quod non præſidium valli es, vallumque futurus,
Sed gradus, Odryſium quo poſſim ſcandere vallum,
Poſt ubi demiſſus fueris jam denique morti,
Cui non dederis celeri, ſed diſcere debes
Dedendum prius eſſe neci, quam funus obibis:
Nec te dignabor fato, quin talia doctus,
Quin irritatus vires depromſeris omnes.
Scilicet ut demum noris, quod bellica virtus
Eſt animi tantum, non magni corporis hoſpes.
Dixerat: in dictis ille infremit, omnis in ore
Pectoris e latebris exul ſeſe exprimit ira,
Et quaſſat caput, & dentes collidit, & optat
Solvere; diſtinctas ſed neſcit ſolvere linguam
In voces: quique ore fremit ſonus, exhibet Urſi
Rugitus, rabiemque Canum, fremituſque Leonis.
Sic proprias furias vultu Mortalis adumbrat,
Irarumque notas peregrino gutture reddit
Hoſtis Tartareus, cum dio eſt carmine tortus:
Cujus & eſt hoſpes plagas cum corpore ſentit.
Mox ubi confeſſus flammas, quas occulit hoſtis,
In gladium aſſurgens parat ora reſolvere verbis:
Exigat ut pœnas, referatque ut mutua dicta.
Occupat Emmanuel, mediiſque excepit in auris,
Avertitque alio ferrum: dein hoſtis in ora,

Nil

Nil intercepto, ſed eodem protinus ictu
Ille ſuum valido contorquet turbine ferrum:
Tranſadigitque genas, & hiantis cuſpide linguam
Italus effodit gladius: tum ſubjicit Heros:
Hoc habe reſponſum linguæ, dextræque procacis.
Frendet in immenſum, queruliſque ululatibus aſtra
Impulit, & punctim tentat fixiſſe Sabaudum
Ille ferox, totoque intorquet robore fulmen
In Ducis Auſonii pectus, qui corpore pronus,
Accliniſque tenus renum ſe ſubtrahit enſi
Tranſmiſſo lumbos ultra, curvataque terga.
Nec vero interea Juvenis ceſſavit in ictu.
Quo ſiquidem pacto dorſum jam flexit, eodem
Ilicet intendit dextram, gladiumque Gigantis
Dirigit in ventrem: reſilit ſed pelle Draconis
Cuſpis abacta, ſibi nec deficit Italus Heros;
Sed rimam advertens, aperit quam ſutile tergus,
Sortituſque oculis recta regione coruſcat
Fulmen, & exegit per coxam fervidus enſem.
Tunc ſic pauca refert: fida o cuſtodia valli,
Si labia & colubri pellis ſquammoſa fuiſſent
Suta tibi quondam, gemino non ore paterent,
Quæ tua ſacrilego nunc ſanguine dicta refellunt.
Barbarus ad plagam, convitiaque addita plagæ
Frendet iniqua minans, & firmo robore ferrum
Erigit, & paulum manibus ſuſpenſus in ictum
Incutit acclinis: dum vero in vulnera pendet,
Interea ſaltu ſe proripit Italus Heros,
Digreſſusque aliò librando exivit ab enſe,
Hic ruit inflictus violenti turbinis inſtar,

De-

Depaſtusque ſolo eſt: terræ diſcludere morſum
Dum multus contendit, humoque adnixus in armos
Ille abit: Emmanuel jactum ſe protinus intra
Contiguum retulit, librati & fulminis ictu
Detergit lævæ digitos; ſaliiſſe videres
Per terram abſciſſos, mutilæ ceu cauda colubræ.
Quo facto abſtinuit Pharium demittere morti,
Infit at Emmanuel: non noſtri eſt moris inermes
Cædere, vellendi gladii tibi copia detur:
Ut mortem effugias, dabitur quoque copia faſſo
Cedere te victum. tum terrificos ululatus
Edidit hoſtis hiulcus, eos ſolet edere Taurus
Saucius, aut undis revolutæ ad litora Phocæ.
Quin caput offenſat, majorique impete ferrum
Torquet agens: contra proprium Dux Italus enſem
Objecit, nec vero aliô detorquet, ut olim:
At gladium implicuit gladio, miraque ligatum
Arte premit, nullaque ſinit divertere parte,
Odryſium ferrum, & tali dum diſtinet aſtu,
Ipſe ſubit ſenſim, ſenſim dilabitur enſis,
Semper at adverſus removet, pellitque Gelonum;
Nec ceſſat, donec proprior ſucceſſerit hoſti,
Et donec capulum copulo commiſſerit Heros
Auſtrius: adverſam lævæ tum compede dextram,
Strinxit, & ut nequeat vel latum excedere culmum,
Efficit: hic Pharii nutantia crura labare,
Exangues pallere genæ, furiæque jacere;
Aſt animi invaluit virtus mavortia contra
Corporis injuſſos motus, redimitque vigorem,
Et robur revocans multâ contendit opum vi,

Ut

Ut dextram expediat manicis, quas Itala læva
Injecit: vanus cedit ſed niſus in auras.
Mitior amplexus mortalia crura flagellis
Evincit Polypus: Tygris pacatior aures
Dentibus infixis Tauri tenet: arſit in iras
Barbarus, & vinclo ſe fruſtra exolvere tentat.
Emmanuel contra ſubnixum, & multa frementem
Sic fatur: Potui, ſed dextram avellere parſi;
Ut facto admonitus, ſi forſan cedere victum
Te pudet, abjecto revoces veſtigia ferro.
Sitque argumento, quid Thracum bellica virtus
Diſtat ab Auſtriacâ: non ultra Ægyptius hoſtis
Dicentem tolerat, ſed inanem infligere lævam
Auſus in Herois frontem: caput intremit ictu;
Offuſusque ſtupor menti procul expulit omnes,
Quos prius excierat generoſo in pectore ſenſus
Jam pietas, ſubit ira, furor ſubit efferus, enſem
Haud mora fulmineum quanto potis impete tortum
In caput inviſum, & toto conamine rurſus
Incutit incumbens, nec flammis ille furoris
Obſequitur tantum, dum frangere tempora ferro
Occupat illiſo: belli prudentia movit;
Quandoquidem Turcæ ſocii diſcrimine viſo
Et lævam mutili, et dextram ceu compede vincti,
Continuo ſclopos intruſis glandibus armant;
Ut morte Allobrogis redimant a morte Gigantem.
Hoc ubi compertum eſt, ferit acrior enſe Sabaudus
In caput obſtantem juvenem, nec protegit anguis
Niliaci, ferro quamvis impervia, pellis.
Quippe ea vis dextræ, gladii violentia tanta eſt

Au-

Auſtriaci Herois, diſruptum in fragmina centum
Ut caput infenſi penitus perfregerit hoſtis.
Dum ſiquidem renuit pellis, dum cedere ferrum,
Et ſecum colliſa obſtant, ſuccumbit utriſque
Contuſum caput, & piceo cum ſanguine miſtum
Diſſiluit cerebrum, pallentiaque inficit ora.
Ille cadit, rugitque cadens, & iniquus in ipſa
Morte furit, labenſque hoſtem vel cædere ferro,
Vel lævam incutere, aut reſupinus calce ferire,
Sed fruſtra: ruit in caput, & revolutus arenâ
Palpitat, & ſuras & brachia jactat in auras.
Impete quo, ſeſe corio implicat ille colubri:
Et lapſu, exuviiſque refert, fremituque Draconem.
Tum bonus Emmanuel vaſto ſe corpore tectum
Abdit, ut hoc Geticas defenderet objice glandes,
Quarum diluvies illum petit: hæc ubi demum
Deſtitit, Auſtriaci Turcarum in ſepta feruntur:
Horum ope ſubvolvens immania membra Sabaudus
Applicat ad vallum, quo ſcandere poſſit, & uti
Pro gradibus; coëunt Turcæ, ſeptumque frequentes
Obſedere: oritur tum pugna acerrima rurſus,
Infenſæque cadunt, cædunt & utrinque catervæ.
N.22. Dum cruda hic ſeritur, dum pugna atrocior ardet,
Eſt itidem inclemens bellum, facieſque pericli
Communis, curat quâ Vittembergius alâ:
Agmen ubi vires omnes intendit utrumque,
Parque pari niſus, par confidentia certat
Obluctata pari, non hinc, non inde remittens:
Seque pari ſenſim perdens certamine conſtat.
Et licet ad vallum ſe miles adegerit acer
Germanus, quo nuſquam alias certamine nixus:

Et Thraces, quo nuſquam alias ardore repugnant.
Quæ ſunt pellendis obſeſſo ex aggere turmis
Teutonicis, pro ſe Ciconum quiſque aggerat arma;
Et decus & prodi gentis putat inde ſalutem,
In quo quiſque jacens ceſſat, neque fulminat armis.
Martia nec vero virtus, & conſona dextra
Fortis Alexandri, quamquam ciet undique ſtrages,
Proficit ad belli ſummam; fremit ille, moraſque
Inſolitas Thracis dudum ſua fulmina paſſas
Secum indignatus, quas nullum expertus in hoſtem eſt,
Sævit acerba furens, rabiemque e pectoris imo
Excutit: ut laudis ſtimulus, qui provocat ingens
Pectus, ab effrænæ ſtimulo duplicetur & iræ,
Et ſic armetur gemino cum robore dextra,
Poſt ubi ſuppetias ierit furor auctus honori.
Tum ruit infeſtus gemino calcare ſubactus:
Hinc furor, inde ſuas peragit dum gloria partes.
At ſibi fecit iter, ſociis aperire nequivit:
Cædere Strymonios, ſed debellare negatum eſt.
Nam quot Alexander perculſos dejicit enſe
Biſtonas: aut totidem, aut duplos audacia reddit:
Eſtque duum veluti ſemen mors ſimplicis hoſtis.
Sic ſeſe intrudunt gemini, quâ deficit unus.
Prodiga gens animæ gladio ſeſe induit ultro,
Dummodo diſtineat curſum, validique Magiſtri
Interpellet iter, ne cætera turba ſequatur;
Unde foret demum ſpes conclamata ſalutis,
Perditaque accideret gentis res funditus omnis.
Turcarum inſuetos ſenſus miratur, & ardet
Ipſe etiam inſolitis ſuccenſus pectora flammis
Vittembergiades, quòque eſt confertior hoſtis,

Hoc

Hoc furor accendit Juvenis præcordia major.
Utque a congeſtâ flammæ vis gliſcit ariſtâ,
Creſcit Alexandri fervor ſic Thracis ad undam.
At quamquam ediderit cumulatæ ſtragis acervos,
Haud idem valuit ſociis quoque ſternere callem,
Quâ ſimul effuſum ſe cornu intrudere poſſet.
Quippe per extincti Thracis, pugnantis & agmen
Stat ſemper, turmis pateat ne trames apertus.
Quin & pugnantum clamor, gemituſque cadentum
Obtinet, ut parcas habeat, quas ſpiritus auras
Ducat. ad hoc, pectus dum creber anhelitus angit,
Multa obluctatas animas intercipit oris.
Sic ubi dejecit ſpiſſum ſe milvus in agmen
Sturnorum, admonitæ volucres vitare periclum,
Natura dictante, globum glomerantur in arctum
Collectæ, motiſque alis, vocumque fragore
Attenuant auras, quas denſas concipit alâ
Raptor, & his demtis omnis præciſa facultas
Prædoni eſt, avium ne progrediatur in orbem.
N.23. Sed velut in cornu pendens res hæret utroque,
Quâ licet haud plenas concedat Thracia palmas;
Cunctando ſata cauſa tamen, ſerique triumphi
Dedecus Odryſiæ multo ſtat ſanguine genti;
Sic vertit medio ſucceſſus in agmine diſpar.
Quippe ubi convulſis Thracum in munimina ſignis
Movit Heiſterus, movit Beverenus & unâ
Bellipotens, plenoque gradu contendit in hoſtem;
Incidit in nodos, contra quam credat uterque,
Invictos belli nodos, ubi reſtitit agmen
Nequicquam obnixum, & ſemper cum cæde repulſum.
N.24. Clivus erat modico tollens faſtigia dorſo,

Radices facilis, ſummum cuneatus acumen.
Sic natum ingenio collem gens Thraſſa redegit
Caſtelli in faciem (quippe intra caſtra manebat:)
Perpetuo hunc late vallo tum ſepſit in orbem,
Prætenditque ſcrobem, ductâ quin fluminis undâ
Fecit, ut a caſtris, velut interciſus, abeſſet:
Inde locat tormenta ſuper faſtigia clivi,
Et peditem in montis pedibus diſponit, ut eſſet
Præſidio: ne forte jugo commune periclum
Cum caſtris, penituſque eadem foret alea martis.
Hunc contra collem recta regione maniplos
Egit Heiſterus: ſed longe excuſſa pilarum
Ferrea tempeſtas ſtragem dedit: Auſtria pubes
Obruta miſſilium nimbo veſtigia retro
Ni retulit, cauſæ eſt; quoniam concedere fato
Vult eadem, neſcitque loco diſcedere capto.
N.25.Fulminet, & glandes iteret ſuggeſtus in hoſtes:
Teutonidum irritat potius, quam terreat iras.
Haud mora, ſigna gradu rapiunt properantia pleno,
Et vallo incumbunt: at valli a margine Thraces
Læthalem explodunt ſclopis manualibus imbrem,
Et dorſum interea collis non ceſſat ab igne.
Ergo opportunus geminis, ictuſque procellis
Majore invehitur niſu, ſi ſcandere ſeptum
Auſtriacus poſſit miles, collemque ſubire.
At quantum ardoris noſtris accedit, id omne
Diluvies ingens plumbi corrumpit, & auget
Perniciem: excitas vaſtat furor iraque mentes,
Dum res aſperior factu eſt, quam conſcia virtus
Jam ſibi perſuaſit; nam vallo evertere Turcas
Rem fore ſperabant primi certaminis omnes.

Hæc

Hæc vero effectu quamvis tranſacta fuiſſent,
Majus adhuc ſuperabat opus, ſteteritque cruore
Non parvo Auſtriacis ad ſummum evadere collem;
Qui quoniam a primo refugit, propiorque ſecundo
Eſt ſepto, immiſſis poterant defendere turmis
Biſtones, & gravius victori offerre periclum
Poſt palmam: verum tales attendere caſus
Neſcit Heiſteri, nec curat vividus ardor,
Nec ſortes acie mentis rimatur, at enſis.
Pugna placet: gladium in Turcas rotat: ejus ab orbe
Mors Turcis oritur, vitæ ſpes mortua cedit.
Nec firmos adeo depanxit in aggere contos
Hoſtis, & haud hoſtes adeo lorica fidelis
Protegit, invicto caſſis conflata nec ære eſt,
Quæ furias tolerare, aciemque obtundere ferri
Poſſit, Heiſteræ robur vel vincere dextræ.
N.26. Parte alia vero ſtimulis Beverenus honoris,
Et flammis iræ indulgens, quæ corda ſubinde
Provocat, in vallum ferus inſilit; inde Gelonos
Infeſtis oculis, rabido & clamore minatus
Aggreditur gladio; ſequitur fœdiſſima cædes.
At vero in dubio eſt, vocis num fulmen, an enſis
Dediderit morti Turcas formidine, plagis;
Non bene nam Ciconum viſus diſcrevit, & aures;
An prius acciderit vocis timor, enſis an ira,
Clamoremve ictus, clamor prævenerit ictum;
Lumine nam vitæ cecidit Thrax functus eodem
Momento, quo lingua tonat, quo fulminat enſis.
Hic verô excitus duplici terrore tumultus
Exoritur Turcas inter: quo protinus agmen
Solvitur ordinibus ruptis; ſibique implicuit ſe

Bar-

Barbara gens: alios alius ſuperincidit, illi eſt
In votis fugere, at profugum prævertere tentat
Alter, & hac illac ſeſe explicuiſſe laborans
Hæſit, & ipſe fugam movit timor, ipſe moratus.
Haud ſecus in clauſtris Taurus furiatus Iberis
Si procul evadat, vulgique offendat in undam
Ex improviſo: Tauri ſibi quiſque veretur
A cornu, primus propriæ modo quiſque ſaluti
Intendit ſtuduiſſe, timor communis at omnes
Quod docet, hoc uni prohibet; confuſus ubique
Curſus, ubique fugæ facies infecta videtur:
Nec tamen interea Tauro datur ire facultas:
Et ſibi cauſa moræ eſt, alios qui concitat, horror;
Dum cavet ipſe ſuo natos terrore timores.
Has belli ambages inter Beverenus in hoſtem
Sævit, ut oblato (quoniam ſors admonet) uti
Tempore feſtinet: gladio ferus incutit ictus
Fatifero, & quales olli ſors obtulit hoſtes,
Sic ferit. Autaffum cæſum, punctim enecat Effin,
Dividuum Autaffo caput hinc, atque inde pependit:
Effidis eſt hauſtum pectus: cadit ille ſupinus
In terga, hic matrem rabido cum dente petivit
Præceps in faciem, primus Scytha, Grajus et alter:
Nec galea Autaffum, nec thorax protegit Effin:
Hic pugnæ ſtudet, ille fugæ: non ſubtrahit Effin
Planta fugax, nec dextra minax ſublatus & enſis
Conſulit Autaffo, citius occupat hoſtis utrumque.
Aggerat his alios rurſus; ſed plurima turba
Ut cadat e Turcis, cædem ſarcire Latinæ
Eſt impar gentis, quam prorſum abſumit inertem
Plumbea tempeſtas contorta e vertice clivi.

FRAN-



1 A ſepis, et 2 monte 3 Getas prior eycit. inde
4 EVGENIVS 5 claues à 6 Thracibus accipit 7 Vrbis.

FRANCISCI MARIÆ CÆSARIS

EUGENIUS,
SEU
MARIÆ VIRGINIS
PER EUGENIUM TROPHÆA:

Acceſſerunt argumenta AGNELLI DE AMATO tum ſoluta, tum ligata oratione.

LIBER XII.

N.1. *Eugenius pro comperto habens quid diſtet campeſtris a caſtrenſi pugna abſtinet prælio, viſurus quo eum majus periculum avocaret.*

N.2. *Dilapſa jam nebula Eugenio aperit ſuorum ſtragem a colle illatam.*

N.3. *Socios ad certamen hortatus illuc advolat.*

N.4. *Equitatus velocitas deſcribitur.*

N.5. *Adeo concitus aſſultus fuit, ut nulla fuerit Turcis facultas iterum tormenta armandi.*

N.6. *Momento Eugenius ſeptum ſuperat.*

N.7. *Eugenii intoleranda virtus, inde Turcarum metus.*

N.8. *Turcarum in aggere conſternatio & cædes.*

N.9. *Ab Eugenio incuſſus metus Turcis momento ad univerſum priorem aggerem diffunditur: quo facto alii Du-*

ces

Digitized by Google

ces variis locis ſeptum penetrant.

N.10. *Eugenius poſt hæc collem petit. & expugnat, & tormenta in eo poſita verti jubet in ſecundum hoſtis aggerem.*

N.11. *Mox alterum ſeptum invadit, & extemplo ſuperat.*

N.12. *Quamquam eo Viſirius ſe receptum, & a fuga collectas acies duxiſſet, & una acrius repugnarent, nihil tamen proficiunt.*

N.13. *Alia tum Turcarum clades, & metus ab Eugenio incuſſus.*

N.14. *In tam fœda ſtrage ſtrenuus Turcarum numerus in quadratum agmen coactus victrices acies intactus perrumpit.*

N.15. *Conſpicatur id Ferdinandus Bavariæ Princeps, & indignatur. Ejuſdem oratio ad commilitones.*

N.16. *Dum ruit petitum Turcas, obvius illi fertur Algizal Equitum Dux: inter eoſdem pugna, cæditur Algizal, quo cæſo Fernandus in Turcas incidit, & proſternit, quod item præſtant ſocii.*

N.17. *Diſperſi hoſtes in tertium ſe vallum effundunt, & iterum in fugam conjiciuntur.*

N.18. *Eugenius quo loco collectos Turcas videt, illuc advolat, & fundit.*

N.19. *Ubi Eugenius apparet, Turcæ vel eo viſo, vel ejus nomine audito præcipites fugiunt.*

N.20. *Eugenius Deo, & B. Virgini grates ſuper integra victoria agit, & continet milites a prædandi libidine, & quibus ex cauſis id agat: tum levis armaturæ equitatum mittit, ut fugientes Turcas inſequatur.*

N.21. *Turcæ ex Urbe videntes ſociorum ſtragem, & vexilla rapta, belli velut immemores jacent animis.*

N.22.

N.22.*Creſcit illorum ſtupor a lætitia Auſtriaci exercitus, et iis ex cauſis Turcæ dedunt Urbem Tauruni Eugenio.*

N.23.*Potiſſima vero cauſa ea fuit: ſicuti enim Virgo fecit, ne ardente pugna præſidium Urbis excæcatum ſtupore ferret opem ſociis, invadens a tergo Cæſareos, eadem Virgo fecit poſtea, ut metu conſternatum præſidium ultro intactam pene Urbem dederet Eugenio.*

ALIUD EJUSDEM ARGUMENTUM.

Eugenius princeps ſeptum, collemque vomentem
Læthiferos ignes ſuperat: dein cætera pubes
Admiſſa eſt: reliquoſque iniit cum Principe vallos.
Divæ Matris opus, dedunt quod Biſtones Urbem.

LIBER XII.

Quid vero interea peragit, qua parte moratur,
Qui caput, & Latiæ eſt potior fiducia gentis,
Spiritus ille ferox, animæque ferocia vaſtæ:
Illa loci impatiens virtus, inhianſque periclis,
Europæ columen, terror cladeſque Getarum,
Dic mihi, quandoquidem noſti Regina, roganti,
Tu quæ pro meritis Cœli meliore recepta
Sede ſedes, ſoliumque tenes a Numine majus:
Unde potens animus, virtus unde alta Sabaudo,
Divinus furor unde mihi eſt nil tale merenti,
Quo raptus tantis me ſperem exolvere rebus,
Nec vereor belli vaſtæ ſuccumbere moli:
Dic quâ diſtentus curâ, quâ parte Sabaudus
Se tenet: an ſtragem durat ſpectare ſuorum,
Hærenteſque loco, nec præcipitatur in hoſtem?
Sed jam conſilium patuit, menſque alta Sabaudi,
Dum ſedet, alterno flagrant ubi bella furore,
Atque tenet multas dubium certamen in horas,
Averſus campo penitus nec cernitur hoſtis
Strymonius. Noras certe, Dux inclyte, noras:
Et bene jam rerum prudens præceperat ante
Mens tua; campeſtris qualis diſtantia pugnæ
Præſenti a bello crebra inter ſepta ferendo.
Quippe ubi contrahitur campis certamen apertis,
In ducis arbitrio eſt, illuc præſto eſſe maniplis
Suppetias latum, ratio quo dictat & uſus,
Nec ſcrobe Ductoris curſus intercipit agger:
Evolat, evaditque celer, quoquo ire periclum

Ad-

Admonet, objectam virtute & diſjicit agmen.
Cum vero in caſtris hoſtes invadere clauſos
Eſt opus, a ſeptis omnis præciſa facultas
Ductori eſt, illuc celeres impingere turmas,
Quâ res nata petit, bellique exegerit aſtus:
Sed velut implicitus pedicâ ſubſiſtere debet.
Nam ſi digreſſus lævâ, dextrâque recedat,
Ut ferat auxilium ſociis, vetat obvius agger:
Nomine quo, paulum ſi forte exceſſerit idem,
Ut circumveniens alio ferat agmen, id addit
Partibus adverſis animos, conſternat amicas;
Ignaris neutris, dum circumducitur agmen
Cum duce, num terror, belli num verterit aſtus.
Idcirco Eugenius voluit ſecedere paulum
A pugna, nec cum reliquis ſeſe intulit hoſti,
Ut procul aſſidens ſubjectas undique turmas
Haud ſecus ac ſpecula contemplaretur ab alta,
Quâque ſui irrumpant gravius, qua parte laborent;
Qua parte inclinent hoſtes, quâque acrius inſtent.
Cumque animadverſus rerum ſtatus ante Sabaudo
Non fuerit, donec nebulæ caligine pulsâ
Alma dies pugnæ diſcrimina quæque retexit;
Propterea Eugenius paulum ceſſavit, & ortus
Opperiens lucis ſeceſſit ab agmine. Sed jam
Extulerat croceos Titan ardentior axes,
Et face purpurea geminas dimoverat umbras:
Utque recens orta diſcuſſit lampade noctem,
Sic latebras nebulæ flammis detexit adultis.
N.2. Ergo oculis lux certa ſuum cum reddidit uſum
Fruſtratum obtentu nebulæ, cuncta agmina Princeps

Luminibus relegens curſim metitur ; at idem,
Poſt ubi deprenſa eſt oculis, quam fulmina ſtragem
E clivo librata darent, quotque igneus imber
In mediam mortes aciem ferat, arſit in iras,
Et circumfuſum flammis excanduit agmen
Ejus ab aſpectu : quippe electiſſima pubes
Eugenium ſtipat, lumen roburque virorum.
Vindelici hic Fratres multis cum millibus adſtant,
Qui cuncti popularis eques domini arma ſequutus.
Stat juxta Haſſiades, confert ſe Gallica pubes,
Et medium amplexi ſimul adfluxere Sabaudum
Acer Dombeſius, fortis Carolois, & ingens
Quantum animis,tantum validis Marilachus ab armis,
Et belli Proceres alii, quos ille morantes
Imperium vocis; ſacriſque a nutibus omnes
Pendentes pugnæque avidos ſociûmque frementes
Ob ſtragem exacuit breviter ſic ore locutus.
Dum vero loquitur, vultus non conſtitit unus;
Sed lux, neſcio, quæ crines allambere viſa eſt,
Et faciem : ſive hæc fuerit peregrina, Poloque
Miſſa, vel ex animi cognatis edita flammis
Transgrediens cordis fines exundet in ora,
In dubio eſt ; major gravitas ſubit inde, decorque
Purpureus veſtit frontem, maliſque renidet.
Aurea vox liquidi mellis devolvitur inſtar,
Mortalemque ſuper ſermo eſt, plenusque vigoris.
Quippe ea vis voci eſt, ſociis ut diſcolor oris
Sic habitus fiat, veluti ſententia dicti eſt.
Si laudes recolat Princeps, exuberat horum
Lætitia exultim vultu, riſuſque voluptas.

Dum

Dum contra exacuit, livor tunc ore, ruborque
Emicat, ex oculis flammarum exire favillas
Aſpiceres, vultuque novos ardere furores:
Tam ſeſe inſinuat juvenum ſub pectora, ſenſus
Sic ciet accenſos immiſſa potentia vocis.
N.3.His autem Princeps, aliis & talibus ora
Solvit, ut in Geticum ſocios impingeret hoſtem.
Flos Juvenum, Europæ virtus non eloquor ipſe,
Ut moneam, admonitus flammâ, quæ promicat ore,
Quanta ſit & qualis vobis excanduit ira:
Hæc flamma interpres concepti in corde furoris
Non eget, at ſtimulos noſtro ſub pectore condit,
Hæc aget, hæc mecum rapiet. properemus, ubi ille
Collis apex ſocios ignita grandine perdit,
Ille peti toto irarum certamine debet:
Ille vel admiſſis Capitolia pandet honoris,
Vel dabit excluſis Cœli Capitolia nobis:
Quippe nec eſt animus, nec fas excedere vivos:
Inde ad vindictam ſociûm cruor allicit, inde
Advocat ad Cœlum ſociûm via ſanguine ſcripta.
Dixit, & in dictis hinnitibus impulit auras,
Corripuitque viam ſonipes injuſſus, & ante
Verberis admoti ſtimulos fugit; ille Sabaudi
Induit aut ſenſus, aut intellexit: & hujus
Concitus exemplo quadrupes ruit omnis in hoſtem.
Sic ubi concrepuit ſtridor certaminis index;
(Nam ſuus eſt apibus pugnæ quoque claſſicus auctor
Quo Rex indicit noto cum carmine bellum)
Se procul ejiciunt, jam facto examine, tectis,
Inque globum glomerantur apes, Regemque ſequutæ
Ac-

Aëre tranſmiſſo propere rapiuntur in hoſtem:
Haud ſecus effuſis ſonipes ruit omnis habenis,
Extremam Eugenius fudit dum gutture vocem.
N. 4. Vox fuit hæc tonitru, cujus ſub fine cadentis
Quot properant equites, belli tot fulmina tendunt.
Non equites ferri dicas, non ire citato
Impete quadrupedes credas; ſed utroſque volare
Præſidio alarum, quas binas addidit ira,
Vindictæque ardor: geminis ita concitus alis
Vel Dominus, vel fertur equus; neuterque volatum
Notitiâ attendit plenâ: mens ignea quando
Omnis in optata verſatur imagine palmæ.
Sed quamvis oculi, quamvis mens fervida palmæ
Rapta ſit a ſtudio, curſus præcedit utriſque.
Clara ſub id tempus liquido tuba murmure clangit;
Hujus at Auſtriacas acceptus clangor ad aures
Accidit, & recreat vires & ſuſcitat iras;
Sed ferit Odryſias ferali carmine mentes
Auribus admiſſus, lævum portendit & omen;
Unde minas mortis, mortem adventare vel ipſam,
Ac veluti mœſti vectam clangoris ab alis
Quilibet e Turcis credit, damnoque futuro
Pallet, & ignotâ ſaliunt formidine corda.
Sic etiam gelido torpent terrore volucres,
Accipiter preſſo volvit cum ſibila roſtro.
Sic Lea cum rugit, quamvis procul illa recedat,
Omne genus pecudum genibus male ſuccidit ægris.
Ipſa etiam terra ipſa labat: nec cauſa tremoris
Eſt modo cornipedum pulſus, ſed pene videtur
A furiis equitum tremere, & concuſſa moveri;

Hac

Hac cauſa in primis glomeratur pulveris altas
In nubes, ſtudioque fugæ contendit in auras,
Quod timet, alipedum pedibus ne perdita prorſum
Intereat, priſcique chaos redigatur in umbras.
Quicquid id eſt: certe facies rerum horrida viſa eſt
Alipedum furor ille, ſoli tremor ille furore
Ortus ab alipedum, nimbus niger ille tremore
Natus, & e nimbo rumpens fragor ille tubarum.
Quâque furor, terræque tremor, nimbuſque, tubæque
Terrorem incutiunt, ignes arſere minaces
Aut oculis equitum, rutilis aut enſibus orti.
Haud equidem magnis auſim committere parva,
At ſi terrificum quicquam eſt, quod forte licebit
Extremæ lucis ſummo conferre timori,
Ut vero propius (verbis audacia deſit)
Exprimat horrorem tempeſtatemque malorum,
Hoc unum eſt: utrinque tremor telluris, utrinque
Fulminibus nubes gravidæ, terrorque tubæque.
N. 5. Dum vero hic equitum nimbus ruit, hoſtis ab alto
Aſpiciens clivo ſolitis inceſſere flammis
Non potuit, quamvis nixus: paulo ante pilarum
Nam pluviâ incuſsâ Bevereni in Principis agmen,
Poſtea Strymoniis ſpatium non ſuppetit æquum,
Pulvis ut ignipotens addatur, & ænea grando,
Queis tubus armatus mortes explodere poſſet
In turmas equitum, tanto volat impete Princeps,
Tam cito corripiunt equites cum Principe longum
Campi interſtitium: Turcas juga montis habentes
Sic ubi fruſtratus, ſimili ratione fefellit
Edonum viſus Princeps, queis credita ſepta.

Nam

Nam Thraci intento longe medium agmen habere
Non animadverſus cædis novus accidit ultor
Eugenius: quin ut ſenſus non ullus ad hoſtem
Extitit adventus, ſic intercepta facultas
Pugnandi eſt; adeo firmus conſenſus, & acer
Militis, & conſtans adeo fuit impetus iræ:
Ut licet obnixi (poſtquam ſenſere petitos
Se Thraces) renuantque animi nudare timorem
Impete conceptum ſubito, ſeptumque tueri
Contendant, fruſtrata ſecus ſpes cedit, & auſum
It caſſum: vires ultra furioſa procella
Extitit aſſultus, neque ſuſtentanda Gelonis.
N.7. Ergo nec exiguo ſpatio certaminis ulla
Forma fuit: puncto clades evenit eodem,
Quo fuit adventus, Turcasque involvit in unda
Sanguinis, incubuit mortis ceu turbine nata
Illa ubi tempeſtas. miſeri videre Sabaudum
Jam ſepto admiſſum, ſed qua ratione ſubivit
Haud bene compertum; neſcit poſſeſſa timore
Mens Ciconum, vallus fuerit num dirutus, anne
Corpore librato, atque ultra munimina jacto
Trajectus fuerit turmis magnoque Sabaudo,
Expletæne ſcrobes, foveis æquatus an agger.
Sic Lamias multa ſiquis de nocte receptas
Aſpiciat tecto, ſuſpenſus torpet & hiſcit,
Non modo conſilij, ſed inops a lumine mentis.
Nec tantum imbellis, verum quicumque timoris
Thrax olim inſolitus mortem neglexerat ipſam,
Nunc jacet Eugenio viſo; ſtupet inſcius ergo,
Victa peregrino trepident quod corda pavore,

Sed

Sed trepidant tamen ; & quamvis viciſſe trementes
Summa ope contendat ſenſus audacia, neſcit.
N.7. Tam ferus Eugenio eſt, habitus truculentus & oris,
Sic oculos flammis gravidos, avidoſque cruoris,
Voluit acerba tuens, moto ſic corpore mortis
Horrorem, mortiſque minas ſpirare videtur.
Non paſcit Libyæ tellus deſerta draconem
Ora reſolventem, & vibrantem in vulnera caudam,
Lumina ſtent quamquã flammis, vomat ore venenum,
Et rictu intentet, collique volumine mortem,
Qui poſſit furias, gelidumque æquare timorem
Eugenii incuſſum vultu, ferroque minaci.
Nullus in Iſmario fortis licet agmine, nullus
Reſpectuque gradus, ſtimuliſque furoris adactus,
Qui, ſimul occurrunt, oculos tolerare Sabaudi,
Aſpectumque pati valeat ; viſuſque videnſque
Torpet, & inviſæ jam ſibila credit ad aures
Cuſpidis, & dirum jam ferri ad pectora vulnus.
Nullus in innumero numero, tantiſque catervis,
Qui minus elabi ſtudeat, ſibi ſiqua poteſtas
Facta fugæ ; at quoniam multis iter obſtruit omne,
Quæ reliqua a tergo non dum conſpecta Sabaudo
Turba premit, profugoſque ruens in bella reducit,
(Ut ſæpe in ſpiſſis turmis;) hos funere Princeps,
Quandoquĩdem haud potuit mortis formidine, pellit;
Et ferro molitur iter : quâque alite curſu
Præteriit Princeps, monumenta æterna ſuperſunt
Belligeræ dextræ. gladiis ruptiſque pharetris
Obſitus eſt campus : gladiis & pluribus hæret
Sciſſa manus ; galeas paſſim, ſectaſque videres

Loricas, & claudit adhuc(miſerabile viſu)
Abſciſſi capitis partem ſub fornice caſſis,
Dividuas coſtas & thorax mordet hiulcus.
Hic mutilis campus lumbis impexus, & illic
Turcarum evulſis humeris; nec ſtrenua pubes
Id tentat prohibere, poteſt nec plurima turba.
Ecquis enim poſſit furias fregiſſe Sabaudi?
Si chalybe ex ſolido vallum, ſi membra Getarum
Non ferro, non jam, verum ex adamante rigerent,
Principis incurſum poſſint ſuperare, patique.
Spes ſit rectori potius convertere navim
Delatam in fluctus,ubi cardo vertitur orbis
Oceano in magno, & rapida vertigine ſemper
Obvius ipſe ſibi pontus ruit, atque recurrit.
Spes alat indigenas inhibere molaribus ante
Niliacas undas, & aquarum frangere montes
Oppoſitam molem, revolutaque ſaxa rotantes,
Quam Turcæ Eugenij furias compeſcere ſperent.
N.8.Sic partim extincta, & partim gens ſaucia Thracum,
Cætera ſe credit plantis & ſpiritus illuc
Conſternatus abit, pectuſque exangue relinquit.
Relliquiæ quamvis animæ ſub limine mortis
Dent etiam manibus motum: ceu cauda colubræ
Affectare ſolet mutilæ; ſic utraquæ palma,
Non veluti quondam ſcuto metuenda, vel enſe,
Sed penitus nuda eſt, ſuperas & jacta per oras
Verberat aërios tractus adnixa, novoque
Remigio Cœli ſe tollere tentat ad auras.
Nec modo matura eſt, verum properata, notiſque
Omnibus infamis Ciconum fuga; nullus ubique

Eſt

Eſt ignominiæ miſeris reſpectus, honoris
Nullus amor: ceſſitque pudor formidine pulſus,
Quo ferus incumbit Princeps: cum Principe turmæ
Quâ reliquæ admiſſæ ſeptisThracum agmina fundunt.
N.9. Nam ſatis Eugenius quamvis foret unus ad hoſtis
Excidium, quando formidine protinus omnes
Deſolatæ acies, profligatique manipli;
Non tamen illatæ ſtragis, fuſique Geloni
Emeritas laudes uni ſibi vindicat ipſe:
Dum timor incuſſus Turcis a Principis enſe
Continuo elapſus vallum pervadit in orbem;
Is timor ut Turcis adimit ſpem funditus omnem,
Sic idem ad laudis partem, partique triumphi
Adſcivit reliquas grata ad commercia turmas,
Debellatque Getas, conſternatoſque Gelonos
Exigit exturbans, atque agmina diſsita fundit,
Et vacua admittit demum ſtatione Latinos;
Unde procul pubes ſe Biſtonis eripit, utque
In præceps abeat, Princeps facit, enſe trucidat
Hic ille Iinarios, alibi formidine pellit:
Sic & fulgetrum quondam de fulmine rumpens,
Perpetuis flammis Cœli convexa pererrat,
Quoque fugit per inane,metus luctuſque ſequuntur,
Et ferit adſtantes, abigitque timore remotos.
Unde Getis ergo terror, vigor inde Latinis
Crevit, & anterior quoquo ſe porrigit agger,
Eſt fuga: Palphiades porro munimen inivit
Primus ab Eugenio: comitem ſe Mercius addit,
Promovitque furens verſus in ſepta ſecundos
Agminis: a læva ſe Vittembergius infert,

Nec minus inducit medium Beverenus & agmen:
Tunc alij irrumpunt Proceres, aliique Tribuni,
Ordinibusque frequens legio ſigna intulit omnis.
N. 10. Ut demum æqualis quavis victoria parte
Eugenio arriſit, volat ilicet agmine recto,
Et tumuli invadit dorſum, Treſſa unde juventus
Auſtriacas turmas etiam tum glande petebat:
Quâque loci ingenium paſſum eſt, erexit equeſtrem
In tumulos aciem; verum terrenus, & æquo
Mons humero acclivis quâ demum deſinit eſſe,
Non excendit, equi ſed præcipitatur ab armo,
Et plantis inſiſtit; eques Ducis acta ſequutus
Præſtitit hoc ipſum, & ſpatio ſuperatus eodem
Pene fuit tumulus, primus cum dirutus agger
Succubuit: Threiſſa manus nam ſegnior ultro
Se clivi abripuit pedibus, cum ſepta tuentes
Aſpexit ſocias ingenti ſtrage phalanges
Afflictas; Ciconum ſed præſentiſſima pubes
Non ſolum inſiſtit clivum defendere bello,
Sed morti objicitur, clades quos major ab ira
Excipit, & nulli ferri indulgentia parſit.
Sic ubi deſertus partim, partimque ſubactus
Cæſareas collis turmas excepit; in hoſtes
Eugenii nutu tormenta curulia verſa,
Quorum opportunus jamdudum Thracibus uſus
Non ſolum interiit, ſed clades hoſtibus auxit:
Et jam maturat, quod diſtulit ante trophæa
Auſtriacis; dum rapta Getis tormenta Magiſter
Ignipotens illuc certa collineat arte,
Agminibus Ciconum ruptis ubi copia major.

Pon-

Pondere quin etiam bolidas graviore ſecundum
Dirigit in vallum, queis ſeptum excindit, & ictos
Deſtinat excidio, Turcasque involuit eodem.
At vero clemens adeo, manſuetaque clades
Accidit Odryſiis a tempeſtate pilarum,
Si bolidum ſtragem placeat conferre ruinæ
Illatæ Eugenii gladio; defendere glandes
Nam ſcrobibus Turcæ poterant, a fulmine verò
Principis haud quicquam tecti eſt; nil quippe remittens
Ille ſuas furias uno contendit in ictu
Ad vallum (explicitus victo jam monte) ſecundum.
Dum vero tendit, ſparſos non aucupat hoſtes
Ad cædem, quos aut oculis, aut voce minatus
Ejicit, & ſeptis aliis impingit adactos.
Excipit hos miles ſubiens, quem præda vel ira
Ad ſtragem exacuit; quando generoſa Sabaudi
Abnegat in fuſos iraſci dextera Turcas.
N. 11 Aſt ubi jam valli ſeſe intulit ille ſecundi
In ſeptum, hic vires iterum revocavit, & iras
Concipit hic iterum, multuſquè incumbit in hoſtes.
Scilicet Odryſiæ quo major copia gentis,
Quòque iter obſtruſum magis eſt graviuſque periclum,
Hoc furor Eugenii gliſcit ſub pectore major:
Eſtque loco ſtimuli moles diſcriminis ingens.
Ut pelagus vento parens evoluit aquarum
Cæruleos montes, quâ campos æquor apertos
Explicat, in ſcopulos quà vero offendit, ibidem
Crebrior inſurgit, cumuloſque illidit, & inſtat
Major hyems: arcem credas invadere ſaxi
Velle, quot extollit fluctus, totidem agmina dicas,

Et vice miſſilium jactus aſperginis ire:
Quin tuba ne deſit, quæ rupes murmure plangit,
Exhibet hæc lituos vacua inter ſaxa frementes.
Haud aliter Princeps; ubi pubes barbara curſu
Evolat effuſo, & pugnam detrectat; inermes
Præterit, infeſtos ſeque injicit acer in hoſtes.
N.12. Nec levis eſt hoſtis numerus, cui ſepta tueri
Propoſitum; hoc ſiquidem Viſirius aggere ſtabat,
Huc ſe ſubductum pugnâ demum ille recepit,
Contraxitque manum belli diſcrimine functam,
Applicuitque aliis turmis, quæ nempe recentes
Viribus, & nulla ſociûm formidine tactæ,
Pro vallo accinctæ ſtabant, belloque paratæ.
A quarum aſpectu, & Getici clamore magiſtri
Increpitus miles, nuper palatus, & inſtar
Exanimis terrore, animos nunc colligit audax,
(Et quod raro alias) juſtis ſe digerit ultro
Ordinibus, pectus miſto ſubit ira pudore,
Et profligatam pugnam reparare libido eſt.
Talis aper, quem turba canum premit, ille timore
Impulſus ſequitur ſaltus, perque invia currit,
Donec in hoſpitium, quod acuto nactus odore eſt,
Incidat, hic aliis fretus ſe vertit in hoſtem,
Cognatumque pecus grunnitu ad prælia cogit,
Explicat & frendens ſetas, & dente laceſſit.
At pugnæ eventum ſecus experientia fecit,
Ac fore ſperabant Turcæ; nam plurima Thracum
Vis illa, & numerus laudes ut Principis auxit;
Si nil diſtinuit furias, palmaſque moratus.
Haud mora, tranſiluit vallum, ſeptoque receptus
Tot

Tot ſtrages edit, numerus quot Thracius offert
Obvius, infeſtis animis quot ſuggerit ira.
Quin multis animam de pectore dejicit, ante
Quam feriat; multosque, prius quam vulnera ferrum
Lethifera infligat, jam territa vita reliquit.
Nec modus eſt plagis; ferit ille a fronte, feritque
A læva, a dextra, nec quicquam in vulnera ceſſat,
Perculſis donec pateat vaſta area Turcis.
His ergo ejectis, quoniam jam deficit hoſtis,
Quâ ruit Eugenius, pariter deferbuit ira.
Sic ubi materies flammis alimenta miniſtrat,
Creſcit edax, donec ſeges illi ſuppetat, ignis;
Sed tacet exuſtis ſudibus jam denique flamma.
N. 13. Tum fuſi Thraces, disjectus & ilicet ordo,
Laxatuſque globus magni virtute Sabaudi.
Nam quoquo incumbit Princeps, atque incutit enſem,
Et Thracem obtruncat, ferri violentia tanta
Inflicti eſt, adeo latis diſcedit & altis
Iſmaridum corpus plagis, ut pectus hiulcum
Conſpicuum late Ciconas deterreat omnes,
Et plagâ unius viſâ veſtigia centum
Edoni referant, quotquot cinxere coronâ
Extinctum, quotquot vaſtam videre cavernam.
Ut lapis in ſtagni liquidam ſi mittitur undam,
Continuo ad ſaxi caſum ſalit humor, & inde
Multiplices ducit natos ex orbibus orbes:
In quibus anguſtus prior eſt, quique excipit alter,
Grandior: inde alii gyro majore ſequuntur.
Sic & quo cecidit cuſpis furioſa Sabaudi,
Ad plagam ſocii propior quicumque cadenti eſt

Ex-

Excedit, tum de inde alius ſe proripit, inde
Effugiunt, quotquot vulnus crudele tuentur,
Et varii apparent profugis a Thracibus orbes
Inſcripti, rapido ſeſe eripientibus enſi:
Orbibus & punctum ductis facit Itala cuſpis.
Abſtinet a nudis Princeps de more Gelonis,
Atque in confertos mentis generoſa libido
Illum agit, hos contra tacitas rurſum excitat iras,
Enſis et aſpectu Getici ſuror ilicet ardet.
Sic flamma in ſilicis venis obſtruſa coruſcat
Æris ab occurſu, calcis ſic inſitus ardor
Æſtuat exultans, ſi contra invergitur amnis,
Nec fracto capitur ſaxo; viſque ignea bullis
Rumpitur, & canum glomerat ſuper aſtra vaporem.
At quamquam accendit Princeps, aut exuit iras,
Ut ſolet: armatus, ſive obvius hoſtis inermis:
Ut ſolet, & miles parili rotat arma tenore,
Atque indiſtinctâ damnat Getica agmina clade,
Altera tunc ergo(neque enim eſt cur pugna vocetur)
Contingit clades, an cladis nomine digna
Non erit? antiquum potius chaos eſſe videtur,
Quod rerum ſpecies informi involuit acervo.
Lux illa armorum tacuit, quæ lumina flammis
Perſtringens ipſo potuit terrore placere.
Signa tot a variis diſtincta coloribus olim,
Illita purpureo nunc tantum ſanguine ſordent;
Sanguine ſi multo tellus diluta cruorem
Egerit in rivos, rebuſque impertit habendum.
Quin pro tot cæſis illi violentia tanta eſt,
Ut non inficiat ſolum, ſed volvat & arma,

Queis

Queis fuit effuſus; dicas ſenſum eſſe cruori
Exanimi, cujus fuerat dum viveret expers;
In ſua nam vegetus, bellique cupidine cæcus
Fata ruit, dextræ robur dira arma rotanti
Dum dedit, extinctus nunc demum averſus ab armis;
Hæc alio evolvit, ne cedant rurſus in uſum,
Thracis an in damnum? quod certum protinus inſtat,
Auſtriacos contra quoties Thrax utitur armis.
Sive indignatus ſanguis, quod inutilis enſis
Nec ſibi præſidio fuerit, nec noxius hoſti,
Inde loco pœnæ gladium devolvit in æquor;
Perdat ut in pelago Geticæ inſtrumenta ruinæ.
Corpora ſed Thracum prohibent decurrere rivos
In mare, ſublimes æquantia corpora ripas.
Ille igitur campus, fuerat qui nuper amictus
Tot juvenum exuviis, variis ſpectandus & armis,
Quo mortale genus viſum fuit omne coiſſe,
Nunc maris eſt inſtar, mortis quô durior ira,
Ut genus humanum poſſet delere, coëgit.
Victorum ex oculis facies hæc horrida rerum
Non ſolum expreſſit lacrymas, animisque dolorem,
Aſt etiam injecit timidos ſub pectore ſenſus:
Diriguit cruor unde, comæque horrore ſteterunt;
Incuſatque ſuum pubes Germana furorem.
N.14. Dum timet & victor tam ſæva in imagine mortis,
Ecce tibi Ciconum ſe copia cogit, & inde
Vindictæ ſtimulos animis collegit, & ignes,
Unde metus fuerat, victorque expalluit unde.
Nec mora, fit cuneus validum contractus in orbem,
Orbis ab extremis gladios extare videres
Commiſſos ſclopo, luctumque & fata minantes.

Hic Thracum numerus medios tranſire per hoſtes
Tentat, & effectu; ſiquidem quoquo illa procella
Perculit, Auſtriacis ut circumventa catervis,
Perrumpit furibunda, & trajicit integra caſus.
N.15. Aſpicit hoc agmen medias pervadere turmas
Teutonicas, equitum rapida dum primus in ala
Vindelicus Fernandus agit, dum Biſtonas urget
Arduus, arma rotans, ſpeciem nec paſſus iniquam eſt;
Sed furor erumpens animo prodivit in ora,
Impubeſque pudor vultus infecit, & ira
Pectore jam major, plenoque in corde morari
Impatiens. talis nubes ſuffecta rubore,
Ut primum illuxit, pelagi ſe attollit ab oris:
Turritoſque ſinus fluvijs, & fulmine fætos
Per Cœlum, inſtantis nimbi prænuntia, volvit.
Tunc ſic ad ſocios ora indignantia ſolvens
Fernandus fatur: Nuſquam hæc victoria conſtat
Integra, ſi fructus ſequitur, tamen indiga laudum eſt:
Quin & vertetur, ſic debellaſſe, pudori.
Omnia dum terror, dum cædes obtinet atrox,
Illa manus Ciconum ſtimuliſne intacta timoris
Ibit, & obluctans eadem victricibus armis
Læta ſuum facinus referet, gentiſque Latinæ
Segnitiem carpet, patrias ubi tendet ad oras?
Nunquam erit; æquali damnentur funere Turcæ,
Et decus armorum macula redimatur ab iſta.
N.16. Hæc ubi: quadrupedi ſubjecit ad ilia calcar:
Verbere quo ſonipes ſolitus transmittere campos
Ad primæ imperium vocis ſe proripit, Euroque
Ocyor eſt fuga; cumque volet pernicior aurâ,

Fer-

Fernandi furiis tardus, ſegniſque videtur:
Caſtigatque moras ſcuticâ, frænoque fatigat.
Dum rapidus ruit in Cicones Fernandus, it illi
Obvius Algizal, acies qui ductor equeſtres
Egerat, Inachiæ lectas e flore juventæ.
Hic ubi Vindelicum vidit decurrere ſolum,
Prægreſſum ſocios, & prorſus ab agmine toto
Sejunctum(quando ſequitur veſtigia longe,
Si minus aſſequitur Dominum gens Norica juxta)
In furias arſit: nec paſſa eſt conſcia virtus,
Ignota aut potius non paſſa ſuperbia cordis,
Septus ut agminibus tantis hoſtem ille maneret.
Nec mora, proripuit ſociis, ſeque obvius offert:
Atque ubi deventum, dictis ſic increpat ultro.
Haud equidem occurri, quoniam me vana libido
Inceſſit puerum ferro jugulare protervum;
An tanti es, noſtri gladii quem digner honore?
Non ferrum, ſed fuſtis equum qui verberat, ictum
Te creber feriet; ſtolidos nec verbere ſperem
Correxiſſe animos, ſcuticis his ipſe ſequentes
Exacuam ſocios, ut flentem avertere virgis
Feſtinent, ſolusque illos ſic ſternere poſſim,
Te cæſo qui terga darent. Tum Noricus Heros
Sic contra: Auxilio ſociûm demittere morti
Si te deberem, ſcuticas & rite mererer,
Et mallem: cuneus porro tuus ille videbit;
Nam tibi non dabitur, quis proterat agmina ſolus.
Dixit, & ante ſonus vocis quam totus ab ore
Prodierat, rapidus per Cœlum ſibilat enſis,
Nec prius Algizal ea ſibila fronte diremit,

Et vulnus retulit, quam voces terminet auris:
In caput incutitur violenti turbinis inſtar
Ante necem latura, ferat quam funeris omen
Vindelici romphæa: ſonat ſub fulmine caſſis
Turcica, & admittit gladium jam pervia; tranſit
Enſis, & intruſus ſecuit caput: impete ferri
Diſſiluit conus galeæ, criſtæque comantes
Avulſæ per inane volant: tum Fama volantes
Collegit pennas, & partem accommodat alis,
Ocior ut tanti facti vulgaret honores:
Vindelicæ gentis pedibus partem addit, ut ire
Maturent. Verum princeps Fernandus in hoſtem
Incubuit: ſepem gladiis Thrax objicit actam
Ante oculos & pectus equi, quibus ille paratis
Indueret ſeſe, ſi curſum intendere pergat.
At pede quadrupedis Juvenis magis impigra dextra
Incurſum prævertit equi, præcidit & hoſtis
Conſilium; incuſſo gladii nam demetit ictu
Scloporum tubulos, unde altus prominet enſis.
Sic jam deterſis gladiis evanida ſepes
Facta, nec incurſus habilis prohibere ruentis
Principis: invadit denſos tunc ille Gelonos,
Et partim alipedis celeri ruit impete, partim
Enſe necat: late cumulo tumulantur eodem
Ictus eques, revolutus equus: quâque hiſpida ſepes
Jam fuit, armatis illic conſurgit & armis
Mons ingens: Ciconum nec quicquam proficit ardor;
Quamquam ignominiæ juſtas acuatur ad iras
In cote, illati quamquam glomerentur ab omni
Parte, & diluvio ſemper majore rebellent,

Inſtan-

Inſtantemque petant tercentis ictibus hoſtem.
Ille ſua virtute magis, quam tectus ab armis,
Quæ chalybe invicto digiti duxere magiſtri:
Ille inquam, aut alio deflectit cuſpidis ictus
Odryſiæ, opponens majori robore ferrum:
Biſtonidum aut enſem mediis obtruncat in auris
Exceptum, aut gladio dextram furatur ademtam,
Aut animam dextræ trajectò corpore tollit.
Si quis at evadens gladiis e millibus unus
Loricam expugnet, Juvenis fruſtratus & artem
Infligat plagam(neque enim prohibere facultas
Eſt ope mortali gladios a corpore mille)
Ille vel acceptum ſimulat, vel negligit ictum,
Amplior aut animus neſcit ſentire dolorem,
Suppetit aut animi virtus innata dolori.
Undique tinnitus lorica obnoxia centum
Fulminibus reddit, funditquę attrita favillas,
Undique contuſa eſt, nec ab una parte dehiſcit,
Admittitque enſes: quorum de vulnere ſanguis
Dum ſequitur: conſtant unus vultuſque colorque
Fernando, pugnax conſtat præſentia cordis,
Inque Getas odium, ſpes & concepta trophæi.
Dum vero impavidus bellum ciet ille feritque,
De vice pugnantis metuens Ducis ingruit ala
Norica, & illatis incumbit fervida ſignis,
Intentoſque Getas unum demittere morti
Aggreditur, pergitque vias injiſſe paratas
Fernando: tunc ergo animis cecidere Geloni,
Tum ſpes damnatur, tum confertiſſimus ordo,
Disjectus: quo quemque ſuus tulit impetus, illuc
Ef-

Effluxere, petunt reliquum recto agmine vallum:
Ultimus is vallus, valliſque noviſſimus agger,
Et quem præterea Thraci ſpes nulla receptus:
Sed pauci tenuere, premit Dux Noricus hoſtes,
Et ruit hac, illac, & ſanguinolenta Getarum
Urget agens, pariterque urgens agit agmina calce·
Quadrupedans equus, atque impacti pectoris ictu
Impellens reſupinat humi, revolutaque tundit.
At vero interea pubes nil ſegnior inſtat
Vindelicûm, curſuque fugam prævertere Thracum
Occupat, objiciens ſeſe ad divortia callis.
N.16. At quamquam ex horum numero victoris ob iram
Vix quota pars abiit, adeo fugientibus inſtant
Vindelici, multis aliis ex agmine Thracum
Capta ſalutaris ceſſit fuga; quippe tot hoſtes
Plus opportunum fuerat fudiſſe catervis
Auſtriacis, fuſos meritæ quam dedere morti.
His incrementis ſed demum in ſepta receptis,
Nil animi acceſſit Turcis, queis tertius agger
Contigit: at potius miſeris roburque vigorque
Defluit, alterius damno ſua quiſque pericla
Metitur; ſtudium eſt proprio indulgere timori,
Cum procul a jugulo ferrum eſt: * ſit tutior alter,
* Quo magis intrepidus ſubiit diſcrimina martis:
* Audaces timeat, timidos fortuna repellat:
* Plurima ſpes illic, ubi conclamata videtur.
Una ſalutaris Thraci fuga creditur, una
Hæc ſedet, & renuunt proprio emendare periclo
Alterius culpam; nec, ſi pugnare libido
Inceſſat Thracas, qui tertia ſepta tenebant,

Con-

Contraxiſſe licet pugnam ; nam prægravat ingens
Viribus integros turba illa incondita Turcas,
Quæ duplex numerus ſecum rapit amnis ad inſtar
Invitos, quam nec ſeptis admittere fas eſt,
Nec prohibere datur, ſic illa impacta timore
In caſtra invehitur : timidis violentior inſtat
N.18.Contemtim Eugenius, non cladis ductus amore,
Sed timor ut creſcat gravior majorque tumultus.
Unde Getæ effuſi certam, & ſine ſanguine palmam
Concedant, nudumque ſuo jam milite vallum.
Ergo hcc conſilio Princeps quoquo aſpicit hoſtis
Aut plenas conſtare acies, aut ſiſtere greſſum
Audentes, ſeque ad pugnas accingere denſis
Ordinibus, volat ille ferox, ſeque injicit inter
Biſtonas, erectumque alte ſuſpenſus in enſem
Lethiferum infligit violento turbine ferrum :
Fulmine quo ſolvit cuneos, atque agmina laxat.
Ceu quondam variis rapitur cum pinus ab undis
Hac, illac agitata, latuſque afflicta procellis,
Rector ut evadat tumidos ſecurior æſtus
Compoſito occurrit, roſtrumque obvertit in undas;
Quo facto venientem hyemem ſublimior alnus
Præterit exuperans, molemque innoxia tranſit
Cæruleam. Thracum cuneis ſic ſponte Sabaudus
Incidit, & juvenum quâ denſior unda ſuperbit,
Dividit irrumpens ferro, tranſitque ſolutam,
Mille vias iniens velox, iterumque remenſus:
Nunc abit ad dextram, dextraque in parte Gelonis
Disjectis: curſim ad lævam divertit, & inde
Regreſſus, Thracum cuneos poſt terga manentes,

Ur-

Urget, & in denſos violentior irruit hoſtes.
Ut puer excipiens Phœbææ lampadis ignem
Contractum in ſpeculo, ſpeculum quo dirigit ille,
Orta repercuſſi radiis, & imagine Solis
Lux fugit, itque vias varias, fallitque tuentes,
Ante locum tenuiſſe ſuum, quam tendere viſa;
Aëre nam nitido radios qui præſtitit, aufert
Phœbus, & occultam majori lumine perdit
Æmulus, in ſolis paſſus conſtare tenebris.
Sic etiam Eugenius celeri volat impete raptus,
Quâ maior Ciconum pubes collecta pericli
Admonet, & junctis prius incidit ille maniplis,
Quam viſus fuerit curſu transmittere campos.
Ipſe equus haud fræni juſſu, nec verberis ictu
Admonitus, quâ conſpexit conſtare cohortes,
Adſultim Eugenium raptum vehit; ille ubi uenit,
Indigus haud gladii eſt, viſos percellat ut hoſtes,
Quos uno aſpectu, vel nomine disjicit uno.
N. 16. Nã ſimul ac Turcis propior jam iam imminet, omnes
Eugenium Eugenium clamant timido ore Geloni:
Nomine quo terror natus Thracum agmina fundit.
Palantes Turcas, obcæcatoſque pavore
Aſpiceres paſſim, revolutaque ſigna per agros,
Quâ ſemel apparet, reſoni quâ fulminis inſtar
Eugenii accipitur nomen; ſic ordine rupto
Diverſi fugiunt pueri, ſi forte Magiſter
Ex improviſo veniens gradiatur arenâ,
Ludus ubi, & lepido fervent certamine nugæ.
Vive diu, magnæ nimium dilecte Parenti
Inclyte Dux, gladios inter quem Virgo faceſque

Aſſe-

Aſſerit immunem , cujus dat fulmina dextræ,
Fulmina Biſtoniis non eluctanda catervis,
Et conjuratum cogit ſervire Pavorem
Thracis in exitium , cujus cum denique pallor,
Æqualisque fugæ facies comperta Sabaudo eſt;
N.20. Subſtitit, & grates Superis, magnæque Parenti
Ad Cœlum evectis oculis perſolvit : & inter
Solvendum exutus ſenſim fugit exul ab ore
Terror, & innatæ ſurgit pietatis imago,
Et caſtis oculis lacrymæ liquuntur obortæ,
Queis ſilet extinctâ terror Mavortius irâ:
Nec gladio interea dextram, nec caſſide frontem
Exuit Eugenius, verum collectus in armis
Perſtat; & ut fuſi Turcæ, nihil ille ſolutus.
Exin majeſtas habitu revocata ſevero
Oris, & ingenitæ rediit gravitatis imago:
Atque ita compoſitus vultum prius imperat ipſe,
Edici tum voce jubet præconis ubique,
Vel prædâ abſtineat miles, vel duret in armis,
Inſtructaque acie, ceu rurſum ad bella paratus.
Norat enim cauti norat mens alta Sabaudi,
* Quod cum neglecta eſt, recipit victoria caſus:
* Et virtutis opus prædæ plerumque libido
* Corrumpit, Mavors ſpolians ſæpe agmen ovansque
* Perculit a victo, & belli ſpes tuta patrati
* In cladem evaſit; feſſis tum cura Sabaudi
Militibus metuit, quorum labor improbus horas
Ad quinas tenuit: paucis quin inſuper idem
Eſt veritus, Thracum poterat vis magna recensque
(Tertia nam fugiens acies ceſſarat in armis)

In prædam effuſos, laſſos paucoſque maniplos
Sternere Cæſareos, & clade rependere cladem;
Ni pede ſuſpenſo, & prædæ ſpe miles ademta
Surrigat intentas aures, voceſque, pedumque
Accipiat trepidus ſonitum, ni lumina volvens
Exploret, ſtudeatqne hoſtis cognoſcere fraudes.
* Quam prudens timor ante tubā eſt: tam ſtultus inerſque,
* Si mentem invadit, poſtquam ſonus impulit aures.
Sic Pedes, armorum gravium diſtractus Equeſque
A præda Eugenii juſſu, dein imperat idem
Pannonicæ ut gentis levis armatura, fugæque
Expertæ juvenes Turcis inſtare ſequantur:
Neu cæpto abſiſtant, donec nox explicet umbras,
Et donec dirimant ſubeuntia ſydera ſtragem.
Pœones ut juſſi vadunt, lateque vagantes
Excipiunt Turcas, extrema vel agmina carpunt,
Luctibus & luctus, & clades cladibus addunt.
N.21.Quid vero interea quid Thracum exercitus urbis
Præſidio addictus, tenuit dum pugna, peregit,
Dum pugnam excepit clades? anne auribus ille,
Anne oculis captus, mentis num luminis impos?
Quin ſociæ exitium gentis de mœnibus hauſit?
Aut quin aſpexit, quin mente expendit, & inde
Collegit propriæ diſcrimina certa ſalutis?
Aggreſſusque hoſtes, juxta ſociiſque, ſibique
Conſuluit, quando belli ſpes integra ferret?
Cur exin veluti ſomno revocatus ab alto
Se ſibi reſtituit, ſtrages ubi fœda remiſit?
Quodque mali impendat, ſociæ poſt funera gentis
Tum demum advertit, ſtragem tum denique novit,

Tum

Tum timor inſtantis damni, certique pericli
Præſidii mentem ſtrinxit, tunc arguit hoſtem
Explicitum pugnâ majori in mœnia niſu
Venturum, & merito ſumturum ſanguine pœnas.
Nam ſimul atque abiit fumus, pulviſque reſedit,
Atque aperit ſtragem Turcis ſpectantibus Urbis
E muro, miſeri relegunt ſtrata undique cæſis
Arva cadaveribus, tumidoſque e ſanguine rivos,
Membrorumque ſtruem, ſtagnatiaque arva cruore:
Idque argumento eſt, ſpem conclamare ſalutis.
Parte alia vero (viſu miſerabile) luſtrant
Primorum exuvias, capitiſque inſigne thiaras,
Et capita ipſa ducum madidis defixa ſariſſis:
Agnoſcunt, alioque avertunt lumina flentes,
Aſt inibi occurrunt oculis præpoſtera preſſis
Tormenta in plauſtris, tormenta abrupta, Getiſque
Jam nimis infauſta, & venientia deſuper Urbem.
Ut vero aſpiciunt vexilla erepta maniplis,
Non ea ſed tantum, quæ Lunam inſcripta referrent,
Raptari per humum, cœnoque & ſanguine fœda;
Aſt etiam Alipedum caudas (venerabile ſignum
Thracibus) impexas vittis auroque decoras.
Vana ſuperſtitio, nec committenda uel ipſis
Jumentis, quorum ſectas colit impia caudas!
Hæ ſimul apparent laceræ, cœlique per auras
Contemtim jactæ: vultus & lumina Turcæ
Has contra obvertunt, fixiſque obtutibus hærent
Attoniti: rumpunt lacrymis ſuſpiria miſtis,
Ingemuere: ſtupet ſanguis terrore, rigentque
Biſtonidum cirri, & gladii cecidere remiſſi.

Digitized by Google

Tum pugnæ exactæ ceu præſens ingruit horror,
Jamque recrudeſcit viuus, mentique recurrit:.
Subjectamque oculis credit ſe cernere ſtragem
Præſidium: veluti præſens ferit horridus aures
Alliſi crepitus gladii, quæſtuſque cadentum.
Quin capite e ſecto gemitus prodire videtur,
Qui monet, ut dedant Urbem, cedantque Sabaudo.
An melius linguâ Procerum capita ipſa loquuntur?
N.22. At quantum injecit ſpecies funeſta timoris
Præſidio Ciconum, tantum cumulatior ardor
Auſtriadum, plauſuſque, & ovantis gaudia gentis
Incutiunt: ultra ſolitum nam terror obortus
Lætitia ex ipſa Germano ſpirat ab ore.
* Sive animos, animiſque minas victoria reddit
* Victori, victos animus ſeu deficit: unde
Inſolito credunt hoſtes ardere furore,
Haud ſuſtentandis & ſcandere viribus Urbem.
Nec penitus deluſa fides: nam flagrat honoris
In corde Auſtriadum, quamvis extincta cruoris
Jam ſitis Odryſii: pleni ſtudium ergo triumphi
Cæſareis eſt calcar, * habet quoque gloria calcar;
* Hæc animos acuit, ſtimuloſque in pectora condit,
* Audenteſque facit, murumque iniiſſe paratos;
Integer ut conſtet, nec rimis ille dehiſcat.
Inde Getæ falſi credunt, jam ſcandere turres
Auſtriacas Aquilas: ventiſque inflata ſecundis
Dum ſigna aſpiciunt liquidas fluitare per auras,
Non vento impellirentur, ſed tendere veris
Romanas pennis Aquilas, metuendaque velle
Signa ſuper trepidos Urbis depangere muros.

Qui

Qui fluit e gladio ſanguis flamma eſſe videtur,
Ducentemque comas jurant, igneſque vomentem.
* Uſque adeo viſus, & mentem faſcinat horror,
* Quæque animus timet, illa oculis ſpectare videmur!
Hoc rerum aſpectu, & turbatus imagine mortis
Thrax ſibi perſuaſit; quod ſi non dederet Urbem,
Urbe expugnata, ſe clades æqua maneret,
Quæ ſtravit ſocios; hinc jam ſævire Sabaudum,
Edere jam fœdas credunt per compita ſtrages.
N.23.Sed quid ego hæc,multas inter nondũ eruta veri eſt
Cauſa mihi: nunquam tanti fuit horror ab hoſte
Mortali incuſſus, talem qui proderet Urbem.
Nempe ea (Taurunum referas ſi rite ſubactum
Ad veram eventi cauſam, & meliora ſequaris)
Nempe ea, quæ Turcis oculos obſtruxit & aures,
Cum pugna arderet, mentis quæ lumen ademit,
Quo minus auxilium ſociis in tempore ferrent;
Hæc eadem Virgo ſenſus ſubmiſit; at una
Reddita mens Turcis alia ex ratione laborans.
Ad rerum eventus olim, nunc cæca timore.
Hic timor evicit, perculſi ut militis æque,
Conſenſuſque Ducum victori traderet Urbem
Fœtam armis, muro invictam gravidamque catervis.

LAUS DEO, & B. MARIÆ V.

AD AUGUSTISSIMUM

C A R O L U M

Ob Hoſpitium extructum ægrotis militibus

Dominici Cæſaris, qui eſt alter Poetæ Frater

EPIGRAMMA.

A Titulis aliis alii præconia quærant,
    Ut Caroli laudes expediiſſe queant,
Sive quod ad faſces Leopoldo judice natus,
    Indice quod Pueri legit in ore Pater.
Sive quod imperii maturus faſcibus implet
    Omen, an exceſſit vel pia vota Patris?
Dum manus æqualis paſſim monumenta trophæi
    Impreſſit, nulli non toleranda manus.
Dum magna exhibuit virtutum inſignia pectus
    A ſcelerum nullis inficienda notis.
Quis vero inſtituet monumenta æquantia dotes?
    An modo qui poterat, condidit illa ſibi?
Tectum auguſtum ingens, miles cui ſaucius hoſpes,
    Indicat; ad laudes inde petenda ſeges.
Hinc niſi quærantur, vel amica ſilentia tecti,
    Vel taciti miles vulneris ore dabit.
Et velut Hoſpitium referet Pietatis honores,
    Hoſpes belligeræ ſic monumenta Manus.

AD

AD SERENISSIMUM

EUGENIUM

Poſt inducias Turcis datas ægrotantem

Ejuſdem Dominici

EPIGRAMMA.

PAx ubi ſupplicibus conceſſa precaria Turcis,
Et labor et belli triſte remiſit opus,
Quid vult Eugenij virtus, quod febre laborans
Ceſſat, & in lecto decubuiſse poteſt?
Qui vegetus flammas inter, mortiſque pericla
Conſtitit, huic vires otia nata premunt?
Cui modo de partis merces referenda triumphis,
Bellica cui fuerat gloria danda, jacet?
Ah jacet, & cauſa eſt; animi nam martius ardor
Impetit Eugenij corpus, ubi hoſtis abeſt.
Fallor, an haud tales ardor ſuus excitat æſtus?
Dius at, & diæ Religionis amor.
Redde Viro turres, queis Lunæ inſignia vellat,
Queis Crucis affigat ſigna verenda, valet.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO

ANTONIO RAMBALDO

Comiti Collaltino, Poëtarum Principi & Patrono

C. & C. Majeſtatis intimo Conſiliario

Poeta Librum ſuum dat & commendat.

ELEGIA.

QUid Liber expalles Italos tranſmittere fines,
Orbis & Auſtriaci tædet adire plagas?
Non equidem inficior, patriis ignotus in oris
Qui fuit, haud alibi cognitus hoſpes erit.
Hos at ſolve metus, aderit Patronus, opemque
Sponte tibi, quamvis non mereare, feret.
Præſidio Rambaldus erit, timidumque fovebit,
Et tibi ſub tali Præſide cedet honos.
Eſt illi ab genio, ſtudii communis amori
Dum ſervit, Vatum conſuluiſſe choris.
Ut ſibi promeritas gemina ratione Camœnas
Obliget, ex æquo dum fovet, atque colit.
Nec colit ex trivio, primoque e limine portæ,
Aſt illi Aonidum ſanctior aula patet.
Lynceus in ſtudiis idem; ſua multa ſupellex
Nil habet extritum, deteriuſque nihil.
Huic Vatum ut proceres omnes aſſurgere gaudent,
Sic omnes meritum concinuiſſe timent.

Id

Id cave tu ſtudeas; ſatius vel quippe ſilere eſt,
Aut illi expreſſis vocibus ore loqui.
Aſt adeas timido ſimilis, plenuſque pudoris,
Purpura ſit minii victa pudore tui.
Hoc ubi præſtiteris, ſubmiſſa voce rogato,
Te Caroli ad ſedes Eugeniique ferat.
Id tum ſubjicias, aliud ſibi fingat agendum,
Nec te conſulto tendat utrique manu.
Quippe ubi te cernet Cæſar, Ductorque Sabaudus,
Ni modo me genius fallat, uterque petet.
Et petet, & releget pariter, ſi forte vacabit:
Ni vacet, has partes ipſe Patronus aget.
Quaſque refers Caroli laudes, & facta Sabaudi,
Eloquio amplectens uberiore canet.
Et tibi; quod pretium, quæ cultæ gloria muſæ
Deſtituit, pluſquam poſcis habere; dabit.
Nam tua dum volvet, dum carmina fundet ab ore,
Mellito reddet nobiliora ſono.
Sic etiam Bacchus rutilo ſi defluat auro,
Neſcio quod referat, quod decus inde trahat.
Aſt ubi pagellam veniet Rambaldus ad illam,
Quæ Carolo Puerum vaticinata fuit:
Ne timeas, fraudata fide ſimul omina Cæſar
Audiet, obſequii culpa ſit iſta tui.
Hæc ſtudio Carolus noſtro commenta remittet,
Proferet ad partus & tua vota novos.
Unguibus has equidem volui convellere chartas,
Tangere ſed vetuit ſpes mea freta Deo.
Iſta mihi, an Caroli meritis tot Pignora ſpondet,
Quot ſatis, ut regnis dividat ille ſuis?

Nec

ELEGIA.

Nec Liber in dubium revoces, quin talia poſſit
Rambaldus, quin hæc exhibuiſſe velit.
Solus an ignoras hunc quo dignatus honore,
A Bojis Carolus dum ſua tecta petit?
Tum ſua Rambaldus conceſſit ad oppida velox,
Unde iter Auſtriadæ prætereuntis erat.
Quin etiam Eugenius vadit comes: hoſpes & illi eſt,
Dum peragit curſus menſtrua Luna ſuos.
Mox ubi ſe retulit, divertit ad oppida Cæſar,
Oppida Regali clara futura pede.
Hic ille expediit tali convivia luxu,
Et tot in ambroſiæ pocula fudit opes;
Solus ut Auſtriades poſſet tam multa mereri,
Et Collaltiadæ dextera ſola dare.
Idque parum, ut Caroli ſtudiis occurrere poſſet,
Et dextræ varias appoſuiſſe feras.
Quotquot alit paſſim ſilvis Germania, quotquot
Cæſaris ad fulmen credidit eſſe ſatis;
In nemus adjectum tot adactos compulit Urſos,
Immitesque Lupos, ſetigeroſque Sues.
Miratur numerum Cæſar, paucisque peremtis
Ceſſat, & extinxit copia viſa ſitim.
Hinc ut Rambaldus Carolo gratiſſimus olim,
Factus ab officio carior inde fuit.
Ergo age, vade Liber tanto confiſe Patrono,
Ad Domini tutum te feret ille pedes.
Mox idem Eugenio, cui nullus gratior alter,
Offeret, oblato ſufficietque decus.

INDEX PROCERUM.

Althan Althanus Legatus fol. 130. 131.
Althan Althanus Michael Vvolphangus Cardinalis, & Neap. Prorex a fol. 131. uſque ad fol. 135.
Arrach Arrachius 148. 223. 224. 357.
Baviera Maximilianus Noricus, vel Vindelicus Dux, & Elector a 52. ad 65. 117. 118.
Baviera Carolus Bavariæ Princeps a 116. ad 118. 257. a 285. uſque ad 294. 388.
Baviera Fernandus Bavariæ Princeps a 285. ad 294. 319. 402. ad 406.
Bereit Bereittus 135. 173.
Bevern Beverenus Princeps 147. 235. 237. 241. 242. 257. 379. 391.
Bonneval Bonnevalius 149. 150.
Braune Braunius 150. 151.
Cajeta Franciſcus 99. 111. 112.
Carapha Joannes 99. 110. 111.
Cardenas Fernandus de Cardenas 303. 304.
Carolois Princeps Gallus a 280. ad 282. 339. 340. 341. 388.
Crois Croiſius 135.
Condrecourt Condrecourtus 135. 173.
Darmeſtat Darmeſtatius 129. 130.
Daun Virrigus Daunus Prorex Nap. 148.
Daun Daunus Junior 148. 149. 223. 224. 357.
Detine Detinus a 270. ad 273.
Dombes Dombeſius 281. 282. 339. 340. 341. 388.
Ebergeni Ebergenis 136. 357.
Eliſabeth Eliſa Auguſta 103. 104. 105. 106. 107.
Emmanuele di Portogallo Emmanuel Luſitanus 112. 113. 114. 215. 216.
Emmanuele di Savoja Emmanuel Sabaudus 115. a 373. ad 377.
Euben Eubenus 319. 320. 322.
Falcheſtein Falchetteinus 135.
Foch Antonius Fochius de Cardona Valentiæ Præſul a 227. ad 229.

Fri-

INDEX PROCERUM.

Fridericus Auguſtus Saxonum Dux, nunc Poloniæ Rex. 303. 309.

Haſſia Haſſiacus Princeps Fridericus nunc Sueciæ Rex a 294. ad 300.388.

Haſſia gens 320.

Hau ois Hautoiſus 135.

Heiſter Sigisbertus Heiſterus 142. 179.357 379.381.

Humada Joannes a 225. ad 227. 229.357.

Leopoldus Cæſar 12. 66. 107.

Leopoldus infans 102. 103. 104.

Lobcovitz Lobcovitzus 135.

Loſſeloff Loſſeloffius 163.

Lipſia 310.

Malta Melitæ Magnus Magiſter 131.

Marilach Marilachus Gallus Princeps 281.282.339.340 341.388

Marleburgh Marleburgus 55.

Martignis 356.

Marullus 151. 152.

Mercy Mercius 118. 119. 120. a 266. ad 270.301.356.395.

Montecucoli Montecuculius 357.

Nidaſti Nidaſtis 136. 266. 357.

Odvier Odvierius 320. 321.

Palfi Palphius junior Petrus a 122. ad 125.

Palfi Palphius ſenior Joannes 126. 127. 166. 169.174.179. a 195. ad 198.213.2 .4.216 217.230.233.237.301.356.a 361.ad 363. 365. 367.368.395.

Pathe Patheides 136.

Pignatellus Franciſcus Neap. Præſul 307 308.309.

Pignatellus Fernandus 303.304.

Pomers Pomerſus 321. 322.

Portogheſi Luſitanus Rex Joannes III. fol.96.97.98.

Portogheſi Luſitana gens, & claſſis 95 96.

Rabuttin Rabuttinus 135.

Saxones 309. 310.

Schivendiman Schivendimanus 289.

INDEX PROCERUM.

Sconbron Sconbronius 101. 135.
Sechendorſ Sechendorfius 320. 321.
Spleni Splenis 357.
Starembergh Starembergius Guidus a 143. ad 146.
Starembergh Maximilianus 143. 146.230, 356. 368.369.
Starembergh Ottocharus 357.
Steinvil Steinvillus 135. 270. 271.
Storch Storchius 321. 322.
Sulzbach Sulbachius 135.
Vallis 150.
Valmerode Valmerodus 357.
Velen Velenus 136. 357.
Veneti 206.
Viard Viardus 136. a 298. ad 300.355.
Vindiſgratz Vindiſgratius 357.
Vittembergh Vittembergius Alexander 120.121. 179. 234. 235.
337. 241.242.257.258.259.377.378.379.395.
Vittembergh Maximilianus 120. 121.235.237.241.242.257.

ERRATA SIC CORRIGE.

Fol.15.verſ.29. lege aſſudere. fol.24.verſ.18.lege ſuæ.fol.55.v.8.l.coiiſſe. fol.60.v.21. l.conſpectus fol.62.v.25.l.hiſcir.fol.62.v.26.l.pectora. f.72. v.11.l.diſiectas. f. 78. v.17.l. Anterior.f.86. v.23.l. Tum. f.111. v.27.quod l. ſi. fol.124. v.30.l.propior. f.125. v.11. l.propius. f. 131. v. 20. l. ſuas. f. 135. v.5. l. nunquam. fol. 150. v.8.l.ſibi. fol.159. v.12. l. Pharus.fol.160.v.27. l.lucida. fol. 162. v.5. l. quod. fol.167.v.13. l.inermis. fol.210.v.21.l.hæ. fol.216. v.1.l.pugna. f.227.v.1.l.trilix fol.232. v.30.l.ſed.fol.239.v.15.l.obnoxius.fol.272.v.4.l.conjecit miſer. f.294.v.19 l.ſubſtitit.f.301. v.24.compertumque alibi. fol.366.v.26. l. ubi. fol. 375. v.11. l. propior.

Quoniam dictionem illam neve,& neu ſæpius uſurpavimus,utpote delicatiorem, & quia plerique ex amicis non adeo frequenter a claſsicis auctoribus uſurpatam eſſe contendunt; proinde ſi huic ſententiæ placeat ſubſcribere loco illarum has, aut his ſimiles ſupponas fol.10.v.20. fol.78.v.10.fol.84.v.11. fol.92. v.11. fol. 119 v.12. & 21. fol.140.v.30.lege non. fol.19. v.9. fol.36. v.7. fol.53. v.14. lege nilque fol. 53. v. 17. fol. 59. v. 17. lege nec. fol .58. v.2. fol. 88. v.8. fol. 173. v. 8. lege nec jam.fol.46.v.13.fol.65.v.21. lege vixque.fol.28. v.13. lege nec &. fol.42. v.28. aut fol.41. v.10. nunquam. fol.62.ſv.19. nil. fol.125.v.25.l.haud. Cæterum habes amice Lector opus Octaviani Fratris potius, quam meum; ut quod eius obſequio feſtinanter in lucem editum, infra binos annos, quos (annuente Deo) erudiendo limandoque impendam, meum hoc poema iterum in literas promendum habebis, ut porro nonnullorum curis faſtidium remitram, monitos velim illos nomina hæc Biſtones, Edoni, Hæmonii, Iſmarii, Odryſii, &c.pro Turcis me accipere, qui regiam Vrbem in Thracia fixerunt, cujus regionis illi incolæ jam fuerant: ſic Teutonici, Latini, &c. pro Chriſtiana gente, ne ſemper circuitione uterer, me uſurpare. Demum ſi quod nomen gentis verna dictione non Latina extuli ut Haſſiaci, &c. ne me proſcindas, nam reſpondeo, quod ſuper pſal.138. Auguſt. in ſimili re. Melius eſt ut me reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi.

Digitized by Google

Digitized by Google